PRAXIS ORATIONIS MENTALIS AD FACILIOREM EIUS VSUM REDDENDUM. OMNIBUS, &…

Juan : de Cartagena, Francisco : de Toro, ...

PRAXIS ORATIONIS MENTALIS

AD FACILIOREM EIVS VSVM REDDENDVM.

Omnibus, & singulis statibus accommodatissima:

IN LIBROS V. DISTRIBVTA.

Authore
F. IO. DE CARTHAGENA, HISPANO,
Sacræ Theologiæ Generali Lectori emerito, Ordinis Min. de Obseruantia, Immaculatæ Conceptionis Prouintiæ Alumni.

Cum Priuilegijs, ac Superiorum permissu.



VENETIIS, M DC XVIII.

Apud Iacobum de Franciscis.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI

FABRICIO VERALLI

S.R.E. Cardinali Ampliſsimo,

Ac totius Seraphicę Religionis D.P.N.Franciſci Vigilantiſsimo Protectori,Rectori,& Gubernatori.

Frater Ioannes de Carthagena Sacræ Theologiæ lector generalis emeritus temporariam, ac æternam fælicitatem precatur.

OPuſculum hoc(Illuſtriſsime Princeps purpurei Senatus decus, & ornamentum) eo præcipuè nomine confeceram, vt animum meum erudirem,& ad frequentiorem orationis vſum ſtimularem,ac tandem, vt eius lectionis ignis,quoties tepeſco,in Dei mei amorem ardentius cor accenderet. Poſtquam verò non ſemel obſeruaui permultos tam Sæculares,quam Religioſos ab exercitio orationis mentalis propterеà facilè abſterreri, quòd vel meditationis materiam eis non ſuppetere conquerantur,vel ad diſcurrendum hębetes ſe experiantur, vel tandem modum, quo va-

rios affectus in voluntate excitent, prorsus ignorẽt, vt triplici huic incommodo, opportuno valdè remedio occurrerem diuini honoris & publicæ vtilitatis zelo ductus, in animum induxi meum, praxim hanc orationis mentalis, quam in proprium vsum mihi destinaueram, omnibus Christi fidelibus absque inuidia communem facere, vt sicut quondam (proh dolor) multis fui Spiritualis ruinæ occasio, ita nunc pluribus efficiar salutis æternæ comparandæ stimulus, & fomentum. Exiguum est (non diffiteor Illustrissime Princeps) hoc, quod Amplitudini tuę dono munusculum, non tamen illud offero, tanquam rem magnam, sed vt magnam facias, quod si feceris, maiora in posterum tibi polliceor. Interim autem precor benignitatem tuam permittat exiguitatem pręsentis muneris magnitudine propensæ in se voluntatis compensari.

PRAE-

EX Comissione speciali opus hoc editum ab admodum Reuerendo Patre Magistro Ioanne Carthagena Ordinis Minorum de Obseruantia, Insigni Sacræ Theologiæ generali Lectore, cuius Inscriptio est Praxis Orationis Mentalis, summa animi voluptate, & spiritus Consolatione perlegi. In quo non modo nil Christianæ fidei, aut bonis moribus dissonum reperi, verum omnia (vt tanto Viro digna) eruditissima pariter, & pijssima, ac tum omnibus fidelibus, tum spetialiter Sacri Verbi Contionatoribus, & Viris spiritualibus Vtilissima, latissimam enim, ac planam viam ostendit ex propria, & Creatoris cognitione ad vitæ Christianæ perfectionem (quæ in exercitio Virtutum Maxime Caritatis consistit) facile perueniendi, quare opus censeo dignissimum, vt Prælo mandetur. Romæ in nostro Collegio Sanctæ Agnetis in Agone, die 14. Februarij 1617.

Emanuel da Vila Clericorum Regularium Minorum Sacræ Theologiæ Lector.

FRater Petrus Iouer Ordinis S. P. Francisci Minorum de Obseruantia in Romana Curia Procurator generalis à Reuerendissimo Patre F. Antonio de Treso eiusdem Ordinis Generali Vicario institutus, libellum hunc (cuius inscriptio est; Praxis Orationis Mentalis) à Reuerendo Adm. Patre F. Ioanne de Carthagena præfatæ Religionis Concionatore celeberrimo, Theologo eximio, ac Lectore emerito compositum, & aprobatis Theologis perlustratum, & commendatum probo, vt de concessu Reuerendissimi D. Vicesgerentis, ac Reuerendissimi P. Magistri Sacri Palatij typis mandetur. Datum Romæ in Conuentu S. Mariæ de Aracœli Sexto Idus Martij 1617.

F. Petrus Iouer.

Pr. Gen.

PRAELVDIVM NECESSARIVM AD PERCIPIENDVM FRVCTVM huius operis.

SI cum spirituali fructu animæ tuæ cupis (studiose lector) hac praxi orationis
Eccl. 18. mentalis vti, illud Ecclesiastici consilium executioni manda: *Ante Orationem præpara animam tuam*, etenim quemadmodum si Cithara non sit bene temperata, ita vt cordæ partim intentè, partim remissè pulsatæ, varios concentus efficiant, licet alioquin musicus sit peritissimus, non solum sonus, non mulcebit aures, sed potius illas offendet; non dissimiliter oratio tua, vt sit grata diuinis auribus oportet, vt cor instar Citharæ, bene temperatum sit, alioquin diuinas aures offendet, & in ma-
Ps. 118. ledictionem illam Dauidicam incidet: *Oratio eius fiat in peccatum.* Prima igitur, & omnium potissima præparatio est mundi-
2. 2. q. tia cordis ab omni peccato mortali, quia licet vt D. Thomas do-
84. ar. 16 cet, aliquando Deus ex magna misericordia sua, audiat orationem existentium in peccato mortali, vt in plurimum tamen, repulsam patiuntur eorum preces, ad quod respiciens Dauid di-
Ps. 65. xit. *Iniquitatem si aspexi in corde meo non exaudiet Dominus*; Ad idque significandum, Christus Dominus consulto docuit incipere orationem per verba illa: *Pater Noster*; vt intelligat Oraturus, se filium huius tanti Patris esse oportere, vt grata, accepta, & impetratoria sit eius Oratio: hoc idem etiam communi
D. Dion. consensu docent Patres, etenim D. Dionysius epist. 8. ad De-
Epist. 8. ad Dem. mophilum loquens de Moyse ait. *Sciebat enim oportere colloquentem Deo, quam maxime conari ei pro viribus similimum fieri*; & D.
D. Aug. in ps. 33. Augustinus in Psal. 33. inquit: *Ipsa mundities cordis tui delectabit*

bit

bit te, & faciet te orare; Necessitas autem huiuscemodi præparationis adeo nota est, vt ratio etiam naturalis illam doceat, omnes enim, cum ab aliquo quidpiam postulare volumus, si eum fortasse læsimus, natura ipsa cogente, prius errati veniam ab eo eflagitamus, quam aliquid aliud ei petere audeamus, quod si Orantis conscientiã non remordeat peccatum mortale, adhuc certe optimum genus pręparationis ante orationem est, vt peccata tua accuses, & de illis vehementer doleas Spiritu Sancto dicente; *Iustus in principio sermonis accusator est sui.* Secũda præparatio erit, vt viuacissima fide credens te adesse ante Maiestatem Beatissimę Trinitatis, quę propter eius immensitatem vbiquecumque sis pręsentissima tibi adest, mente & corpore ante illam te prosternas, recognoscens, & adorans summam eius excellentiam, in cuius conspectu omnes creaturæ quasi nihilum sunt, si enim qui mortalem Regem adeunt, in ipso primo ingressu, totius corporis inclinatione humilem reuerentiam ei exhibent, maiestatem illius reuerentes, quanto magis hoc venerationis genus ad ingressum orationis pręstare oportebit Regi immortali, & inuisibili: in progressu autem orationis, quia vt verbis Pauli loquar: *Sapientibus, & insipientibus debitor sum*; duo apprimè necessaria documenta tibi trado. Primum est, vt memoriam pręsentię Beatissimę Trinitatis, quam à principio orationis concepisti, & per fidem credis tibi adesse præsentissimam, satagas non amittere, vt faciebat Dauid dum dicebat: *Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.* Secundũ est, ne totum orationis tempus in varijs solum meditationibus, & discursibus consumas, nec enim est orare, sed studere, mysteria magna meditari, abdita sacramẽta scrutari, & rationes eorum inuestigare, si alioquin volũtas maneat arida, & ieiuna, etenim sicut Pater ęternus per intelligẽtiam sui, & omnium rerum producit verbum, non tamen sistit in intelligentia sui, & omnium creabilium, se simul cum filio vlterius progreditur ad producendum per voluntatem Spiritum Sanctum, qui est infinitus amor, ita & qui orat non debet sistere in intelligẽtia, & cognitione diuinorum mysteriorum, sed vlterius progredi ad elliciendos varios affectus per voluntatem secundum exigentiam meditationis, vt si

Ad Ro. 1

Psal. 18.

con-

consideratio sit de passione, excitanda est voluntas ad compas-
sionem, & ad amorem, si de peccatis ad contritionem, si de vir-
tutibus Christi ad earum imitationem, & sic de reliquis, hoc do
cumentum ex eo liquido constat magni momenti esse, quod li
cet intellectus aquirat veritates, voluntas tamen aquirit virtu-
tes, intellectus reddit cognitione hominem sapientem, volun-
tas amore reddit sanctum; intellectus præparat cibum, volun-
tas digerit illum, & in bonum animæ conuertit; intellectus de-
tegit, & inuenit Thesaurum absconditum, voluntas autem est
quæ amplectitur illum; quare curandū est, vt quemadmodum
canis, si bene institutus est, non deuorat lepores quos capit, sed
eos integros fideliter Domino suo custodit: ita intellectus no-
ster vbi spirituali venatione prædam reconditæ alicuius verita-
tis obtinuerit, non eam deuorans, sibi retineat, sed voluntati
continuo offerat, illāque excitet, vt optimo illo cibo, tanquam
Domina perfruatur; ad extremum illud tibi dicere non par-
cam, quod quantumuis tardiori ingenio sis præditus ad varias
meditationes, & discursus conficiendos, non propterea contri-
steris; nec te ineptum existimes ad vsum orationis mentalis;
cum non alia cognitio tibi necessaria sit ad exercitium illius,
quam ea, qua per fidem cognoscis mysteria; quæ in symbolo
docet Ecclesia Catholica circa diuinitatem, & humanitatem
Christi Domini; sufficit enim ad perfectissimam etiam oratio-
nem habendam cognitio sincera, & simplex eorum quæ Deus
reuelauit Ecclesiæ suæ: nam ea solum instructo intellectu, con-
tinuo voluntas diuino auxilio opitulante, facile prorumpere
poterit in varios affectus gratitudinis, timoris, spei, Charitatis,
Religionis, renuntiationis propriæ voluntatis in diuinam, con-
tritionis, humilitatis, firmissimi propositi nunquam offenden-
di diuinam maiestatem, & aliorum similium, de quorum exer-
citio, & de modo illos practicandi dicemus, partim in progres-
su huius operis, partim vero ex professo libro vltimo, atque hac
ratione quantumuis ingenio careas ad varios efficiendos di-
scursus, poteris, non vnam duntaxat, sed integras horas cum vti
litate, facilitate, & iucunditate in oratione feliciter consumere.

PRAXIS

PRAXIS ORATIONIS MENTALIS.

Liber Primus.

Apponitur materia copiosa ad cognitionem sui, & propriæ miseriæ, necnon ad penetrandam grauitatem peccati mortalis ex cuius notitia mirum in modum illa crescit. *Caput Primum.*

§. *I.*

QVamuis sapientes huius sæculi sacrorum voluminum ignari, celebrem, ac mirabilem illam sententiam, *Nosce teipsum* Appollini aut Pithagoræ, aut alijs ex vetustis sapientibus affinxerint, illud tamen mihi compertissimum est Spiritum Sanctum illius primum authorem extitisse, nam quid est illud, quod statim post peccatum dictum est homini, Puluis es, & in puluerem reuerteris, *Gen.3.19*
nisi *Nosce teipsum*? Et quid est illud Dauidis: *Sciant gentes, quo-* *Ps.9.21.*
niam homines sunt, nisi noscant se ipsas? Quid illud Isaiæ: *Væ qui* *Isa.45.9*
contradicit fictori suo, testa de samijs terræ. Nunquid dicit lutum figulo suo, *Iere. 18.*
Quid facis? nisi Nosce te ipsum? Quid tandem illa? *Sicut lutum* *13.*
in manu figuli, sic vos in manu mea domus Israel, Quid superbis terra, & ci- *Eccl. 15.*
nis? nisi Nosce te ipsum? Hinc D. Ambrosius scientiam hanc *9. 20.*
notitiæ sui in Deuteronomio secundum versionem septuaginta *D. Amb.*
virorum legit; *In lege scriptum est attende tibi ne fiat uerbum abscondi-* *ad ps.118*
tum in corde tuo, tibi inquit attende, non utique dicit pecuniæ tuæ, non posses- *serm.2.*

 sionibus

sionibus tuis, non uiribus corporis, sed animo tuo, ac menti tuæ, unde omnia consilia facta cogitationesque manant. Tibi ergo attende ibi, ubi potiorem esse te nosti: Nosce te ipsum, quod Appollini Lythio assignant gentiles uiri, quasi ipse auctor fuerit huius sententiæ, cum de nostro usurpatum ad sua transferant, & longe anterior Moyses fuerit, qui scripsit librum Deuteronomij, quam Philosophi, qui ista finxerunt. Hactenus D. Ambrosius Adeo autem verum est cognitionem sui a Spiritu Sancto procedere, vt D. Bonauentura ad vnum ex septem donis Spiritus Sancti illam spectare putet, nempe ad donum intellectus, quam autem multi spirituali viro ad incrementum virtutis hæc notitia sui vtilis sit, ex multiplici capite deprehendo.

De septẽ don. don. 6. cap. 3.

Primo quia superbiam radicitus euellit, & humilitatem seminat, quis enim vel leuiter se cognoscens, & proprias miserias inspiciens putredinem corporis sui tangens, haud ita insanire poterit vt commodum sibi putet superbire, vnde egregiè D. Bernardus in Cant. dixit: *Talis scientia non inflat, sed humiliat, nam quomodo non vere humiliabitur anima in hac uera cognitione sui, cum se perceperit oneratam peccatis, mole huius mortalis corporis aggrauatam, terrenis intricatam curis, carnalium desideriorum, fæce infectam, curuam, infirmam, implicitam multis erroribus, expositam mille periculis, mille timoribus trepidam, mille difficultatibus anxiam, mille suspicionibus obnoxiam, mille necessitatibus ærumnosam, procliuem ad uitia, inualidam ad uirtutes. Vnde huic iam extollentia oculorum? Unde leuare caput? non ne magis conuertetur in ærumna sua, dum configitur spina? conuertetur inquam ad lacrymas, conuertetur ad Planctus, & gemitus conuertetur ad Dominum, & in humilitate clamabit, sana animam meam, quia peccaui tibi.* Hæc D. Bernardus.

D. Bern. sup. Cãt. serm. 36.

Secundo cum cognitio sui pariat humilitatem facile impetrat a Deo quicquid vult, vt facile videre est in Abraham dicente: *Loquar ad Dominum cum sim puluis, & cinis*; & in Dauide suam miseriam cognoscente, *Memento quia puluis sumus, homo sicut fænum dies eius*; & in Iob similia perferuntur, *Memento quæso quod sicut lutum feceris, & in puluerem deduces me.* Quod si his sanctis Patribus dicas: ad quid, o viri Dei, apud Dominum luti & pulueris memoriam facitis? Ad quid vestram paruitatem inducitis? Quid luto, & cælestibus donis, vt illius commemoratione ista consequamini? magna quidem (respondebunt) luti, & diuinarum miserationum cognatio est, quia misericordia miseriam respicit, & summa misericordia summam miseriam cui subueniat exposcit. Quid ergo viri isti potuerunt Deo ad miserationes eius impetrandas efficacius obijcere, quam fænum, lutum, & cinerem, & vno nomine miseriã propriam confiteri.

psal. 102

Iob 10.

Tertiò quia notitia propria sui reddit hominem cautiorem ad

præ-

pcauenda peccata, vt his verbis sapiēter obseruauit B. Laurentius Iustinianus. *Hęc profectò se agnoscentium in ueritate est disciplina optima, se uidelicet condemnare, se peccatores intelligere, se cæcos, & infirmos, seque ad omne malum procliues existere, absque ulla dubitatione sentire. Hinc timent casum, præuaricationem metuunt, exigua quantum ualent, delicta deuitant, indisciplinatorum hominum consortia fugiunt, superborum colloquia obaudiunt, atque amatorum sæculi desideria uana esse non dubitant. Unde sic in cunctis se caute custodiunt, ac si essent quotidie morituri.* Lau. Iust. lib. de humil. c. 2. in fin.

Quartò quia cognitio sui viam sternit ad cognitionem Dei, vt enim dixit D. Bernardus. *Gradus ad notitiam Dei est cognitio tui, & ex imagine sua, qui in te renouabitur ipse videbitur.* D. Bern. serm. 36. in Cant. Tandem ex gradu cognitionis sui facile homo ascendit ad timorem, & amorem Dei, nam qui se ipsum nescit, & quam magnis peccatorum debitis sit astrictus ignorat, nullo creditoris sui rigide sua poscentis debita timore tangetur, similiter etiam qui se ipsum nescit, Deum nesciat, necesse est, & cum non nisi cognita quispiam diligere possit, certè quamdiu Deum ignorat minime illum amabit, hoc perpendens D. Bernardus dixit. *Noueris te, vt Deum timeas, noueris, & ipsum vt æque eum diligas, in altero initiaris a sapientia, in altero consumaris, quia initium sapientiæ timor Domini est, & plenitudo legis est, Charitas.* D. Bern. serm. 37. in Cant. Quanta autem mala pariat defectus cognitionis sui, vel illud vnum satis vtique manifestat, quod ignorantes se, aptissime Iumentis comparantur quorum inter animalia terrestria notissima est stoliditas vere, *homo cum in honore esset non intellexit*, dixit Dauid, sed quæso quid non intellexit? Psal. 48 An naturam Cæli, an terræ, an Angelorum, vel hominum? Sane non intellexit se ipsum, & ideo, *comparatus est Iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Psal. 48. Si enim aliā non videret obtusum visum haberet, at dum se ipsum proximum sibi non videt, cæcus est, & plane insipiens, ac merito Iumentis insipientibus comparatus; verum, & illud horrendum magis nocumētum ignorans se infert animæ, cuius meminit sponsus dicens. *Si ignoras te o pulcherrima inter mulieres egredere, & abi post vestigia gregum tuorum*, Cant. 1. terribilitatem huius sententiæ satis indicat verbum illud. *Egredere*, quod persimile est illi, *Discedite* quo Christus Dominus vtetur cum in vltimo die Iudicij aduersus reprobos sententiam ferat; Nam licet verba sint diuersa, sensus tamen est idem, *discedite a me*, Matt. 25 *& egredere, & abi*; sed fusius terribilitatem horum verborum explicuit D. Bernardus in hæc aurea verba, *Dura, & aspera increpatio, quod dicit*, (Egredere) *Hoc quippe verbum serui audire solent à valde irascentibus, & indignantibus Dominis; vel Ancillæ à Dominabus suis, cum grauiter illas offenderint. Exi hinc, exi a me, egredere a conspectu meo, & a domo ista. Hoc ergo verbo aspero, & amaro satis, nimiumque increpatorio* D. Bern. sup. c. 1. Cant.

vtitur modo sponsus contra dilectam sub conditione tamen si se ipsam ignorauerit. Nil quippe validius efficaciusue ad deterrendum potuit in eam intendere quam vt egredi minaretur. Quod & tu aduertere potes, si bene attendas, vnde egredi uideatur, unde enim putas nisi de Spiritu ad carnem, de bonis animi ad sæcularia desideria, de interna requie mentis ad mundi strepitum, etiam inquietudinem curarum exteriorum? in quibus omnibus non est, nisi labor, & dolor, atque afflictio Spiritus; & post pauca. *Terribilis proinde, & nimis formidolosa comminatio: Egredere, & pasce hædos tuos. Quod est, indignam te noueris illa tua familiari, & suaui rerum contemplatione cælestium, intelligibilium, diuinorum. Quamobrem egredere de Sanctuario meo, corde tuo, ubi secretos, sacrosque ueritatis, ac sapientiæ sensus dulciter hauririre solebas: & magis tanquam una de sæcularibus pascendis, & oblectandis tuæ carnis sensibus intricare: Hædos quippe (qui peccatum significant, & in Iuditio collocandi sunt a sinistris) dicit uagos, & petulantes corporis sensus, per quos peccatum (tanquam mors per fenestras) intrauit ad animam.* Hactenus D. Bernardus.

§. II.

His iam prælibatis quæ ad vtilitatem cognitionis sui, & ad nocumentum ignorantiæ propriæ spectant ad praxim, & modum cognoscendi se ipsum sermonem dirigamus, illum egregie mihi docuisse videtur D. Augustinus lib. de Spiritu, & anima dum dixit, *scito te ipsum, scito unde uenisti, aut quo uadis, quomodo uiuis, quantum proficis, uel deficis, quam longe es a Deo, uel quam propè, non interuallis locorum, sed similitudine, vel dissimilitudine morum, scito quomodo homo es, cuius culpæ conceptio, nasci miseria, uiuere pæna, mori necesse, attende ergo sollicite quid agas, uel quid agere debeas, si quod faciendum est facias, bono operi malum aliquid non admisceas.* Hæc D. Augustinus; vt autem ars hæc & modus cognoscendi te ipsum tenacius menti tuæ inhæreścat. Primo in mentem reuoca quattuor propria tua nihila, quorum Primum est nihilum ex quo Deus te fecit, in quod sanè nihilum reuerteretis, si per vnicum solum momentum cessaret Creator ab influxu suo conseruatiuo, ad quod respiciens D. Paulus dixit (si quis existimat se aliquid esse cum nihil sit, ipse se seducit:) Secundum nihilum est per comparationem ad merita, respectu quorum, quasi nihil est homo quantum est ex parte sua cum si Dei auxilio, & gratia destituatur impossibile ei sit meritorium aliquod opus exercere. Tertium nihilum est per comparationem ad quodcumque opus bonum moraliter, etiam si meritorium non esset, ad quod simpliciter perinde se haberet homo, ac si nihil esset, nisi illum Deus præmoueret, & cum eo cooperaretur, itaq;

D. Aug. lib. de Spiritu & anima.

Ad Gal. 6.

qui

qui ex te potentissimus es ad peccandum, impotentissimus es ex te ad bonum, vnde merito vnusquisque considerare debet se velut palmitem, qui nullum fructum ferre potest nisi per virtutem receptam a vite, vel certe vt bacculum, aut serram, quæ nullum artificiosum motum habere potest nisi ab extrinseco ei detur, vel tandem vt aerem, qui ex se tenebrosus est, nihilque luminis habere potest, nisi extrinsecus illuminetur, qui etiam quamuis sex millibus retro annis singulis diebus lumẽ à Sole receperit, nulla ratione habitum aquirere potuit quo semper esset luminosus sine dependentia a Sole. Ac tandem quot bona naturalia, vel supernaturalia vnusquisque in se recognouerit, tot nihila necesse esse cognoscat habere ex se, nam si mente tenus aufferat a se illa bona, tam naturalia, quam supernaturalia sibi à Deo collata, nihil aliud inueniet sibi ex se superesse quam negationes illorum bonorum, scilicet non esse fortem ad vincendum, non esse castum, non esse misericordem, non esse charum Deo, non esse fidelem, imo & non esse hominem, & non esse substantiam, & sic de reliquis bonis tam naturalibus, quam supernaturalibus. Quartum nihilum est illud in quod conuersus es per peccatum iuxta illud Dauidis, *ad nihilum redactus sum & nesciui, imo in peius quam in nihilum redactus es cum melius sit non esse, quam esse cum peccato, ut de Iuda dixit Christus Dominus (melius fuisset ei si natus non fuisset homo)* Atque ad hoc respiciens D. Augustinus in solliloquijs cap. 5. dixit. *Nunc igitur Domine illuminasti me lux ut uiderem te, uidi & cognoui me, quia toties nihil factus sum quoties a te separatus sum, quia bonum quod tu es, oblitus sum, & ideo malus effectus sum. Væ mihi misero, ut quid hoc non cognoscebam, quia te deserens nihil fiebam? Sed quid hoc quæso, si nihil eram, quomodo cognoscere uolebam? Scimus quia nihil est, & quod nihil est, non est, & quod non est bonum, non est, quia nihil est. Si ergo nihil fui cum sine te fui, quasi nihil fui, & uelut Idolum quod nihil est, quod nares habet, & non odorat, oculos habet, & non uidet, os habet, & non loquitur, manus habet, & non palpat, pedes habet, & non ambulat, & omnia lineamenta habet membrorum sine sensu eorum. Cum igitur fui sine te, non fui, sed nihil fui, & ideo cæcus eram, surdus, & insensibilis, quia nec bonum discernebam, nec malum fugiebam, nec dolorem uulnerum sentiebam, nec tenebras meas uidebam, quia eram sine te uera luce, quæ illuminas omnem hominem uenientem in hunc mundum.*

Psal. 72. *Matt. 26* *D. Aug. in Sollilo quijs.* *Ioan. 1.*

§. III.

SEcundo vnusquisque potest diuino fauente auxilio mirum in modum proficere in cognitione sui ac propriæ miseriæ, si diligenter

ligenter euoluat librum propriæ conſcientiæ ad imitationem Ie-
Ierem.3. remiæ dicentis. *Ego uir uidens paupertatem meam*, in cuius figura
D. Greg. prout adnotauit D.Gregorius animalia Ezechielis coram facie ſua
hom.4.in ambulabant hoc eſt ſe ipſos aſpicientes: in libro igitur iſto con-
Ezech. ſcientiæ quædam inueniemus ſcripta manu Adam primi parentis,
pſal.50. de quibus Dauid dixit, *in peccatis concepit me mater mea*, ex miſeria peccati originalis reſultauit ignorantia in intellectu, & facilis lapſus in varios errores, malitia in voluntate propter priuationem charitatis, & quod terga verteret ad Deum faciem vero ad creaturas, & vt paucis multa complectar, ex peccato originali manſit homo nudus expoliatus, grauiter percuſſus, in ſeruitute Sathanę redactus, manſit imaginatiua varijs, & importunis diſtractionibus obnoxia, vnde ſæpe nobis etiam reluctantibus, permulta inutilia valde vagatur, & errat: manſit etiam potentia concupiſcibilis propenſa ad delectabilia ſub quibus latet anguis peccati: iraſcibilis puſillanimis ad compeſcendam intemperantiam, & libidinem: concupiſcibilis tamen multum ſollicita, & ſtrenua ad illi inſeruiendum: manſit fomes peccati infeſtus adeo hoſtis, vt nunquam dormiat, ſed inceſſanter aduerſus noſtram infirmitatem dimicet: manſerunt tandem ſenſus proni ad malum, vnde per illos quaſi per feneſtras mors intrat, ſæpe ad deuaſtandam animam. Hoc probè agnoſcēs D.Auguſtinus in Solliloquijs dixit.
D. Aug. *Primus hoſtis continentiæ noſtræ, caro eſt noſtra, dum concupiſcit aduer-*
in Sollil. *ſus ſpiritum. Quam domeſticus hoſtis, quam periculoſa lucta, quam in-*
cap.13. *teſtinum bellum, hoſtem hunc crudeliſſimum non fugere poſſumus. O anima mea non fugare, ſed circum ferre illum neceſſe eſt, quoniam alligatus eſt nobis. Quid autem periculoſius, & miſerabilius eſt, quam quod hoſtem noſtrum cogimur ſuſtentare, perimere eum non licet? Vides ergo quam ſollicitè te cuſtodire neceſſe ſit ab ea quæ dormit in ſinu tuo. Veruntamen non eſt hic ſolus aduerſarius mihi, alium adhuc habeo qui circumcinxit me & obſedit vndique hoſtis iſte eſt præſens ſæculum nequam, qui per quinque videlicet ſenſus corporis, iaculis ſuis vulnerat me, & mors intrat per feneſtras meas. Tertius hoſtis humani generis inimicus, antiquus ſerpens callidior cunctis animantibus; iſte eſt hoſtis quem nec poſſumus videre quanto minus cauere; Hic hoſtis nunc quidem aperte, & violenter, nunc occultè, & fraudolenter, ſemper autem malitioſe, & crudeliter nos impugnat, & perſequitur, & ad hæc tolleranda, ne dicam ſuperanda, quis idoneus?* Hactenus D.Auguſtinus.

Deinde veniendum eſt ad ea, quæ tu ipſe in libro conſcientię tua propria voluntate ſcripſiſti, libertate tua abutens in iniuriam Creatoris, & perniciem tuam, & inuenies commiſſiones, cogitatione, verbo, & opere execrandas: item multa peccata occulta,

quæ

quæ tu non agnoſcebas, quæ Dauid pertimeſcens dicebat (*ab occultis meis munda me Domine*) inuenies habitus uitioſos, quos tuis prauis actibus comparaſti, & quibus pronus, & facilis factus es ad labendum in ſimiles actus peccaminoſos, a quibus illi induſtria tua fuerunt geniti, & aucti, inuenies innumera, & grauia peccata, quæ Deus nouit te commiſſurum, niſi ipſe miſericorditer te præſeruaſſet, & petulantem tuam libidinem compeſcuiſſet, ac rebelles appetitus infrenaſſet, inuenies etiam quod ſicut te ipſum potes occidere, non potes tamen te ipſum ad vitam reuocare, ita potes libero tuo arbitrio abutens, diuina gratia te priuare, quę vita eſt animæ, illam tamen recuperare non potes ex tuis viribus, ſed ex ſupernaturali, & gratuito Dei auxilio, potes etiam te ipſum dignum facere pæna æterna, ab ea tamen te liberare non niſi ex Dei miſericordia, quam ſi ſemel admiſſo peccato mortali ipſe voluiſſet continere, prout iuſtè præſtare poſſet in vltionem iniuriæ ſibi illatæ, impoſſibile tibi eſſet æternas flammas effugere: inuenies item ingentem deſolationem, ac lachrymandam deuaſtationem, qua tu ipſe per peccatum mortale animam tuam demolitus, es, expoliaſti illam gratia, deſtruxiſti Charitatem, euertiſti virtutes morales infuſas, & dona Spiritus Sancti, quibus ipſe iam locupletauerat, expelliſti ab anima tua Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, qui in ea ſpecialiter inhabitabant, & conſecraſti illam Dæmoni, & creaturis quibus inordinatè adhæres, quarum inordinatus amor eſt velut Idolorum ſeruitus, inuenies periculum in quo verſaris in præſenti vita, diuinam Maieſtatem offendendi per varia peccata cum certum ſit in quæcumque peccata quiſque labitur, vnumquemque labi, poſſe niſi diuinitus pręſeruetur, tuis autem peccatis indignum te feciſti illius præſeruationis, & ſpecialis protectionis: inuenies magnam incertitudinem quam habes obtinendi donum perſeuerantiæ, ſine quo nemo vitam æternam conſequitur. *Pſal. 18.*

§. IIII.

TErtiò. Iuuat ad cognitionem propriç miſeriç ortum corporis, & eius finem attente meditari: ortum, & originem corporis quantum attinet ad cauſam ſecundam efficientem, ſatis oſtendit Ezechiel dum ait: *Hæc dicit Dominus Deus Ieruſalem radix tua, & generatio tua de terra Chanaam Pater tuus Amorheus, & mater tua Cethea.* *Ezec. 16.* Ecce deſcendis ex terra Chanaam, qui à Patre ſuo Noè fuit maledictus, nullum enim corpus humanum concipitur, quod a primo parente non contrahat fomitem peccati, & rebellionem membro-

rum

rum, Pater tuus fuit Amorheus. hoc est amarus, quia vere descendis ex Adamo, qui totam massam humanam amaritudine peccati infecit, Mater tua Cethea hoc est insana, vel alios insanos redens, procedis enim ab Eua, quæ insaniuit futuram putans sicut Deum iuxta pollicitationem serpentis, *eritis sicut Dij*. Ecce igitur corpus tuum ortum habuit a parentibus proditoribus, & Diuinæ legis præuaricatoribus, si autem ad materiam, ex qua formatum fuit corpus tuum mentis aciem conuertas, sanè illud adeo turpis est, vt nec videri, aut nominari sine rubore possit, humano scilicet semine: Accedit multiplex morbus cui obnoxium est corpus humanum, ac tot miserijs subiectum vt multi eligerent potius mori quam sic viuere: quod si tandem finem corporis attendas, diuino oraculo doceris puluerem esse, & in puluerem reuertendum. Corpus enim puluis est coagmentatus, & quasi coagulatus: post mortem tamen reuertitur in pulueres minutissimos, & inter se diuisos, ita vt vento flante in varias partes facilè distrahantur.

§. V.

QVartò. Mirum in modum iuuat ad cognitionem sui oculos conuertere in summam ingratitudinem, quam habuisti erga Deum, nam cum ipse liberalissimè pænè innumeris benefitijs his, quæ infiniti valoris te cumulasset, tu ei correspondisti penè innumeris peccatis, & diuinæ Maiestatis offensis, quibus ex amico Dei te constituisti mancipium diaboli, & dignum pœnæ æternæ.

§. VI.

QVintò. Potest homo proficere in cognitione sui ex consideratione creaturarum, etenim sicut Dauid cognoscebat infinitam Dei maiestatem, & felicitatem ex eo, quod nulla re indi-
Psal. 15. gebat; *Deus meus es tu, quia bonorum meorum non eges*. Ita è contrario ex nimia indigentia quam habemus creaturarum ad nostram conseruationem facile colligemus propriam miseriam, nec non insufficientiam, quam ad nostram conseruationem habemus, indiget quidem homo terra, vt illum sustentet, aqua, vt refrigeret, aer vt respiret, videat, audiat, & loquatur, igne, vt eum calefaciat, sole vt illuminet, cœlis, Planetis, & Stellis, vt influant, & viuificent, Plantis, & animalibus, vt eum cibent, vestiant, & multis alijs necessitatibus occurrant, & infirmitatibus medeantur. Quid? quod etiam si sis Princeps, & ditissimus indiges alijs hominibus, nam

sicut

ſicut in corpore naturali nobiliores partes eius, cuiuſmodi ſunt oculi, indigent adminiculo pedum, ita & principes egent miniſterio inferiorum, vt Cochi, Piſtoris, Cimentarij, Sutoris, Fabri Lignarij, & Ferrarij, & pæne infinitis alijs, quod moleſtum eſſet percenſere, ijs adiungere poſſumus ad noſtram miſeriam magis cognoſcendam pænè innumeras creaturas nobis valde nociuas, vt quæ beneficæ ſunt;alias valde importunas, vt muſcas, vermes, pulices, cinifes, & ſimilia;aliæ creaturæ ſunt, quæ licet ad quoſdam vſus vtiles ſint, ſæpe tamen grauiter nos lædunt, vt aer nimium frigidus, Sol vrens, ignis comburens, aqua præfocans, & multæ aliæ,quæ cum alioquin ſint creatæ in noſtram vtilitatem, in ſupplicium tamen peccati in noſtram conuertuntur perniciem: has, & ſimiles alias miſerias conſiderans D. Auguſtinus in Solliloquijs cap. 2. dixit. Quid ſum ego qui loquor tecum? Væ mihi Domine, parce mihi Domine, infęlix ego homo: homo inquam natus de muliere breui viuens tempore; repletus multis miſerijs; homo inquam vanitati ſimilis factus, comparatus Iumentis inſipientibus, & iam ſimilis factus illis. Quid iterum ego? Abyſſus tenebroſa, terra miſera, Filius iræ, Vas aptum in contumeliam, gènitus per immunditiam, viuens in miſeria, moriturus in anguſtia. Heu miſer quid ſum, heu quid futurus ſum? Vas ſterquilinij putredinis plenus fætore, & horrore, cæcus,pauper, nudus, plurimis neceſſitatibus ſubditus, ignorans introitum, & exitum meum. Miſer, & mortalis cuius dies ſicut vmbra lunatica euaneſcit, ſicut flos in arbore creſcit, & ſtatim marceſcit, nunc floret, & ſtatim aret. Vita inquam mea vita fragilis,vita caduca, vita quæ quanto magis creſcit, tanto magis decreſcit: quanto magis procedit, tanto magis ad mortem accedit. Vita fallax, & vmbratica, plena laqueis mortis. Nunc gaudeo, ſtatim triſtor, nunc vigeo, ſæpe infirmor; nunc viuo, ſtatim morior,nunc fęlix appareo ſemper miſer: nunc rideo, iam fleo; hicque omni mutabilitati ſubiacent, nihil vix vna hora in vno ſtatu permanet, Hinc timor, hinc tremor, hinc fames, hinc ſitis, hinc calor, hinc frigus, hinc languor vnde dolor exuberat, ſubſequitur his importuna mors,quæ mille modis quotidie miſeros homines rapit. Hunc necat febribus, illum opprimit doloribus,hunc conſumit fames, illum ſitis extinguit, hunc ſuffocat aquis, illum interimit laqueo; illum perimit flammis,alium dentibus beſtiarum ferocium vorat,hunc trucidat ferro, illum veneno corrumpit, alterum tantum repentino terrore miſeram vitam finire compellit. Et tunc ſuper hæc omnia magna miſeria, quia cum

B nihil

libidinis, & fœtore luxuriæ. Ideo conceptio hominis tenebras amat, & tanquam res obscena, & quæ genitori ignominiæ est, lucem fugit, & aliorum etiam familiarissimorum aspectum exhorret. Tertio. Semina arborum, atque etiam animalium nullo peccato, nullaque iniquitate inficiuntur: at hæc materia, eiusue emanatio, sæpissime aliquo peccato, saltem leui, fœdatur, quod parentes ex nimia delectatione solent contrahere. Quarto. Illa semina durabiliora sunt, etiam multis diebus, & mensibus, & annis incorrupta seruantur, nam, & nos vidimus aliqua in has postremas orbis regiones ex Hispanis aduecta, post tres, aut plures annos germinasse: hoc vero semen quasi momentaneum, quod post modicum temporis corruptionem subit, & in corruptelam pertransit. Quinto. Tandem arborum semina semel putrefacta, & in arbusculam, vel plantulam versa purissimo terræ humore concrescunt: at semen hominis in corpus humanum coagulatum cibo spurcissimo augetur: vnde Innocentius Pontifex dicit, quod Infans in vtero nutritur sanguine menstruo, ac enim ratione Cæsar in fœmina post conceptum, vt ex eo ille nutriatur, hic autem adeo detestabilis est eodem Innocentio referrente, vt ab eius contactu fruges non germinant, arescunt arbusta, moriuntur hærbæ, & si canes inde comederint in rabies efferuntur. Ecce homo quales parentes habeas, ex quorum dignitate glorieris; quod si altius ascendas ex parentibus ad Auos, tandem accedes ad primum hominem, quem Deus fecit ex luto, Moyse dicente, formauit Deus hominem de limo terræ, super quæ verba Beatus Laurentius Iustinianus fecit Deus hominem de limo terræ, vt disceret quid esset, ne de se superbendo præsumeret, qui se de limo vilissimo sciret esse plasmatum: atque hinc est quod sæpe Deus per Isaiam ait, Pater noster es tu, nos vero lutum, & fictor noster tu, & opera manuum tuarum omnes nos; & libro Sapientiæ ipse cognouit figmentum nostrum, quod si adhuc superius ascendas inuenies lutum illud, a quo homo sumpsit exordium: ex nihilo factum inuenies, vt iam se se habeat ipsum nihilum, tanquam proauum tuum confiteri, itaque corpus tuum factum est ex semine, semen ex ceno, cenum ex nihilo, animus etiam non ex semine, nec ex ceno quia specialis es, sed ex nihilo creatus es, quid ergo fuisti o homo antequam Deus te creauerit, an lignum? sed minus quam lignum. an lapis? sed minus quam lapis. an puluis, sed minus quam puluis. an stercus? sed minus quam stercus. an vmbra? sed minus quam vmbra. quia illa priuatio est lucis in subiecto apto lucem recipere, te autem in prima crea-

Innocen. lib. 1. de contem. mun. c. 4

Gen. 27.

B. Laurē. Iust. ser. S. Greg. mart. 1.

Isa. 64.

Sap. 7.

rione nullum subiectum præcessit, fuisti igitur quod nec amari, nec æstimari potest. O nihil, nihil, quanto Deo displices cum inflatis, quam puluis, quam luctum, quam somnium, quam vmbra, quæ facile euanescit.

§. II.

Homo quid est postquam conceptus est, & quid postea erit.

CONsidera Primo. Quod homo concipitur in horrido carcere, generatur in tetro, & caliginoso ergastulo, nempe in ventre matris, in eoque nouem mensibus clausus, & compeditus tenetur. Membranæ illæ quibus obuoluitur, quæ secundæ, vel secundinæ dicuntur, quod nascentem infantem sequantur, illi pro Cippo sunt: pro compedibus verò ipsa dispositio naturæ, nam ad modum glomiculi, siue orbiculi, in utero manet: ac pro catenis ipsa imbellicitas infantilis, quæ eum moueri vix sinit. Illud ergastulum nunquam radicum, vel minimum lucis vidit, nunquam vocem consolatoris audiuit, nec aliquod leuamen, ad ferendas illas angustias accepit, sed semper in perpetua caligine, & horrore permāsit. Offertur misero infanti in illo Carcere alimentum, vt viuat, sed quod alimentum? Quam immundum, quam horridum, quam ab omni sapore alienum? Huiusmodi alimentum est sanguis menstruus fæminæ multis, ac prauis qualitatibus affectus, cum late describit Plinius lib. 7. cap. 14. hoc cibo Reges, & Principes in vtero matris aluntur, & quibus tanta, & tam exquisita prætiosorum ciborum copia non sufficit, hac peste a morte seruantur; quidam ex materno vtero monstruosi prodeunt, & pænitus abhominabiles, generaliter tamen omnes sine scientia, sine verbo, sine virtute nascamur? Flebiles, Debiles, Imbecilles, parum a bruttis distantes, immo multo minus in multis abhortes. Nam, vt illa orta sunt, statim gradiuntur, nos autem non solum erecti pedibus non incedimus, verum etiam curuatis manibus non repetamus. Nascimur non sine iniuria matrum nostrarum, quas timore concutimus, dolore ingenti cruciamus, & corporis fractione discerpimus. De Vipera a quibusdam memoriæ proditum est a ictu suo in ipso partu perrumpi, & ob vitam nequissimis filijs datam ab eisdem morte puniri, nos quidem matribus nostris paulo minus nociui sumus, qui eas si non interficimus

saltem

ſaltem periculo mortis exponimus, immo multæ in ipſo partu pereunt. Rachel ob difficultatem partus periclitari cæpit, & in ipſa effuſione fætus vitam finiuit. Vxor Phitnees in ipſo partu vitam cum morte commutauit, & quotidie mortes fœminarum videmus, quæ ſimul vitam peragunt, & Infantes effundunt. Deinde primum opus infantium eſt plorare, quo præſaggiunt futura mala, quæ illos expectant. Ego natus, inquit Salomon accepi communem aerem etiam in ſimiliter factam decidi terram, & primam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans. Eſt & alia corporis humani miſeria, fætor, & pedor ex eo erumpens, cuius meminit Innocentius Pontifex in hæc verba. O vilis conditionis humanæ indignitas? O indigna vilitatis humanæ conditio? herbas, & arbores inueſtiga, illæ de ſe producunt flores, & frondes, & fructus: vt tu de te lendes, & pediculos, & lumbriculos; illę de ſe fundunt oleum, & vinum, & balſamum, & tu de te ſputum, vrinam, & ſtercus; illæ de ſe ſpirant ſuauitatem odoris: qualis eſt arbor, talis eſt fructus: ad hæc fragilitatem, & vitę breuitatem ſatis explicuit Iob cum dixit. Homo natus de muliere breui viuens tempore repletur multis miſerijs. Qui quaſi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam eodem ſtatu permanet. Attende o homo tuam originem, ex qua prodijſti; Mulier eſt. Quid mulier? Abyſſus imbecillitatis: nam vt ſummam puſillanimitatem quorundam oſtenderet Ieremias dixit. Deuoratum eſt robur eorum, facti ſunt quaſi mulieres, quid mulier? Mare ſtultitiæ, & inſipientiæ, mulier enim ſed cuta, velut ſtulta, & amens in preuaricatione fuit. Quid mulier? totius malitiæ, & iniquitatis inuentrix, quam Zacharias in medio amphoræ ſedentem, quaſi digito oſtendens, ait: Hæc eſt impietas, ideſt omnium impietatum, & malorum origo. Quam autem breuis ſit vita Sapientia explicat, Omnia tranſierunt, tanquam vmbra, & tanquam nuncius percurrens, & tanquam nauis, quæ pertranſit fluctuantem aquam: cuius cum præterierit non eſt veſtigium inuenire neque ſemitam Carinæ illius in fluctibus: aut tanquam auis, quæ tranſuolat in aere, cuius nullum inuenitur argumentum itineris, ſed tantum ſonitus alarum verberans leuem ventum, & ſcindens per vim itineris aerem: commotis alis tranſuolauit, & poſt hoc nullum ſignum inuenitur itineris illius: aut tanquam ſaggitta emiſſa in locum deſtinatum, diuiſus aer continuo in ſe recluſus eſt, vt ignoretur tranſitus illius, quod ſi in homine inuenitur corporis robur, carnis, pulchritudo, adoleſcentiæ ſplendor, & ſimilia id certe quaſi flos egreditur, & conteritur,

Sap. 7.
Iob 14.
Sap. 5. 11. 12.

flos

flos erumpit, flaceſſit, ac defloreſcit, & cadit etiam ſi nec aer decutiat, nec forceps excidat, nec manus decerpat; hinc Iaco-
Iacob 1. bus Apoſtolus non cuicumque flori hominis gloriam ſimilem fecit, ſed flori qui magis labilis eſt, quoniam diues, inquit, ſicut flos fœni tranſibit, & quid quæſo eſt illud, quod addit, & fu-
Iob 14.2 git velut vmbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet? niſi quod hęc gloria caduca hominis fallax eſt, & quo maior, eo inſtabilior. Vmbra fallax eſt, quæ oculis inſipientium aliquid eſſe videtur, cum nihil omnino ſit, niſi maioris lucis abſentia. Hanc nec oculus videt, quia non vmbram, ſed modicam lucem videt, non auris audit, non odoratus percipit, non guſtus capit, non manus apprehendit. Sic eſt, & omnis gloria eius, quæ nullam ſoliditatem, nullam ſtabilitatem habet, ſed ſemper de vno in aliud ſe mouet, & tandem in mortem, & ſempiternam obliuio-
Chryſoſt. nem decidit. Idque ſonant illa verba Chryſoſtomi. Quid efferis animo, cum ſis homo, cognatus terræ, eiuſdem ſubſtantiæ cum cinere, tum natura, tum animo, tum actionum delectu? Hodie diues, cras pauper: hodie ſanus, cras ægrotus; hodie gaudes, cras doles: hodie iuuenis, cras ſenex. Numquid in rebus humanis conſiſtit, ac non potius amnium præterfluentium curſum imitantur omnia, ſimulatque apparuerunt citius nos quam vmbra relinquunt? Quid igitur cristas erigis ho-
Pſ. 143. 4. mo, fumus, & vanitas? homo enim vanitati ſimilis factus eſt, veluti fumus dies eius. Quamdiu autem homo viuit, niſi prçmatura morte pereat, oportet experiatur innumera diuerſarum ętatum incommoda, infantia tota in nutrimentis corporis agitur, & in ſolidanda carne conſumitur, pueritia ludis, & ſubſaltationibus, & motibus præter omnem modum, & ordinem delectatur. Adoleſcentia (ſi non gratia Dei præueniente, & carnem frænante dometur) cogitationibus impuris decipitur, & luxuriæ deſiderijs ſordeſcit. Iuuentus immenſas ſollicitudines, honores, & dignitates aſſequendi ſuſtinet, & nimios labores rem familiarem augendi, & liberos, ac familiam gubernandi volens, aut nolens ſuſcipit. Huic ætati, quæ viriles etiam annos complectitur, inſidiatur ſenectus referta triſtitijs, plena doloribus, & miris afflictionibus, amaritudinibuſque ſubiecta, tunc oculi caligant, aures grauiter audiunt, ſenſus reliqui immoderatius ſuis obiectis affecti langueſcunt. Tunc capilli fluunt, facies in pallorem mutatur, dentes, & robore, & numero minuuntur, cutis areſcit, halitus inſuauiter olet: pectus ſuffocatur, tuſſis cachinat, genua tremunt, pedes tument, & triſtem animam hæc turba malorum grauiter præmit, vere cum homi-

nes

nes sibi optant senectutem, non aliud optant, inquit Augustinus, nisi longam infirmitatem. Nam si quis ad senectutem processerit, vt ait Innocentius, statim cor eius affligitur, & caput concutitur, languet spiritus, & fætet anhælitus, facies rugatur, & statua curuatur, & caligant oculi, & vacillant articuli, nares affluunt, & crines deffuunt, tremit tactus, & deperit actus, dentes putrescunt, & aures surdescunt. Senex facilè prouocatur, difficile reuocatur, cito credit, & tarde discredit: tenax: & cupidus: tristis, & querulus, velox ad loquendum, & tardus ad audiendum: laudat annos quos spernit modernos: vituperat præsens, commendat præteritum, suspirat, & anxiatur, torpet, & infirmatur. Inter has molestias, & angores homo extremum malorum scilicet mortem expectat tam certum est venturam mortem, quam incertum tempus aduentus eius, quidam enim moriuntur in ventre matris, quidam paulo post quam in lucem prodierunt, multi in infantia, multi in pueritia, plurimi in adolescentia, non pauci in virili ætate cum alioquin pauci comparatione prædictorum ad senectam perueniant, non solum autem tempus, & hora moriendi incerta sunt, sed, & ipsum genus mortis valde occultum est: vt his verbis sapienter dixit S. Ephrem Syrus ne nos in hodiernum, vel crastinum diem impura relaxet cogitatio: quoniam multi, dum multa secum statuerent, ad crastinum non peruenerunt: at subito rapti sunt sicut passerculi ab accipitre, & velut agni a lupo, & quasi captiuus a latrone, nec loqui prorsus valentes, nec testamentum condere, neque vocem vllam edere. Alij enim vesperi cubitum sani concedentes ad mane non peruenerunt. Alij ad mensam accumbentes expirarunt. Alij inter ambulandum, & ludendum repente sunt mortui. Alij in balneo morientes, idem lauacrum pro epitaphio, ac sepultura habuerunt. Alij vero, dum nuptias celebrarent in ipso thalamo nuptiali subito atque inopinatè abrepti sunt, & eadem sibi vestimenta pro nuptijs pararunt atque pro funere, successeruntque in locum tibicinum lamentantes, & in locum saltantium, atque tripudiantium, lugentes atque plorantes. Tandem homine iam mortuo sequitur illud Iob; ecce nunc in puluere dormiam, & si mane me quæsieris non subsistam; & alibi, quasi putredo consumendus sum, & quasi vestimentum, quod comeditur a tinea, ac tandem ait, putredini dixi, Pater meus es mater mea, & soror mea vermibus. Certe in sepulchro fætidus iacens non de nobilitate gloriabor, non parentum meorum stemmata commemorabo, sed putredo factus, & cibus vermium effectus putredinem patrem agno-

D. Aug. de catech. rud.

Innocen. lib. 1. c. 9

Ephrem serm. de his qui in Domino dormierunt. to. 3.

Iob 7.

Iob 13.

Iob 17.

scam:

ſcam: nam ex putri materia coagulatus ſum: & vermes eo affe-ctu, quo filij diligunt matres ſuas, & fratres ſorores ſuas amore complectar: quoniam inter illos quaſi inter fratres, & cognatos, vſque ad orbis immutationem permanebo. Hic exclamat

August. merito Auguſtinus dicens: Et quam turpis pater, & quam vilis mater, quam abominabilis ſoror: conceptus de fætore per ardorem libidinis putrefacto, cuius tamen cadaueri quaſi funebres vermes aſſiſtunt. Viuus produxit fæcem, & iam mortuus producit fætorem, & putredinem. Viuus amicum hominem impugnauit, mortuus vermes pluriмos impinguabit. Quid ergo fœdius humano corpore, quid horribilius corpore mortuo? cum gratiſſimus erat amplexus in vita, moleſtus etiam erit eius aſpectus in morte. Quid ergo proſunt diuitiæ, quid epulę, quid delitiæ? Non liberabunt a morte, non defendent, non eripient a fætore. Qui quondam ſedebat in throno glorioſus, modo latet deſpectus poſt mortem in tumulo. Qui ſtabat ornatus in aula, modo ſedet immundus in tumba. Qui veſcebatur delicijs in cœnaculo, modo conſumitur à vermibus in ſepulchro. Vrget deinde corpus alia calamitas, quod omnes illud horrent, & a ſe quamprimum poſſunt abijciunt, ſponſus ſponſam etiam pulcherrimam, parentes filium, & filius parentes, amici amicum, meritoque illud a domo pellunt, quia ad nihil niſi ad hoc, vt putrefiat, & vermes, ex ſe genitos paſcat, vtiles. Multa vſibus humanis vtilia ſunt, humanum vero cadauer ad nullum. Cæterum ſi iam animam reſpicias, ipſa eius nobilitas, quam Deus ei communicauit, creando illam ad imaginem ſuam, materiam præbet non leuem ad confuſionem tuam, cum pulchra illa imago, quam Deus in te formauit, in primo inſtanti in quo fuiſti conceptus per peccatum originale fuit deturpata, & quod deterius eſt poſt quam per lauachrum baptiſmi omnino fuit lota multis deinde peccatis poſtmodum illam maculaſti: ad quod reſpiciens Eccl. di-

Eccl. 7. xit: *Solummodo hoc inueni quod fecerit Deus hominem rectum, & ipſe ſe infinitis miſcuerit quæſtionibus.* O quam oppoſita ſunt quod Deus, & quod homo fecit, Deus hominem, homo ſe deſtruxit, Deus fecit hominem rectum, rectitudine naturali perfectum, gratia auctum, donis cumulatum, ſuo creatori ſubiectum. Homo rectitudinem naturalem perdidit, gratiam abiecit, dona

Luc. 15. 13. diſſipauit, & ab amantiſſimi patris domo receſſit. Ecce filium prodigum, adoleſcentem ſtultum, iuuenem inſipientem, qui accepta ſibi ſuę portione ſubſtantiæ, peregre profectus eſt in regionem longinquam, & ibi diſſipauit ſubſtantiam ſuam, viuendo luxurioſè. Receſſit ille a Deo; qui ſummum bonum eſt,

&

& accessit ad peccatum, & amplexatus est illud, quod summum malum est. Abijt a domo paterna, a tranquillissimo innocentiæ statu, in miseriam, & fæculentam regionem peccati, qua nihil est a Deo alienius, nihilque longinquius. Deinde ait Eccl. ipse infinitis se miscuit quæstionibus, certe homo postquam a Deo se auertit per peccatum in innumera mala, & incommoda cæcidit, naturam læsit, diuitias abiecit, gratiam perdidit, merita dissipauit, animam occidit, & in Dei offensam incurrit. Visne adhuc audire quid amplius fecit? Infirmitatem voluit, mendicitatem amauit, fæditatem dilexit, pæne reatum contraxit animam diabolo subdidit, & Deum hostem aquisiuit. Deinde tria frequentius solent homines affectare diuitias, voluptates, & honores, de diuitijs praua, de voluptatibus turpia, de honoribus vana procedunt, opes generant concupiscentiam, & auaritiam, voluptatés pariunt gulam, & luxuriam, honores nutriunt superbiam: quod si quispiam dicat omnia hæc longe a me sunt. Ego mandata Dei seruo, & consilijs eius aquiesco, adhuc non deest tibi magna humiliationis tuæ occasio, cum non tua virtute, sed Dei misericordia, & gratia illa præstes, qua deficiente nihil boni præstare valeres; immo, & in pleraque peccata lethalia incideres insuper etiam adest tibi alia humiliationis propriæ vrgentissima causa, quia fortè ab accepta gratia decides, nam cum non sis confirmatus in gratia certè dum mortalem vitam agis ab vltimo fine deficere potes, & condemnari, in hoc autem periculo positus quis non formidabit, aut vlla ratione superbire audebit. Ecce ergo, o homo, paucis tibi explicaui quid fuisti, quid es, & quid eris: in corpore puluis, in anima reus, in corpore cinis, in anima iudicandus, in corpore putredo, & vermis, in anima ex tuis operibus aut pænis, aut præmijs afficiendis. Et vt breuiter omnia dicta tibi proponam, & quid fueris, quid sis, & quid eris ad tuam confusionem inculcem, audi verba Hugonis Victorini, quæ huic argumento finem imponunt. *Hugo de anima.* Attende, inquit, Homo quid fuisti ante ortum, & quid es ab ortu vsque ad occasum, atque quid eris post hanc vitam. Profecto fuisti, quod nihil erat postea de vili materia factus, & vilissimo panno inuolutus, menstruali sanguine in vtero materno fuisti nutritus: & tunica tua fuit pellis secundina, sic indutus, & ornatus progressus es ad nos, nec memor es quam sit vilis origo tui forma fauor populi, feruor iuuenilis, opesque subripuere tibi noscere quid sit homo. Nihil aliud est homo, quam sperma fœtidum, saccus stercorum, cibus vermium.

Post hominem uermis, post uermem fætor, & horror.
Sic in non hominem uertetur omnis homo.

Cur ergo superbis homo? Attende quod fuisti vile semen, & sanguis coagulatus in vtero: deinde miserijs huius vitæ expositus, postea vermis, & cibus vermium futurus in tumulo. Quid superbis puluis, & cinis cuius conceptus culpa, nasci miseria, viuere pœna, mori angustia?

Ingredimur aliam viam ad captandam eandem cognitionem sui, & propriæ miseriæ.
Caput Tertium.

CVm in superioribus egerim de cognitione hominis absolute, & in se ipso, nunc per comparationem ad alia eius miseria, & vilitas indaganda est. Modus autem huius indagationis in eo consistit, vt considerata aliarum rerum multiplici perfectione inquiramus quantum, vel omnino, vel ex parte aliqua perfectionem hominis excellat.

§. I.

COnferat se homo cum Deo, & si aliquid vilius nihilo excogitare, aut fingere poterit cum se viliorem, & abiectiorem reperiet. est namque hominis ad Deum prorsus infinita distantia; ille insipiens, hic infinita sapientia, ille iniquitatibus plenus, hic infinita bonitas, & immensa sanctitudo: ille super quam cogitari queat impotens, hic infinite potens: ille vanitas, quia vniuersa vanitas omnis homo viuens, hic prima, & summa veritas: ille ipsum non esse, quoniam de se nihil est, hic ipsum esse, & plenitudo omnis entitatis, & perfectionis, qui de se ab æterno, & in æternum est. Et hunc tu o Domine, sustines, hunc expectas, illius flagitia dissimulas, supra quem multum valere tibi soli supererat semper, & virtuti brachij tui quis resistit? Quoniam tanquam momentum Stateræ, sic est ante te orbis terrarum, & tanquam gutta roris antelucani, quæ descendit in terram. *Sap. 11. 22.23.*

§. II.

COnferat se deinde homo cum Angelis, & se vilissimum, & abiectissimum inueniet. Angelus est incorporeus, & Spiritus

ritus natura puriſſimus, homo corporeus, aut (ſimauis) Spiritus imperfectus carni merſus, ille immortalis, iſte mortalis; ille corporibus multis, quibus aliquando veſtitur ad obſequium vtens, iſte vnum corpus, quod partem ſui geſtat ad onus importabile, vſque ad mortem ferens. ille habitator Cæli, hic terræ: ille vno impetu, & velocius, quam in ictu oculi, mundum peragrans, iſte tardis paſſibus, & non ſine laſſitudine, & neceſsitate vectoris itineris tantillum conficiens: ille ſapientiſsimus ſimplici quodam intuitu, & ſimilitudinibus rerum ab ipſa creatione habitis, omnia naturalia, & vniuerſa, ex ſupernaturalibus ſibi reuelata cognoſcens: iſte rudiſsimus cum diſcurſu, & magno labore, & ſpeciebus, per ſenſus aquiſitis, vix aliquas veritates intelligens, ille voluntate rectiſſimus, nihil vile, nihil terrenum diligens, iſte voluntate volubilis, rebus impuris, & terrenis inhærens: ille creatus in gratia per breues morulas immenſam beatitudinem mæneit, iſte poſt lapſum primi hominis generatus in culpa, poſt multos annos, & non ſine magnis periculis ex gratia, fælicitatem acquirit, & ſæpe per culpam, & oſcitantiam in æternum amittit, ille naturaliter in bono, quod ſemel voluit, præſtat, ſtabilis: hic omni aura leuior, etiam palea inſtabilior, bonum millies deſerit, millies repetit, & nunquam in eodem propoſito, & voluntate perſiſtit, ille tandem diues eſt ſapientia, diues poteſtate, diues rectitudine, qui apud Deum, locum amici familiariſſimi, & gubernatoris ſuæ domus obtinet, hic omnibus bonis. Indigus reus eſt, & multorum peccatorum ſibi conſcius ab illo tanquam à Cuſtode, a pedagogo, pendet. Quis non apud Angelum ſe deijciat, quem Ioannes Euangeliſta, & Apoſtolus Domini, poſt tam illuſtres reuelationes acceptas, & poſt tantam lucem diuinæ maieſtatis habitam adorare voluit, niſi ab ipſo Angelo fuiſſet prohibitus? Et poſtquam audiſſem inquit, & vidiſſem cæcidi, vt adorarem ante pedes Angeli, qui mihi hæc oſtendebat. Prohibitus eſt autem illis verbis; vide ne feceris, vel ne aliquod ſignum adorationis Deo debitæ daretur illi (vt Auguſtinus, & Thomas Aquinas induant) vel, ne ante ſe procumbentem aſpiceret illum, qui licet naturam minor, tamen erat æqualis, vel maior in gratia.

Apocal. 22. 8. 9.

Auguſt. 99. in Gen. 9. 61 & lib. 20 cõt. Fau. c. 21.

§. III.

AC ſi conferat ſe homo non iam cum Angelis beatis, ſed etiam cum ipſis dęmonibus, in multis his impuris etiam miſeris creaturis ſupponitur, ſi enim naturas rerum ſpectes, cer-

tum est dæmonem natura esse homine superiorem, si quidem per culpam, nec naturam Angeli perdidit, nec vires naturales intelligentiæ, voluntatis, aut potestatis amisit; si vero mores intuearis, sæpe homo est ipso Dæmone infælicior, atque miserior. Nonne infælicior diabolo, qui cum possit eius damnationem euadere, vltro se in damnationem ingerit? Et sane, quoniam magna miseria est miseriam contra voluntatem pati, sed maxima miseria est miseriam voluntariè complecti. Nonne infelicior dæmone, qui pluribus modis peccandi in Deum suum creatorem insurgit? Sed talis est homo, nam licet omnia peccata possint esse in dæmonibus secundum reatum, & secundum desiderium, non tamen secundum actum qui cum corpore careant, peccatis luxuriæ, & gulæ fædari non possunt, nec etiam peccatis auaritiæ, aut accidiæ infici, quia nec opes nostras, sibi nec necessarias, nec vtiles cupiunt, & in his quæ agunt laborem ex corpore prouenientem non sentiunt. At homo præter peccata merè spiritualia superbiæ, & inuidiæ, & Iræ quorum actus sunt in dæmonibus, luxuria, & gula sordidatur, & auaritia, atque accidia inficitur, vt quanto maior est in eo peccatorum copia, maior etiam quodammodo sit ipsius calamitas, atque miseria, ac tandem homo si a Deo deseratur nocentior est dæmone, idque sonant illa verba Chrysostomi. Homo malus peior est, quam ipse Diabolus, Diabolus enim si videat Iustum, non est ausus ad eum accedere, homo autem malus quamuis hominem sanctum viderit, non solum illum non timet, sed adhuc magis contemnit. Non enim Diabolus homini præstat virtutem, sed homo Diabolo, arma enim Diaboli est malus homo.

Vide S. Thom. 1. p. qu. 63. art. 2. in corpore.

Chrysost. ĩ Imperf. hom.

Sicut enim homo sine armis non potest aliquid facere contra hostem, sic diabolus etiam sine homine non valet aliquid contra Sanctos, sic ille nec poteris o homo, te excusare, & dæmoni præferre ex eo quod nunquam in has, & similes iniquitates incurreris, aliud enim est quod ex gratia, & beneficio Dei te protegentis habes, aliud vero quod ex natura tua a protoparente infecta possides, ex parte enim naturæ, in qua regnat fomes peccati, & ardor malæ concupiscentiæ, ad hæc, & maiora flagitia propensus es, quibus ipsos dęmones imitaris, & aliquando malitia præcellis, si vero Deus per gratiam suam his te malis exemit, & virum bonum, & studiosum effecit, non est cur in te ipso glorieris. Da igitur gloriam Deo, & te ex te Dæmonis imitatorem, ex Dei vero gratia Christi membrum agnosce.

§. Quar-

§. IIII.

NEc solum ex comparatione ad res superiores, verum, & ad res se inferiores homo sui cognitionem, etiam materiam humilitatis eliciet: nam si sui, & brutorum animalium collationem faciat, necesse est, vt in multis primatum eis tribuat, a nonnullis animantibus aliquibus virtutibus naturæ superatur. Nam vt Augustinus ait. Multæ bestiæ vincūt nos homines acrimonia sensuum, & motu facillimo, atque celeberrimo, & valentia virium annosissima firmitate corporum. Quis hominum videndo æquabitur aquilis, & vulturibus? Quis odorando canibus: Quis velocitate leporibus, ceruis, & elephantis? Quis diu viuendo serpentibus? qui etiam deposita tunica senectutem deponere, atque ad iuuentam redire perhibentur? sic ille. Sed si generaliter animalia consideremus illa ex vtero matris vestita nascuntur, homo nudus: illa ad sui defensionem, & ad hostes propellendos armata? hic inermis, & periculis magnis, ac multis expositus: illa naturaliter notitia ciborum, & medicamentorum sibi necessariorum instructa: hic tam ignarus, vt paruulus fame pereat, nisi vberibus illum nutrix admoueat, & adultus sæpe noxia, & mortem afferentia, pro vtilibus, & vitam seruantibus sumat: illa, aut illorum plurima, vitam satis diuturnam habentia, ducentorum, aut trecentorum annorum, vt Philosophus de Elephantibus, & Ceruis asseuerat, hic per breue tempus, & plenus malis perdurat, illa denique tanquam infirmus, & pauper, multis indiget, sed si imaginem Reipublicæ in quorundam animalium congregationibus aduertamus, manifestè videbimus eas nostrarum rerum publicarum esse magistras. Quis enim non miretur ordinem apum, sollicitudinem formicarum, ad quas sapiens pigros mittit, vt Sapientiam discant, & locustrorum agmina, sine vllo Rege, aut Duce, ita composita, vt ab Imperatore expertissimo instructa videantur? Quando respublicę nostræ, tam indiruptum ordinem, tam indefessum laborem, tam seueram otiosorum punitionem custodierunt? Quando scita sua, & leges à maioribus latas, tam sine vlla transgressione seruarunt? Perspectis quoque in animalibus vitiorum, ac virtutum vmbris, reperiemus, animalia vitijs ab hominibus vinci, e contra vero homines ab animalibus virtutibus superari; est enim homo sæpe leone crudelior, tigride audacior, mulo insolentior, equo imanior, lupo rapacior, lepore timidior, vulpe versutior, asino stolidior, hædo fætidior atque salacior. Rem exaggero si non

August. 8. de ciu. cap. 15.

Matt. 10. 17.

Chry-

Chrysost. hom. 24. in Matt. in imp.

Chrysostomum mea dicta confirmantem adduxero, exponens enim illud. Attendite vobis ab hominibus quasi a quibusdam pessimis malis, & super omnia mala malis, nam si non quasi homines accusans dixisset, sufficeret illi dicere, attendite vobis, tradent enim vos, nunc autem addidit, attendite vobis ab hominibus: ostendere volens quia præ omnibus malis homo est pessimum malum, nam si bestijs comparare volueris eum, peiorem inuenies eum. Bestia enim quamuis sit crudelis, tamen quia est irrationabilis, declinabitur ab homine crudelitas eius. Homo autem crudelis cum sit, & rationabilis non facile euadetur crudelitas eius: si comparaueris hominem serpenti, peiorem inuenies hominem, quoniam serpens, & si malitiam habet, tamen hominis timorem habet, ideo si quam absconse potuerit mordet, si autem non potuerit fugit. Homo autem, & malitiam habet serpentis, & timorem non habet sicut Serpens, ideo quamdiu is non habet tempus, latet sicut Serpens, si autem inuenerit, irruit sicut bestia: adhuc autem anguis, si quidem irritata non fuerit, in silentio transit. Homo autem, & non irritatus, insanit, & magis super illos insanit, a quibus non fuerit irritatus. Hæc ille. Quod autem dictum est de vitiorum imagine in animalibus reperta dici potest, & de vmbra virtutum, quod scilicet nunquam autem raro virtutes vere nostræ, virtutes illorum fictas assequuntur. Prudentia animalium in cauendis malis atque periculis, & in quærendis bonis, & ad sustentandam, & seruandam vitam necessarijs, est admirabilis, & nullis defectibus subiacens, cum tamen nostra incerta sit, & sæpe nos fallat, atque decipiat. Iustitia eminent, & nobis se præferunt, quia nihil proprium possident, & sine aliorum iniuria sunt paucis, & ad vitam necessarijs contenta: fortitudine excellunt, qua sine vlla timiditate se ab aduersarijs tuentur, & multa eorum nos fugant, & nobis timorem incutiunt: temperantia superant, si quidem ad solam necessitatem comedunt cibos a natura sibi paratos, non vt nos qui ad voluptatem sæpe delicias manducamus, saluti corporis efficientes, & coquorum arte dispositas: & solo prolis generandæ appetitu, certis temporibus, & moderate, mas, & fæmina in vnum conueniunt. Quid de eorum pace dicam, cum nunquam animalia cum alijs sui generis bellum gerant? Quid de fidelitate, qua equi, & canes nos rubore suffundunt? Quid de gratitudine, qua exigua beneficia, multo melius quam nos ingentia recompensant? si liceret nobis in his enarrandis expaciari, longum satis tractatum videremus: legat, qui volet Origenem, Basilium, & Ambrosium, in his libris, quos super Genesim ediderunt

derunt

derunt, & philosophos de rerum naturis disputantes, & mirabilia, quæ ipsum humilient inueniet.

§. V.

RES tandem inanimæ in multis hominem longe post se relinquunt, Cæli superant eum magnitudine perpetuitate, loco, lumine, ordine, pulchritudine, Elementa excellunt agendi efficacitate, resistendi potestate, contrarijs sibi proximis sustinentia, & obsequij nobis exhibiti vtilitate, mixta tum imperfecta, tum perfecta eminent decore, duratione, contrariarum qualitatum, quæ ea destruant, vacuitate. Quid enim candidius niue, simplicius pruina, illustrius grandine? Quid fortius ferro, durabilius argento, incorruptibilius auro? Quid lapidibus prætiosis purius, aut gemmis illibatius, quas nulla insolens qualitas fuscat? Arbores, & plantæ quę cum animantibus computantur, præstant multiplici virtute languores curandi frondibus, floribus, fructibus quarum semina non sunt visui fæda nec cogitationi horribilia, quarum generatio est pura, quarum augmentum, & conseruatio sine aliorum iniuria. Facta igitur o homo tui ad res creatas comparatione sic videns in quo illæ te superent, & in quo te erudiant, magnam tui cognitionem obtinebis, nec modus iste te agnoscendi a nobis inuentus est, sed in sacris scripturis diuinitusque traditus: nam Salomon ait. *Vade ad formicam ò Piger, & considera vias eius, & disce sapientiam, quæ cum non habeat Ducem, nec Præceptorem, nec Principem, parat in æstate cibum sibi, & congregat in mense quod comedat.* & Hier. miluus in cælo cognouit tempus suum turtur, & hirundo, & ciconia custodierunt tempus aduentus sui: populus autem non cognouit iuditium.

Prou. 6.

Hier. 8.

Circa eandem materiam cognitionis sui, multa de grauitate peccati notatu dignissima obseruantur.

Caput Quartum.

QVia inter omnia supradicta nihil clarius manifestat nostram miseriam, & vilitatem, quam peccatum mortale, per quod solum reddimur Dei inimici, & ei odibiles, vtile valde iudico hoc loco congerere præcipua capita, vnde grauitas peccati mortalis deprehendi poterit, quæ si attentè animo euoluantur, erunt sine dubio peccatori vrgen-

ri vrgentissima motiua,tum ad maiorem cognitionem suæ miseriæ,tum etiam ad saxeum cor eius emolliendum, ad veram contritionem peccatorum,& contemptum,ac odium sui, qui finis præcipuus debet esse cognitionis sui ipsius; etenim sicut olim ad aspectum serpentis Aenei vulnera à serpentibus inflicta sanabantur,ita ad aspectum grauitatis peccati mortalis quod instar benefici serpentis animam momordit, concipiet anima detestationem illius,per quam vulnera sanentur.

§. I.

PRimò ergo pondera grauitatem peccati ex dignitate personę offensæ,& ex vilitate personæ offendentis; etenim quod attinet ad primum satis perspicuum est eo grauiorem esse iniuriam, quo dignior est persona offensa,cùm ergo Deus sit infinitæ dignitatis, & excellentiæ,necesse est grauitatem iniuriæ illi illatæ esse infinitam; si autem vilitatem offendentis consideres,inde etiam immensa peccati mortalis malitia tibi innotescet, etenim ab æterno eras nihil minus musca pulice,attomo immo minus ac figmētum,aut somnicem, post quam autem esse à Deo recepisti adhuc in comparatione Dei nihil es,vt ait Esaias; *Quasi nihilum, & inane reputata sunt* : & hoc nihil ausum est offendere Deum, qui habet esse per essentiam,& contra illum insurgere,& bellum aduersus illum gerere.

§. I I.

COgita grauitatem peccati ex inobedientia,& rebellione,quā habuisti contra diuinam legem,vt tibi placeres,etenim cum omnes creaturę Deo obediant,spiritus Angelici faciunt verbum eius,terra Dei iussu magno iactu destructa,rebelles absorbuit,petra eiusdem præcepto virga percussa, non ignem, sed aquam dedit,pro Cælo mare & venti obediunt suo Creatori. *Quis est hic, quia mare, & venti obediunt ei.* Esaias etiam dixit; *Erubesce Sydon ait mare*; quam ob causam? quia ego obedio Creatori, tu non obedis? ignis ex diuino mandato non tetigit in fornace Babylonis tres pueros,nec quicquam molestiam intulit, iubetur altare scissum cinerem spargere, & scissum fuit, & cinerem effudit, leones famelici voluntati Dei obedierunt,nullum Danieli in lacu eorum nocumentum inferentes, cum omnes igitur reliquæ creaturæ Dei imperio obsecundent, tu solus miser peccator barbaro contemptu renuisti Deo obedire, id quod sine dubio Crimen læsæ maiestatis diuinæ fuit.

Esa.c.33

§ III.

§. III.

TErtio. Ex eo innotescit grauitas peccati mortalis, quod per illud honorem debitum soli Creatori detulisti eius creaturæ, nam hic est honor Deo debitus, vt illum constituas tibi vltimum finem, tu autem constituisti tibi creaturam ad quam inordinate te conuertisti tanquam ad vltimum finem tuum, & prætulisti illam Creatori, non minus prauam electionem faciens quam Iudæi, anteponentes Barabam Christo illi semel prætulerunt, tu autem toties, quoties mortaliter peccasti, ita vt si non verbis, opere tamen ipso dixisti hanc voluptatem, libidinis, vel honoris, vel auri lucrum. Eligo magis possidere, quam Deum ipsum, eligo magis frui hoc bono caduco, quam gloria æterna, hoc apertissime indicat infinitam peccati grauitatem.

§. IIII.

QVarto. Cogita ex prædicta grauitate peccati aliam horrendam oriri, nimirum, quod qui peccat mortaliter deicidium seu mortem Dei machinatur, nam conuertendo se ad creaturam tanquam ad vltimum finem, non vult Deum habere tanquam vltimum finem, sed potius se auertit ab illo, & consequenter opere ipso non vult illum esse Deum suum; quod si peccator necem non intulit Deo, hoc certe non fuit, quia ipse non institit quantum potuit, vt illum occideret, sed quia cum Deus ipse immortalitatis suæ armis munitus sit telum a peccatore sibi immissum nocere non potuit.

§. V.

QVinto. Cogita cum mortaliter peccasti grauissimè te offendisse vnitatem diuinæ naturæ, Trinitatem personarum, & omnia, & singula eius attributa, ita vt cum Deus totus in te benefaciendo incumbuerit, tu eundem totum grauiter offenderis, nullam eius perfectionem immunem relinquens, cui iniuriam non intuleris; in primis offendisti vnitatem diuinæ naturæ, quia tot Deos tibi constituisti quot fuerunt creaturæ, ad quas diuina mandata violans te conuertisti, vnde sicut qui tentaret in Regno alium Regem introducere, cum vnicus tantum debeat esse Rex legitimus, manifeste proditor esset, ita vnius Dei proditor fuisti, dum conatus es illi adiungere in sociam creatu-

ram, quæ est infinitæ vilitatis, imitatus in hoc Philisteos, qui Idolum Dagon in socium dederunt arce testamenti.

§. VI.

SExto. Cogita ex eo peccatum mortale magnam grauitatem contrahere, quod tendat aduersus sanctissimam Trinitatem, quæ te ad imaginem suam creauerat, & in te tamquam in templo sibi sacro habitabat, offendisti Patrem, qui sic te dilexit, vt filium suum vnigenitum tibi daret; offendisti filium qui humana carne indutus pro te sanguinem effudit; offendisti Spiritum Sanctum, qui cælestia sua Charismata in baptismo tibi contulit, offendisti deinde singula Dei attributa, & perfectiones; etenim sapientiam offendisti, per quam Deus videt cuncta, quæ fiunt, attende ergò grauitatem tui peccati, quod non erubuisti peccare coram oculis ipsius Dei te aspicientis, non solum ex throno gloriæ suæ, sed ex proximo cum ubique sit, itaque adeo Deum despexisti, & paruipendisti, vt quod in conspectu alterius hominis attentare non auderes, id coram oculis Dei facere non dubitasti, & vt vno verbo dicam, sic erga Creatorem tuum te gessisti, ac si Deus ligneus esset non videns, nec sciens; offendisti Dei immensitatem, etenim Deus ob suam immensitatem est intra animam, & corpus tuum, & omnia eius membra, multoque magis illa penetrat quam anima corpus, vnde sicut corpus est habitatio animæ, ita vtrumque est habitatio Diuinitatis in te commorantis per propriam suam substantiam, sicut adest vbique; quare cum corpus tuum, & animam peccatis commaculasti, Deo præbuisti hospitium sordidum, infinita eius puritate indignissimum, simulque cum illo in eamdem habitationem recepisti dæmonem, & peccatum ipsum mortale, infæstissimos eius hostes; offendisti diuinam omnipotentiam, dum diuino eius concursu abusus es ad
Isa. 43. scelera tua patranda, de quo ipse tanquam de grauissima iniuria conqueritur dicens, *seruire me fecistis in peccatis uestris*; offendisti diuinam eius prouidentiam, nam ab ipso die quo te creauit sollicitam curam gessit, vt tibi prouideret tam in rebus naturalibus, quam supernaturalibus, a multis malis te liberauit tam corporalibus, quam spiritualibus, beneficia multa contulit; eo tamen vsque peruenit tua ingratitudo, vt illo semper tibi benefaciente, semper in eius offensione libenter manseris, *Hec-*
Malac. 2 *cine reddis Domino, homo stulte, & insipiens: Nunquid non Deus unus qui creauit nos*: Offendisti diuinam charitatem dum Deo ab æter-

æterno te amante tu illum opere ipsum oderis,& tamquam si aliquid odibile esset, & omni bono carens ab illo te auertisti, illum contempsisti, & flocipendisti, manifestoque insuper periculo te exposuisti Deum in æternum odio habendi, si enim in eo peccato ex præsenti vita discederes, per totam æternitatem Deum odio haberes, & perpetuo illi malediceres, & contra illum blasphemares. Offendisti infinitam eius misericordiam, nam cum ipsa diuinam iustitiam continuerit, quę aduersum te clamabat, vt ad primum, vel secundum peccatum mortale in æternos cruciatus te detruderet, tu loco gratificandi huic infinitæ misericordię, inde ansam sumpsisti ad licentiosius viuendum, & quanto cognouisti Deum promptiorem ad miserendum, tanto te audaciorem ad peccatum reddidisti, propter quod commeritus es, ne Deus in te oculos suæ misericordiæ vmquam conijceret. Offendisti diuinam patientiam, quæ tanto tempore te sustinuit, prauæ tuæ vitæ emendationem expectans, tu vero interim toties in eadem, & non semel in deteriora crimina prolapsus fuisti; offendisti diuinam pulchritudinem, postponens illam pulchritudini creaturarum cum reuera incomparatione diuinæ pulchritudinis, creata omnis pulchritudo turpitudo sit, ex quo indignum te fecisti videndi perclaram visionem diuinam pulchritudinem cum illam sic impudenter despexeris, vt creatam illi præferres. Offendisti diuinam iustitiam, quæ cum peccatis tuis vindictam sumere potuisset plectendo te sicut alios, qui propter pauciora peccata iam pœnas æternas sustinent, tu hanc diuinam iustitiam non metuens impudenter diuinæ legis iugum fregisti, & dixisti non seruiam nisi meæ libidini, & meis concupiscentijs; offendisti diuinam liberalitatem, & munificentiam dum Deum, sed, & Deum hominem, & Deum Redemptorem tuum offendisti, ex quo meritò existimabis peccatum tuum maius fuisse peccato Dæmonum, nam illud non fuit contra Deum Incarnatum, neque contra Iesu Christi Redemptionem, qui non est pro illis mortuus, sed contra Deum solum; offendendo autem Christum Redemptorem tuum offendisti sanguinem pro te effusum, omnia eius merita, & acerbissimam, quam per te pertulit mortem, ac tandem offendendo illum pariter offendisti Patrem, Magistrum, Pastorem, Amicum, Regem, ac summum benefactorem tuum; offendisti denique Beatissimam Virginem, cuius ille vnicus filius est: nam qui offendit filium manifeste offendit, & matrem; offendisti omnes Angelos, & Sanctos Dei in Regia aula assistentes, etenim tamquam boni famuli honorem Domini zelantes iniuriam Domino illatam sibi irrogatam putant,

tant, immo, & omnes Creaturas offendisti dum aduersus earum Creatorem superbè insultasti.

§. VII.

SEptimo. Tanta est grauitas peccati mortalis, vt nullus mortalium, nec Angelorum, nec quantumcumque alia excellens pura creatura iustam, & æqualem satisfactionem Deo pro illo facere potuisset, vnde ad id opus fuit filium Dei fieri hominem, Diuo Anselmo dicente: *Satisfactionem, nec potest facere nisi Deus, nec debet nisi homo; necesse ergo est, ut eam faciat Deus homo.* Perpende igitur magnitudinem debiti, quod solus Deus ad æqualitatem persoluere potuit, quod si his adiungas adeo grauem morbum esse peccatum, vt ad eius curationem Deus adhibuerit totam seriem passionis Christi vsque ad profusionem sanguinis, & animæ, facile inde colliges infinitatem malitiæ peccati mortalis, pro quo abolendo tam dira tormēta passus est filius Dei.

D. Anselm. lib. 2. Cur Deus homo c. 6.

§. VIII.

OCtauo. Grauitatem peccati mortalis colliges ex magnitudine supplicij, quo Deus in hac vita punit peccatum: etenim in primis priuat illum speciali inhabitatione Spiritus Sancti, immo, & omnium trium Diuinarum Personarum, quæ in anima comorabantur, iuxta illud. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Priuat illum aurea veste gratiæ sanguine Christi tincta, priuat pretiosis monilibus Charitatis donorum omnium Spiritus Sancti, & multarum aliarum virtutum, quibus expoliata anima, quæ antea niue candidior, nunc carbonibus nigrior, & turpior remanet, quod si fides, & spes non priuat peccatorem, hi tamen habitus manent priuati nitore, & vita gratię, vnde, & illis mortem intulit; repellit deinde Deus peccatorem ab amicitia, iura, fauorem, ac studium, & amorem quo ipsum mirifice complectebatur, in inimicitiam, & horrendum odium commutat, vita supernaturali illum priuat, nec non Iure quod habebat ad vitam æternam consequendam, & quod horrendum magis sæpe in pænam vnius peccati permittit misere labi in alia deteriora, denegans auxilium efficax quo illa vitaret: incurrit insuper peccator alias plures pænas, nam per peccatum mortale se excæcat, vt ipse fatetur Esayæ 30. *Palpauimus sicut cæci parietem.* Erroribus multis se inuoluit, vt ipse experitur: *Errauimus a via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis.* Manet stultus Salomon dicente:

Esa. 30. Sap. 4. Prou. 4.

dicente: *Stultus illudet peccatum*. Sponte vult esse pauper, cum possit esse diues, facit se Diaboli mancipium, cum possit esse aulicus Dei immo, & filius eius adoptiuus, & cum liber esset libertate seruorum Dei sub dura Sathanæ captiuitate degere insipienter eligit, & cum pulcher esse posset in oculis Dei se fœdissimum reddit, & imaginem Beatissimæ Triadis, quam illa in eo impresserat, valde deturpat, charactere Diaboli illam deformans, mala deinde conscientia vehementer illum torquet: *Arguet te malitia tua increpabit te*. Vnde recte D. Ambrosius dixit: *Nulla pœna est grauior vulnere conscientiæ, nec ullum seuerius iuditium, quam domesticum*. Pręterea voluntas peccatoris magnam iacturam sustinet, etenim cum peccatū originale illam grauiter labefactasset, certe peccatum actuale mortale grauius adhuc illā labefactat reddens eam odibilē magis Deo, & ad malum proniorē, & quod deterius est, illam indurat tamquam saxum, & sicut incudē, vt dixit Iob: *Cor eius indurabitur tamquam lapis, & stringetur quasi malleatoris incus*. Insuper etiam peccatū mortale graue nocumentū infert memorię, etenim peccator cum à Deo habeat memoriam nullius tamen minorem memoriam habet quam Dei, causat igitur peccatū in memoria obliuionem Dei, eiusq; beneficiorū, quattuor nouissimorū, ac tādem eum a cogitatione auertit, q̄ ad respiciendū impellere possent, ad quod respiciens Dauid dicebat: *Intelligite hæc, qui obliuiscimini Deū, ne quando rapiat, & non sit qui eripiat*. Ac tandē potentias sensitiuas valde lædit, cū ad praua obiecta procliuiores illas reddat, concupiscibilē prouocat ad Venerea, & ad suauia: Irascibilē ad iracūdiam, ad rixas, & odia, ac tandē sensus externos liberiores, & effrenatiores ad conspirandū contra animā efficit, hæc pertinent ad pænam huius vitæ, supplicia aūt, quibus Deus post mortem aīam punit, hęc sunt. Primus, ac satis graue cōfusio, quam patitur aīa decedēs in peccato mortali, cū in particulari iuditio cōparet ante Tribunal supremi Iudicis, quē grauiter offenderat, tunc agnoscit Iudicē iratum diffinitiuā, & irreuocabilē æternę mortis sententiā contra illam ferentē, agnoscit se priuatū esse omni subsidio, & defensione, aut fauore ad placandam irā Iudicis. Secundus supplicium est, ꝙ priuat illā Deus in æternum visione, & fruitione sui vltimi finis, qui cū sit summum bonū non pōt priuatio eius non esse summū malū. Tertius, supplicium est interna tristitia, & vermis conscientiæ immaniter cruciās illam. Quartus est, ꝙ ad ęternas flammas illam destinat, & post resurrectionem vniuersalē; non solum anima, sed & corpus tradit Dæmonibus sæuissimis tortoribus, acerbissimis tormentis cruciandum, q̄ nec vmquā intermittētur, aut minuentur. Accedit his aliud intolerabile malum, ꝙ mihi

Prou. 14
Ierem. 2.
D. Amb. lib. 3. off.
Iob 41.
Psal. 49.

ingen-

ingentem horrorem incutit, quod cõe erit in inferno omnibus reprobis, nimirũ quod ab odio Dei numq̃ cessabunt, & ab illo maledicẽdo, & procaciter blasphemando: qs non colligat ex infinitate tã horrendæ pęnæ infinitatem iniuriæ illatæ Deo, q̃ tantum mæreẽ supplicii Quod si ea molesta cogitatio te vexauerit, quõo Deus cũ iustus sit, vnum solum peccatum mortale tam ingẽti pęna castigat, delectatio.n. fuit momentanea, & tam pęnam infert æternã, huic cogitationi in hunc modum rñde, imò quia Deus iustus est, idcirco quodlibet peccatum mortale punit ęterna pęna, nam licet breuis sit, & temporanea delectatio, tñ peccans mortaliter quantum est ex parte sua, auertit se a Deo vltimo fine suo in æternũ: & postea non pęnitens consequenter vult formaliter, vel interpręt atiuè p totam æternitatem manere in illo peccato, vnde sicut auersio illa fuit in æternũ, quantum est ex parte sua, & insuper mala illa voluntas permanendi in peccato se extendat ad totam æternitatem, ita Deus iustè pęnam illi respondentẽ protẽdit in æternum.

§. Vltimo.

EX his aũt meditationibus, q̃ ad sui ipsius, & peccati cognitionẽ pertinent, sequentes debent in voluntate excitari effectus. Primus est, infinitã laudare Dei liberalitatem, bonitatẽ, & omnipotentiam Creatoris tui, qui non dedignetur, sed paratissimus sit cęlestia sua bona, & se ipsũ impertiri, tã vili, tã abiectę, ac tã turpi creaturę. Secũdus effectus est cõtẽptus tui, & cuiuscunq; honoris, recognoscẽdo se indignũ esse oĩ humana ęstimatione. Tertius, cõtritio de peccatis, seu quod idẽ est dolor de peccatis pp Deũ summè dilectũ. Quartus, odiũ sui ipsius, ex quo nasceẽ ardens desiderium vindictę aduersus te ipsũ, q author fuisti tot iniuriarũ ɔ̃ Creatorẽ tuũ, necnõ aduersus corpus, & sensus tuos, quibus velut instrumẽtis abusus es ad tot scelera patrãda. Quintus est timor reijciendi in similia peccata, & metus diuinã amicitiã amittẽdi. Sextus est fiducia ĩ Deũ, quod tametsi fragilis sis, poteris nihilominus Diuino ĩnitẽs auxilio oẽs vincere tentationes, ac vitare oĩa peccata, q̃ te a Deo auertũt, etenim sicut oĩnò verũ est nihil boni ex te solo posse operari, ita verissimũ est, te oĩa posse in cõsortio Dei te adiuuãtis, vt di-
adPhil.4 cebat Paulus; *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Tandẽ multiplex petitio & obsecratio enixe postulãs a Deo, vt cũ ipse probè agnoscat tuàm infirmitatem, & insufficientiam ad fugiendum malum, & prosequendum bonum, dignetur te efficaciter auxiliari, necnõ ad Beatam Virginem, Angelum tuum custodem, & alios Sanctos, vt tui miserentes speciali cura te protegant, & propterea intercedant. De modo autem practicandi hos affectus dicemus Libro Vltimo.

PRA-

PRAXIS ORATIONIS MENTALIS.

Liber Secundus.

CIRCA QVATTVOR NOVISSIMA.

Apponitur materia meditationis circa mortis Nouissimum. *Caput Primum.*

PRimo. Considera adeo vtilem esse recordationem mortis, & reliquorum Nouissimorum, vt Spiritus Sanctus dixerit: *Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis*. Tantum enim horrorem incutit terribilitas mortis, sæuerum Dei Iudicium, æternæ pœnæ cruciatus, vt vix fieri possit, qui horum memoriam refricauerit, peccato aliquo mortifero se contaminare; atq; hinc est, quod Diabolus probe intelligens, nihil esse, quod violentius, certiusque animas sibi e manibus extorqueat, quam mortis recordationẽ, nihil intentatũ relinquit, quo hanc ex hominũ animis oĩno deleri posse putet. Sperat enim imò certò sibi psuadet, cum hoc assecutus fuerit, nullo se negotio cætera omnia assecuturum, breuiq; huiusmodi obliuiosos validissimis vitiorum vinculis sibi fore obstringendos, ad quæ soluenda, perfringendaque, viua perpetuaque mortis memoria potentissima est. Vnde D. Augustinus in speculo peccatoris cap. 5. ait. In illà nimis metuenda extrema hora tua, quis amicorum, quis parentum tuorum veniet cum gladijs, & armis auxilium ferre? Non erit enim tunc

Eccl. 7.

qui

qui consoletur te ex omnibus charis tuis: Respicientibus etiam ad auxilium, & adiutorium hominum, sed refugium tuum tantummodo est apud Deum. Cogita igitur tecum, charissime: quo timore timendus, quo amore diligendus, quo honore reuerendus sit ipse Dominus Iesus Christus Deus noster, qui salutis præsidium solus præstare poterit post mortem. Reduc ergo, fili mi sedulus in memoriam illum extremum exitus tui diem, & antequam misera anima tua de carcere carnis exeat, prouideas quo vadat. Istius modi recordare contritionem concipit, contritio compunctionem parit, compunctio contemplationem, scilicet pium, & humilem affectum in pium Deum, videlicet ex fiducia, & adiutorio diuinæ bonitatis, & clementiæ humilem considerationem propriæ fragilitati, & miseriæ.

Secundo. Cogita magnam adeo esse incertitudinem tuę mortis, vt non solum hora, aut dies, sed neque annus certo cognosci possit, Christo Domino dicente: *Vigilate, quia nescitis diem, neque horam*. Hanc autem incertitudinem puto esse valde vtilem, quia nisi insensati simus, certe illius incertitudinis formido, perpetuam in nobis æternæ salutis procurandæ sollicitudinem excitabit, & à via vitiorum absterrebit, etenim sicut permultos inopinata mors occupauit dum erant in peccato mortali, & nunc in infernum ardent, & ardebunt in æternum, idem sane tibi contingere poterit; sic ergo licebit viuere, vt quantumcumque repente, & præter opinionem superueniat mors, non imparatum te inueniat.

Matt. 24

Ad Heb. 9.

Tertio. Cogita verba Diui Pauli dicentis: *Statutum est hominibus semel mori*. Non contentus fuit Apostolus dicere: *Statutum est hominibus mori*: Sed sapienter addidit (semel) quasi diceret aduerte fili, non bis, sed vice vna tantum tibi moriendum esse: si bis tibi daretur mori, errorem, quem commisisses in prima morte, resarcire, & corrigere posses in secunda: cum autem statutum sit hominibus semel mori, omnino tibi præcluditur via ad restaurandam iacturam factam in prima morte, necesseque erit, vt tunc spem omnem salutis æternæ consequendæ, aut quoquo modo miseriæ tuæ reparandæ amittas.

Quarto. Considera terribilitatem mortis, quam ex ijs quæ subijciam facile deprehendes: internis oculis respice hominem discumbentem, morti proximum, voce destitutum, fractis oculis, naribus auribusque rigentibus, fronte macie extensa, collapsis genis, ore distracto, bracchijs, ac tibijs porrectis, manibus pedibusque emortuis facie totoque corpore cadaueris instar pallente, & exiuco. Deinde ad interiora mentis oculos conuerte:

uerte:

uerte: Vide internam animi agitationem, & luctam diuersarum cogitationum cruciantes anxietates, variarum vndique impugnationum incursus, quæ modo ad desperationem, modò ad nimiam confidentiam moribundum adigunt. Hinc rigidi iudicis obijcitur terror, inde immites infernorum pœnæ, hinc peccatorum ingens multitudo, inde immanis eorum malitia, & grauitas: quæ omnia assiduis dæmonis impugnationibus infæstius ingeruntur. Contemplare internam hanc, externamque miseri hominis constitutionem, deinde considera dæmonum opprobria, accusationes, criminationes, ad desperationem instigantium: attende insuper, quam grauiter te torquebit bonorum operum prætermissio: omnium scelerum, quæ inuita commisisti memoria; abiectio diuinarum inspirationum: terribilis imminentis Iudicij Dei recordatio, ac ressolutionis corporis in vermes, & puluerem; via incognita, qua tibi ingrediendum est, & incertus exitus vitæ, aut mortis æternæ causæ tuæ ambiguitas, cum ex vna parte certò scias multa mortifera peccata commisisse, an vero pro illis satisfeceris ignatus sis, nam etiam quantumcumque demus Sacramenta receperis, an vero digne ignoras, itaque scis Deum a te offensum, nescis placatum ac formido tandem in æternas pœnas incidendi.

Quinto. Cogita quam impotentes in illa hora sunt ad tibi succurrendum diuitiæ, honores, amici, & reliqua omnia, quæ tibi grata erant, quam multum autem proderunt, subuenient, & consolabuntur bona opera, quæ patraberis; curare igitur debes, vt nunc facias, quæ te fecisse in hora mortis placebit, & nunc abstineas ab his, quæ in vltima illa hora abstinuisse gratissimum erit. Cogita post mortem, quam facile tui memoria ex mentibus hominum euanescet, si tamen iustus fueris Deus singularem tui memoriam in æternum habebit, vt loquitur Dauid: *In memoria æterna erit iustus ab auditione mala non timebit.*

Sexto. Compara cum morte iustorum mortem impiorum, ac vtrorumque in suprema hac hora, in rigido hoc iuditio animi constitutionem. Iusto mortem inuenies esse omnium ærumnarum terminum, finem voluntariorum cruciatuum, quibus se ipse Dei amore affligebant, nec non lachrymarum ieiuniorum, præcationum, curarum, ac formidinum: initium quietis, aditum æternorum gaudiorum, sempiternæque securitatis, quam nulli vnquam luctus, nulli pauores, nulla anxietates interpellare possint; côtra vero videbis improborum mortem esse omnium huius vitæ gaudiorum terminum inopinum, gloriæ, dignitatis, opum, voluptatum, interitum, extremorum autem malo-

rum principium, aditum ad sempiternam accusantis conscientiæ carnificinam, ostium ad nunquam finienda æternorũ ignium supplicia, quæ statim a morte intererimo dæmonum, omniumque damnatorum consortio, inter assiduas execrationes, probra, maledicta in Deum resque omnes creatas, perpetuo sustinere incipient.

Ps. 115. Septimo. Attente considera verba Dauidis: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius*. Et illa Ioannis: *Amodo iam dicit Spiritus, vt requiescant a laboribus suis opera enim illorũ sequuntur illos.* Apoc. 14. Sicut autem bona opera sequuntur iustos, eosque concomitantur, ita scelera, & peccata sequuntur peccatores; illa clamant ęternam vitam animæ dandam, hæc mortem æternam eis inferendam. Tandem instanter postula a Christo Domino, vt propter acerbissimam suam mortem præstare tibi dignetur mortem pręciosam in cõspectu suo, eligeque tibi patronos Beatam Virginem, Angelum Custodem, & alios sanctos eos enixe deprecans, vt in angustijs mortis destitutum non te deserant, sed misericorditer tibi subueniant, & opitulentur.

Apponitur materia meditationis circa Iudicium finale. Caput II.

De Iudicio Particulari.

§. I.

COgita, quod cum primum animæ vnio cum corpore dissoluitur continuò presentatur ante tribunal Dei, adstant enim homini moribundo Dæmones, & Angeli Sancti, si anima recedit in gratia, portatur ab Angelis, si in peccato a Dæmonibus, qui tunc, quasi leones rugientes acriter illam accusabunt de omnibus, & singulis peccatis ab eo commissis.

Cogita in tremendo illo tribunali neminem tibi opitulari posse, neminem aliquem tibi fauorem impendere ad impetrandam peccati alicuius veniam; non proximos, non amicos, non tibi caros, imo nec Sanctos, nec ipsam Beatissimam Virginem, Salomone dicente: *Non parcet in die uindictæ, nec aquiescet cuiusquam precibus, nec suscipiet pro Redemptione*. Prou. 6. Similiter cogita nihil tunc valere preces, animi gemitus, aut seram peccatorum detestationem: qua propter dum tempus suppetit oportet pænitentiam agere,

agere, & de vitæ emendatione sollicitum esse. Cogita tibi reddendam esse rationem de omnibus operibus tuis, de omnibus facultatibus, & potentijs, de omnibus bonis tam naturalibus, quam supernaturalibus tibi præstitis, ac tandem tibi reddenda est ratio de benefitio Incarnationis, de sanguine Christi effuso in passione, de Sacramentisque quibus vsus es, & spetialiter Eucharistiæ, ac tandem de omnibus, & singulis benefitijs quæ à Deo accepisti. Cogita sententiam dandam a supremo Iudice, vel ad æterna supplicia, vel æterna gaudia continuo fruenda, nisi purgatorio opus habeat ad expiandas pænas pro peccatis debitas, quibus non satisfecerat in vita, & ad venialia peccata delenda, quorum displicentiam non habuit; Cogita etiam adeo terribile esse purgatorium, vt omnia huius vitæ tormenta, ac animi, & corporis afflictiones cum ijs, quas patiuntur ibi animæ, nulla ratione comparare possint, quæ certe cogitatio merito mœrorem incutere deberet, tum ad sollicite fugienda etiam minima peccata, & ad varia opera satisfactoria adhibenda, ne in horrendos illos cruciatus incidamus, cum per breues quasdam huius sæculi afflictiones eos declinare facile possimus. Cogita longe mitiorem doloris sensum fore eius, qui aliquot annorum lustris igne hoc nostro viuus vreretur, quam qui vnico tantum die purgatorij cruciatus sustineret. Quam temere nos ea scelera perpetramus, quę ibi multorum annorum incendio erunt expianda.

Cogita quam eum excordem duceremus qui sarmenta, & ligna, quibus exurendus ipse esset, magno labore comportaret? Multo eorum dementior vecordia, qui cum sciant peccata esse fomitem, ac nutrimentum terribilis illius incendij non omni industria hanc à se ignium materiam abolere contendunt. Cogita pariter adeo formidolosum, & horrēdum esse purgatorium, vt ab inferno damnatorum non differat nisi duratione, quod ille sit infernus æternus, iste temporalis; nam quod attinet ad substantiam vtriusque pænæ tam damni, quam sensus vtraque est eiusdem rationis vtrobique, cum & animæ iustorum in purgatorio ignis cruciatus sentiant, sicut, & animæ damnatorum in inferno, & aliquando etiam intensiores quam illę, & insuper etiam affligantur ob carentiam ad tempus diuinæ visionis in pænam suorum peccatorum, in quo proprie, & essentialiter consistit pęna damni: & quidem quanto maiori Charitate animæ præditæ fuerint, tanto magis tristabuntur ob dilationem visionis Dilecti sui, & consecutionis sui vltimi finis, cui semper adhærere ardenter cupiunt: Accedit ad dolorem augendum,

quod sæpe ignorent quanto durare debeant illi acerbi cruciatus.

De Iudicio Vniuersali.

§. II.

Cogita Primo. In iudicio vniuersali ab omnibus apparituram Crucem Christi, & ab omnibus videndam, vt ipse prędixit: *Tunc apparebit signum hominis in cælo.* Quamuis autem crucem illam apparituram multi existiment futurum esse signum crucis visibile in aere formatum, D. tamen Chrysostomus homilia de Cruce, & latrone, putat ipsammet crucem, in qua Christus pependit, compactam ex omnibus particulis collectis, quæ per vniuersum mundum dispersæ sunt apparituram fore, quod etiam tradit D. Ephrem lib. de vera pænitentia cap 4. & ante illos prędixerat quædam Sybillarum lib. 6. in fine: Imo D. Thom. opus. 2. cap. 144. docet, quod veniente Domino ad iudicium simul cum Cruce ostendenda sunt, & deferenda alia passionis insignia: apparebunt autem quia cum omnes, qui mortaliter peccarunt Christum iterum crucifixerunt, vt ait D. Paulus, tunc erubescant, & confundantur, vt Christus Dominus prædixit; *Tunc plangent omnes tribus terræ;* Vnde D. Augustinus dixit, quod tunc peccatores videbunt accusatorem suum, idest ipsam Crucem, quę eius peccata absque lingua vehementer arguet, apparebit tamen ad consolationem, & gaudium iustorum videntes enim signum, & instrumentum suę Redemptionis singulari iubilo afficientur, quare multi non incongrue opinantur sacrũ illud Crucis lignum perpetuo in cælis conseruandum incorruptibilitate donatum, & fulgentissimis lapidibus exornatum eo, quod speciali modo fuerit instrumentum humanę Redemptionis, & vexillum supremi Ducis Christi Domini, quo gloriosissime hostes suos superauit.

Matt. 24 · *D. Chrys.* · *D. Ephré.* · *Sibilla.* · *D. Thom.* · *Ad Heb. 6.* · *Ser. 130. de tẽpore*

Secundo. Cogita mirabile illud mortuorum vbique ad vitam redeuntium spectaculum: intuere diuersos singulorum vultus, plerosq; pauidos, anxios, atque proferendæ mox sententiæ expectatione conturbatos, alios securos, hilares optimæ spei plenos. Attende improborum corpora, & animas quanta se inuicem execratione detestentur, quod sibi mutuo æterni exitij causam attulerint, cum e diuerso inter Beatorum animas, & corpore summa futura sit pax, & lætitia, ex mutua inter eas congratulatione, quod coniunctis studijs inuicem sibi salutis, beatitudinisque comparandæ instrumenta fuerint.

Tertio.

Tertio. Cogita tunc nullam futuram esse differentiam inter potentissimos Reges, & vilissima mancipia, inter diuites,& pauperes,inter nobiles,& ignobiles, inter honorificos, & despectos, inter sapientes,& ignaros,litteratos,& illitteratos,pulchros,& turpes,solum illud discrimen attendetur bonorum,scilicet & malorum operum,vt enim dixit D.Ioan. *Opera illorum sequuntur illos.* hęc sunt, quæ illos discernunt. *apoc.14.*

Quarto. Cogita,quod cum creaturę omnes fuerint instrumenta,quibus homines diuina liberalitas dona sua distribuit,& ex alia parte peccatores illis abusi fuerint cũ graui Creatoris sui iniuria, eædem creaturæ ad vindictam de eorum sceleribus sumendam se accingent. Tunc elementa omnia insolitis motibus agitata in hominem conspirabunt ; subsident montes, valles exagerabũtur, Sol obscurabitur,Luna non dabit lumen suum,Stellæ cadent de cœlo, mare horribili murmure vlulabit, trepidabit tellus, imò totus mũdus concutietur : quo quęso te in communi hac omnium perturbatione conuertes? quo tum pauore, qua anxietate, quanta consternatione confrueris, cum elementa,cęlum, sydera omnia luctari conuellíq; conspicies.

Quinto. Cogita Christum Dominum venturum ad iudicium in summa maiestate, & splendore Angelicis spiritibus stipatum, qui tunc apparebunt in lucidissimis, & pulcherrimis corporibus ab eis assumptis vt videri ab omnibus possint,ad eum certe modum,quo in pompa Ascensionis Christi visi sunt Angeli in vestibus albis: maiestatem hanc prædixit Christus Dominus dicens : *Videbunt filium hominis uenientem in nubibus cęli, cum uirtute multa,& maiestatè.* Et infra. *Cum uenerit filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ.* Quæ sanè maiestas, pompa, & apparatus , quanto iustis grata, & lęta, tanto peccatoribus erit tristis, & ingrata ; Christo autem existente in suo Tribunali,cuncti ante illum comparebimus D. Paulo dicente; *Omnes nos manifestari oportet ante Tribunal Christi,ut referat vnusquisque propria corporis, prout gessit,siue bonum,uel malum* : Ibi autem non solum iusti, sed & peccatores videbunt Christum Dominũ, sed isti cum summo mærore iuxta illud Matth.26 *Videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei , & uenientem in nubibus cœli* ; Videbunt,inquam,humanitatem eius, & externam gloriam, claritatem,& maiestatem,vt docet S. August.in Psalm.85. Videbunt autem Christum Dominum quinque passionis suæ stigmatibus insignitum,velut quinque fulgentissimis Pyropis exornatũ,quorum aspectus quanto iustis erit amabilis, tanto iniustis terribilis, cum in memoriam reducant post tantos labores, a Christo per-

Matt.24 *Matt.25* *2. Cor.5.* *Matt.26* *D. Aug.*

pessos

pessos nihil inde vtilitatis illos decerpisse, sed æternis potius flammis mancipari. Ex quibus conijcies, tribus de causis vniuersale hoc Iudicium instituendum, nimirum ad reproborũ ignominiã, & confusionem, ad iustorum lætitiam, & solatium, & ad Christi gloriam, & maiestatem cunctis hominibus manifestandã: Considera deinde quantum peccatoribus ruborem incutiet ipse clementissimæ Dei genitricis aspectus, cuius propensam in ipsos beneuolentiam toties ab illis neglectam videbunt, nec minus etiam pudore nos suffundet, innumera adstantium Angelorum multitudo, ac præcipuè Angeli nostri Custodis præsentia, qui tum ex patrono accusator factus, toties salutares suas cohortationes, consiliaque, magna nostra socordia repudiata fuisse arguet: insuper etiam conturbabit eos prçsentia eorum, qui Deum sanctè in vita coluerunt.

Sextò. Cogita tunc ad notitiam singulorum peruentura esse cuncta tua & cuiusque peccata, etiam cordis, siue mortalia, siue venialia, illud tamen erit longum discrimen inter peccata Iustorum, & peccatorum, quod his publicatio delictorum, causa erit summæ erubescentiæ, & confusionis, illis verò delicta nullam confusionem parient, quia manifestabuntur vt deleta per pæni-
Psal. 31. tentiam: ad illos enim pertinet. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates.* Vnde sicut modo D. Petrus, & D. Magdalena nullam patiuntur confusionem ex eo, quod in Ecclesia fiat publicatio suorum peccatorum, ita nec tunc illam sustinebunt Sancti.

Mag. sẽ. Ego verò opinor cum grauissimis DD. vero simile esse pecca-
ĩ 4. di. 43 ta iustorum in Iudicio non esse reuelanda, iuxta illud Isaiæ 43.
Vguerio *Ego sum, qui operio iniquitates tuas.* Et alibi; *Obliuione traditæ sunt an-*
c. 21. §. 3 *gustiæ priores, & absconditæ sunt oculis nostris.* Et illud D. Petri. *Cha-*
vers. 8 et *ritas operit multitudinem peccatorum.* Quare cum Ecclesiasticus ait.
Somnius *Cuncta, quæ fiunt adducit Deus in Iudicium pro omni errato siue bonum,*
tract. de *siue malum sit.* Et alia similia ex Matth. & D Paulo intelliguntur
extr. iud. satis probabiliter de Iudicio particulari, non de vniuersali.
c. 6. Septimo. Cogita post manifestationem causæ, quæ sunt pecca
1. Pet. 4. ta, vel bona opera, superesse iudicium, quod per sententiam diffi-
Eccl. vlt. nitiuam consummatur, vnde Ioan. dixit; *Aperti sunt libri*, continuo
Matt. 12 subiunxit, *Et iudicati sunt mortui ex ijs, quæ scripta sunt in libris secũdum*
2. Cor. 5. *opera ipsorum.* Quamuis autem omnes mali vnica generali sen-
Apo. 20 tentia iudicandi sint & similiter omnes boni. *Ite maledicti in ignem*
Matt. 25 *æternum. Venite benedicti Patris mei, &c.* Singuli tamen particularem sententiam suam audient accommodatam vniuscuiusq; bonis, vel malis meritis, hęc autem particularis sententia præcedet generalem, & vniuersalem: in vtraque tamen considera, in supre-

mo

mo Iudici eam ferrenti nullum posse resistere,& cum ipse sit supremus Dominus ad nullum superiorem posse fieri appellatio ẽ; vnde eius sententia semper firma, & stabilis permanebit absque vlla tergiuersatione,eiusque executio tam diu durabit, quam diu Deus permanebit.

8 Cogita prolata sententia,statim aperiendam terram,vt damnatos deuoret,& ipsi horribili fragore,ac vlulatu in ignem ęternum pręcipitabuntur. Beati vero e contra in Consortio Christi recipientur in Cœlum gaudentes, non solum de eorum gloria, sed & de pęna reprobis illata,& in ęternum inferenda iuxta iustissimum Dei decretum, cuius voluntati necessario ipsi conformantur.

De Materia Meditationis circa Infernum.
Cap. Tertium.

De Pæna Damni, & illi annexis.

§. I.

POena damni consistit in carentia assecutionis vltimi finis, seu in priuatione visionis, & amoris Diuinæ essentiæ, ex quo coniectari licet ex multiplici capite,quam sit horrenda pœna damni.

Primò. Nam quanto excellentius est bonum, quod amittitur, tanto maior est pæna amissionis illius,cum ergo Deus sit summum,& infinitum bonum, non potest non summam inferre pænam, quod culpa tua tantum bonum amiseris.

Secundo. Cogita quomodo illud maxime excruciabit, quod ob breuissimas, & fugacissimas delitias, siue honoris, siue libidinis, siue diuitiarum, amiseris fruitionem Dei, per totam ęternitatem duraturam.

Tertio. Cogita animam ab ea cogitatione valde torquendam, quod certissime agnoscat iacturam illam salutis suæ æternæ, & amissionis Dei omnino esse irreparabilem, quia sententia diffinitiua Decreti diuini, destinantis illam ad æternam pænam damni est immutabilis.

Quarto. Cogita ab ea cogitatione mirum in modum vexandum fore animam, quod Deus per totam æternitatem intestino odio illam prosecuturus est,& vicissim ipsa a Creatore suo odiendo,

Collige acerbitatem pęnarum Inferni ex circunstantia loci, locus est profundissimus terrę, in quem cum in die Iudicij purgabitur Mundus, omnia stercora, & fęces in eum confluent per hiatum ad id aperiendum: sed id parum est; oculos conuerte in ęstuantes fornaces: in igneos voragines te ingere, inijce te toto corpore in igneos istos liquidi ferri, ac æris fluuios: in ardentia pice, ac sulphure balnea: amplectere candenti ære conflatas tormentorum Officinas, igneos bufones, serpentes, scorpiones, Dracones, qui fauces suas aperientes Damnatorum corpora deglutient; quod si horrorem incutit, deuorari velut Ionam a Balena, quem dolorem inferet deuorari ab immanissimo Serpente vndequaque ignem spirante. Accedit his contubernium perpetuum cum Dæmonibus, & cum alijs Damnatis mutuo se exprobrantibus, criminantibus, & maledicentibus; sunt etiam, & alia ibidem tormentorum genera non minus his immania, nam in ardentissimis illis ignibus, quidam sunt suspensi, quidam prostrati, quidam in verubus assantur, quidam in feruentibus aquis elixantur, alij ęneis fornacibus inclusi excoquuntur: alij in igneo flumine, plumbo, ferroque liquato, pice, sulphure, similibusque flammarum nutrimentis ardenti, ennatantes, & peros, oculos, & nares, magnam partem illius liquoris sorbentes, & vt paucis multa dicam, excogita trucullenta omnia tormenta, quę Tyranni Martyribus intulerunt, & alia quæcumque sæuiora, & tibi certò persuade comparata ad ea, quibus Damnati in Inferno puniuntur, ludum, aut puram Imaginem esse. Tandem cogita, qui fieri possit: vt is se peccatis obstringat, qui certo sibi persuasit, huiusmodi supplicia post hanc vitam peccantibus esse præparata, & quomodo stupore, & formidine non contabescat, qui hanc tormentorum immanem æternitatem secum attente expendat; si durum esset tibi nunc cogere te, vt manibus ignem contrectares, aut nudis pedibus super illum pedetentim ambulares, qua ratione sustinere poteris inter ardentissimos ignes continuo volutari, quid plura? Si nemo sit, qui continenter integro anno immotus in molli lectulo posset conquiescere; quis tandem non vno anno, sed omni æternitate in flammis perpetuis durare poterit? Quam sane amentes illi, qui exiguos hic labores subterfugiunt, quibus se ab æternis istis cruciatibus expedire possent: quam contra prudentes, qui nullam sibi difficultatem non libenter adeundam putant, vt se a tam diri supplicij expectatione liberent. Ad extremum acerbitatem cruciatum inferni coniectare poteris ex varijs locis Sacræ Scripturæ cuiusmodi est ille: Isayę, *uermis eorum non morietur*. Et ille alter. *Isa.66.* *Isa.65.*

Ecce serui mei comedent, & uos esurietis. Ecce serui mei bibent, & uos sitietis. Ecce serui mei lætabuntur, & uos confundemini. Ecce serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & uos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione Spiritus ullulabitis. Ac tandem ille alius ex eodem
Isa. 30. Isaia. *Nutrimenta eius ignis, & ligna multa, flatus Domini sicut tor-*
Iere. 23. *rens sulphuris succendens eam.* Accedit Ieremias. *Ecce ego cibabo uos*
Psal. 48. *absinthio, & fele.* Accedit Dauid. *Sicut oues in inferno positi sunt*
Matt. 24 *mors depascet eos.* Et Christus Dominus apud Matth. *Ligatis manibus, & pedibus proijcite eum in tenebras exteriores.* Et alibi. *Alligate ea in fasciculos ad comburendum.*

Apponitur materia Meditationis circa Gloriam tam essentialem, quam accidentalem dessumptam ex varijs Metaphoris. Caput IIII.

De Metaphora Regni.

§. I.

QVamuis multifariam, multisque modis, Sacrę litteræ exponant nobis diuitias, ac delitias, quæ in futura vita manent Iustos, illud super omnia vehementius mortalium animos allicit, quod nemo est assequentium vitam æternam qui vere, & proprie Rex non sit, & hæres Regni æterni, quæ veritas plane adeo atque expresse reperitur in Sacris Scripturis, vt nulla tergiuersatione vir Catholicus illam inficiari possit, etenim
Iacobi 2. D. Iacobus in sua Epist. ait. *Elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes Regni, quod promisit Deus diligentibus se.* Et Chri-
Matt. 25 stus Dominus inquit. *Venite benedicti Patris mei, possidete uobis paratum Regnum ab origine Mundi.* Et quamuis verum sit, quod omnes Sancti in cælo seruiunt Christo Domino, simul tamen conre-
App. 21 gnant cum illo, vt dixit Ioann in sua Apocalipsi, nam post verba illa: *Serui eius seruiant illi.* Continuo subiecit illa alia. *Et regnabunt in sæcula sæculorum.* Vnde, & ipse eos facit sibi consedere
App. 3. in Regio suo Trhono, vt pollicitus est in Apocal. Ioannis: *Qui vicerit dabo ei sedere in Trhono meo sicut, & ego Vici, & Sedi cum Patre meo in Trhono eius.* Ex quo manifeste patet eo processisse liberalitatem Christi in præmiandis Iustis, vt cum ipse sit supremus omnium Rex, Regiæ tamen suæ dignitatis, & Regni æterni cuius ipse legitimus hæres est, participes, & Socios effecerit. Vnde D. Ioann.

D.Ioann. dixit. *Ego Ioannes frater vester particeps in tribulatione, & Regno.* Nec putandum est, quod cum Regnum cælorum pene infinitis communicabitur, propterea minuetur ita, vt minus cuique contingat, id enim proprium est terrestris Regni, quod non patitur consortem, & si diuidatur minuitur, sed sicut Sol totus a singulis cernitur, & ipse non minus singulos, & omnes illuminat, quam si vnum solum illuminaret, ita Regnum cęlorum totum ab omnibus, & totum a singulis possidetur, & omnes, ac singuli Beati, sunt proprie integre Reges: deinde illud plane ostendit omnes Beatos esse vere Reges, quod omnes conditiones, quæ desiderantur in Regibus, in illis mirifice præfulgeant. App. 1.

Primo Reges maxime indigent Sapientia hanc tantam hauriunt Beati de fonte diuinæ Sapientiæ, essentiam Dei contemplantes, quantam nec Salomon, nec pura aliqua creatura vnquam habuit.

Secundo. Indigent Reges Sanctitate, & Iustitia, vt nihil dissonum faciant: hanc etiam possident omnes Beati cum peccare deinceps, nec velint, nec possint, fiunt enim ex diuina fruitione omnino impeccabiles, & cum etiam nunquam cessent ab actuali, & fruentissimo amore Dei super omnia, omnino repugnat actualiter alicui bono adhærere contrà legem diuinam, vel præter illam.

Tertio. Indigent Reges Religione: hæc tanta est in Beatis, vt nunquam cessent a cultu diuino, & a clamore illo Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.

Quarto. Ad hæc præcipua Regum bona ad quatuor capita reducuntur, ad potestatem, honorem, diuitias, & delitias: hęc autem in illis valde futilia sunt, & multis permixta miseriis, nam multoties imperant, & non audiuntur: multa perficere cupiunt ad quæ facultas non suppetit: ecce quam diminuta est eorum potestas; Beati autem nihil efficere desiderant, quod non obtineant, & ad quod non suppetat eis facultas honor Regum vanissimus est, cum in quibusdam cultus cęremonijs consistat, quibus subditi eius illum venerantur, Beati autem præterquam ad inuicem magnis honoribus se prosequuntur, mirum in modum honorantur a Deo. quis autem non videat quam magnum discrimen intersit, inter honorari ab hominibus, & honorari a Deo; quod si Reges diuitijs affluunt omnes, sunt caducæ, & tandem morte illis omnibus priuantur, Beatorum autem delitiæ, nunquam sunt perituræ, quod si abundant Reges varijs delitijs, omnes tamen sunt breues, & sæpe animam grauiter maculantes, de-

litiæ vero Beatorum sunt æternę purę, ac Sanctę, & ab omni immunditia alienissimæ, ac tandem omnia bona Regum non sunt pura, & ab omni miseria defęcata, sed admixtam habent frequenter potestas infirmitatem, honor ignominiam, diuitiæ aliquarum rerum indigentiam, & delitiæ tristitias, & mærores, Reges autem Regni cęlorum, quales sunt homines, qui cum Christo Domino regnant, potestatem habent sine admixtione infirmitatis, honorem absque ignominia, diuitias sine alicuius rei indigentia, voluptatem sine tristitia, aut dolore aliquo, vn-
Apo. 21 de Ioannes in sua Apocaly. dixit: *Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, nec dolor erit ultra.*

Quinto. Solent potentissimi Reges ęrarium magnum, aut aliquem Thesaurum habere, sed nullus adeo ingentem illum habuit, qui exhauriri non potuerit, cum finitum per ablationem finiti tandem consumatur. Thesaurus autem, quem Beati possident ita infinitus est, vt quantumuis multis communicetur, non solum non exhauritur, sed nec vlla ratione minuitur; ad
Matt. 13 hoc significandum Christus Dominus comparauit gloriam Beatorum Thesauro abscondito in agro, quem qui inuenit homo abscondit, & præ gaudio illius, vadit, & vendit omnia, quæ habet, & emit agrum illum, Thesaurus significat copiam ingentem auri, argenti, & lapidum prætiosorum. Et vt monet Pau-
ff. de aqu. lus Iure consultus, debet esse tam antiquus, vt eius non extet
rer. dom. memoria: Et ideò non habet proprium dominum, sed iure per-
l. nūquā. tinet ad inuenientem. Hic Thesaurus est ipsa diuinitas quæ abscondita est in agro humanitatis Christi. Vt recte exponunt S. Hilarius, & S. Hieronymus in Commentario ad caput Matth.
Colos. 2. 13. ait enim Apostolus, *In Christo absconditi sunt omnes Thesauri scientia, & sapientia Dei.* Diuinitas autem est verissimus thesaurus omnium bonorum, & vere, tam antiquis, vt nulla eius extare possit memoria cum sit æternus, & sæcula omnia præcesserit, nec dominium quisquam habuit super hunc Thesaurum, cum ipse sit supremus Dominus omnium, sed tamen ad ius inuenientium accedere dicitur, quia ipse libenter se donat iis, qui venditis omnibus eum aquirere satagunt: Dicitur autem absconditus tamquam in agro defossus in humanitate Christi: quia quamuis diuinitas sit vbique tamen nusquam magis proprie, quam in Christi humanitate, cui sic est vnita, vt vna persona sit Deus,
Isa. 45. & homo. Quare Isaias dixit; *Vere tu es Deus absconditus.* Etenim diuinitas in eo adeo erat abscondita quod opus fuit lucernam accendere, quæ Deum in Christo demonstraret: ea lucerna Sanctus

ctus Ioannes Baptista fuit, qui vt scribit Sanctus Ioannes, erat *lucerna ardens, & lucens*. Et de quo prædixit Dauid in persona Dei patris: *Paraui lucernam Christo meo*. Ioannes enim Baptista Christum manifestauit, digito illum indicans, ac dicens. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi:* cum igitur Thesaurus Beatorum sit Christus Dominus, manifestum est omnium terrestrium Regum Thesauros nulla ratione cũ isto comparari posse. *Ioan. 9.* *Psal. 131.*

Sextò. Nullus Regum terrestrium regnat in æternum, cum omnia eorum Regna quotidie intereant, ac funditus tandem sint peritura, Regnum autem Beatorum manebit in æternum Daniele dicente; *Suscitabit Deus Cæli Regnum, quod in æternum non dissipabitur, comminuet autem, & consumet omnia Regna hæc, & ipsum stabit in æternum*. Quod Vaticinium totaliter implebitur in consumatione mundi, tunc enim omnes principatus illius, omnino euanescent, & solum Regnum Christi, & Sanctorum in ęternum durabit, vt dixit Angelus ad Virginem; *Et Regni eius non erit finis.* *Dan. 2.* *Luc. 2.*

Septimò. Reges terræ illud plurimi faciunt, quod magna libertate gaudent, sed in rei veritate multis tributis sunt obnoxij, à quibus omninò sunt immunes cęlestes Reges, nam & liberi sunt a seruitute peccati liberi a seruitute mortis, non solum animæ, sed & corporis, liberi à necessitatibus corporis, vt bibendi, dormiendi, & reliquis quibus mortales subijciuntur, liberi à pręceptis humanis, imò & à diuinis in eo sensu, quo dixit Apostolus: *Iustis non esse legem impositam*, Beati autem ita iusti sunt, vt in iustitia sint confirmati. *1. ad Timot. 1.*

Octauò. Gaudent Reges videre magnitudinem, & amplitudinem sui Regni, & quod in illud confluant ex omni natione in eoque multiplex sit negotiatio: sane Regnum Cælorum tam est magnum, & amplum, vt Baruch Proph. dicat; *O Israel quam magna est domus Domini, & ingens locus habitationis eius*. Frequentia autem ciuium in eo Regno tanta est, vt de Angel. Dan. dicat; *Millia millium ministrabant ei, & decies millia cẽtena millia assistebant ei*, adsunt enim ibi nouem ordines Angelorum Seraphim, Cherubim, Throni, Dominationes, Principatus, Potestates, Virtutes, Archangeli, & Angeli: his autem nouem Angelorum ordinibus correspondent totidem ordines Beatorum omnium Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres, Confessores, Pastores, Doctores, Alij Sacerdotes, & Leuitæ. Alii Monachi, vel Eremitæ, denique Sanctæ Feminæ, aut Virgines, aut Viduæ, aut etiam coniugatę, qui omnes sunt ex omni natione, et populo, et quod mirabilius est cum tanta sit diuersitas gentium summa est inter illos consensio, & concordia facti inter se, & cum Christo cor vnum, & anima *Baruc 3.* *Dan. 7.*

vna;

vna; ab hac autem pace, & concordia, quam aliena sint Regna mundi, quotidianæ rixæ, lites, & contentiones, & quandoq; cruenta bella, satis vtique manifestant, quod autem attinet ad multiplicem negotiationem pecuniarum, honorum, & dignitatū, quæ mirum in modum vigent in Regnis terrestribus, hac omnino carebit Regnum celorum, cum Beati peruenerint ad summā opulentiam, & ad Regiam dignitatem, ac supremum honorem meritis suis correspondentem; quare in eo Regno erit vnicum negotium absque vlla defatigatione commune omnibus scilicet Deum incessanter laudare, & colere cum summo gaudio.

Nonò. Quoniam Mundus Reges iudicat reliquis omnibus fœliciores, quia facile omnes suos appetitus explent, & quia uideantur sibi varijs voluptatibus, & gaudijs affluere, idcirco oportet cogites varia gaudia, & delectationes omnium potentiarum, tam spiritualium, quam corporalium, quas Beati percipiunt in Regno Dei, P. Beatorum gaudium, & ex intuitiua Dei visione facie ad faciem, vt loquitur D. Paulus; *1. Cor. 13* Quantum autem hoc futurum sit gaudium coniectandum est ex infinita Dei bonitate, pulchritudine, & reliquis omnibus perfectionibus, quæ in eo clare videbit intellectus, etenim si quanto pulchrius, & mirabilius se offert obiectum visui, tanto magis ille gaudet, non potest non causare magnum gaudium visio obiecti infinite pulchri, & infinite admirabilis, & in quo continetur formaliter, vel eminenter omnis ratio boni, vt ipse Dominus dixit ad Moysen, nam cū ille postulasset ab eo, *Ostende mihi faciem tuam;* Dominus respōdit ei: *Exod. 33* *Ego ostendam omne bonum tibi*: Verum vt hoc gaudium magis penetres, cogita, quod sicut ex coniunctione cibi cum gustu, aut dulcissimi soni cum sensu audiendi magnam capit voluptatem animus noster, ita necesse est, vt ex coniunctione cum intellectu Beati incredibilem ille suscipiat voluptatem, coniunctio autem intellectus cum Deo excellens adeo est, vt præter vnionem essentiæ diuinæ, quæ in ratione speciei illabitur menti certe per apertam visionem illius fit vnio ita intima, vt Beatissima Trinitas totam mentem videntis penetret, & mens ipsa in ipsum Deum velut in mare magnum infinitarum perfectionum mergatur. Et sicut ignis feni materiam ita accendit, ac penetrat, vt ferrum ipsum in ignem transisse videatur, ita animæ beatæ accidit, quam certè Deus amoris sui igne, imo se ipso penitus peruadit, atque succendit; qui autem fieri potest quin summam voluptatem, & delectationem pariat complexus ille diuini Sponsi infinita pulchritudine præditi, ac osculum illud summi boni, & vnio Creaturæ cum suo proprio centro, & vltimo fine, nec solum delectabitur

mens

mens videndo Deum, sed & videndo in eo Creaturas, ac compre hendendo naturas tam rerum spiritualium, quam corporalium, ac varia Dei secreta, tam eorum, quæ sunt in Cęlo, quam in Inferno, nec enim videntes torqueri damnatos etiam si filij, aut parentes eorum sint, quidquam eos contristabit, sed causa potius gaudij erit, quod iustitiæ Dei executioni mandetur in eius inimicos. Quod autem super omnia maioris gaudij causa erit Beatis illud sine dubio fore existimo, quod clare videbunt fruitionem ipsam increatam, & gaudium ipsum diuinum, id enim est, quod Dominus dixit, *Intra in gaudium Domini tui;* præ amoris.n. magnitudine, *Matt. 25* quo Beati amant Deum de nulla re etiam de propria gloria tantum gaudent, quantum de summo bono ipsiusmet Dei, & in nullo alio magis complacent, quam quod Deus se comprehendat summo gaudio, se ipso fruatur, & se tam ardenter diligat, quantũ meretur infinita eius bonitas, & pulchritudo: deinde memoria copiosam gaudiorum materiam subministrabit, nam recordatio beneficiorum Dei, tam naturalium, quam supernaturalium, & tam temporalium, quam æternorum: recordatio item periculorum a quibus per totum vitæ curriculum Dominus misericorditer nos eripuit, vt a peccatis mortalibus, in quibus lapsi essemus, nisi ipse nos præseruasset, & ab æternis gehēæ supplicijs, in quam toties detrudi meruimus propter scelera commissa, ipse nos paterno amore liberauit, horum & similium recordatio ingenti lætitia Beatos afficiet, & ad suauia cantica impellet, vt dixit Dauid; *Psal. 38.* *Misericordias Domini in æternum cantabo*, ait autem S. Augustinus. *D. Aug. de ci. Dei lib. 22. c. 30* Cantica illa esse cantanda in gloriam Christi, cuius sanguine liberati sumus, & addit id magnam iucunditatem allaturum esse Beatis, insuper etiam præter gaudia, quæ voluntas Beatorum capit ex bonis possessis ab intellectu, & memoria multa sunt, quę in voluntate ipsa multiplex pariunt gaudium; quorum primus est ardentissimus, & inextinguibilis Dei amor, a quo nunquam cessare possunt Beati, quod si naturaliter delectamus præsentia eorũ, quæ amantur, magno gaudio afficietur voluntas cum fruatur pręsentia eius, quem tantopere amat, contubernioque vtatur tot Angelorum, ac sanctissimorum hominum: Secundus gaudium pariet in voluntate, quædam incomparabilis saturitas, & sacietas sine fastidio, quæ illos pacatos, & contentos modis omnibus reddet: in hac vita, nemo sua sorte contentus viuit, quis enim est, qui non desideret multa, quæ non obtinet, cupere autem, & non obtinere inquietem gignit, demus tamen quod obtineat, certè eius animus quietari non potest, nam cum sit capax videndi, & fruendi infinito, & summo bono quietari nequit vsque illud possideat.

Tertius

Tertius gaudium gignet in voluntate iustitia longe excellentior, quam originalis, quæ fuit in Adam, nam si illa subijciebat partem inferiorem superiori, & partem superiorem subdebat Deo, non tamen taliter, vt voluntas non posset per peccatum ab hac subiectione se subducere: iustitia verò Beatorum subijcit partem inferiorem superiori, & superiorem Deo nexu firmissimo, & indissolubili: quare cum Beati sint securissimi, & certissimi unionem, quam habent cum Deo, nunquam esse dissoluendam, nec vlla ratione separandos a dilecto suo: id inexplicabilem lętitiam parit in eis: Vnde Salomon dixit; *Secura mens iuge conuiuium*, Sane cibus regius, quo in conuiuio illo generali Regni cęlestis vtuntur Beati, hæc securitas est, & summa certitudo nunquam diuellendos ab vberibus Dei, sed omnino in eis implendum, quod Christus Dominus dixit; *Ego dispono uobis Regnũ, ut edatis, & bibatis in mensa mea;* atque hęc sunt, quæ pertinent ad gaudia potentiarum spiritualiũ, Intellectus, memoriæ, & voluntatis.

Prou. 5. *Luc. 23.*

Vltimo, Cogita Gaudia quibus replebuntur potentiæ sensitiuæ, tam internæ, quam externæ Beatorum: equidem imaginatiua pulcherrimis ex imaginibus rerum corporalium tam cęlestis patriæ, quam humanitatis Christi, Beatissimæ Virginis, & reliquorum Beatorum, quibus informabitur non modicam capiet satisfactionem: appetitus deinde sensitiuus perpetuam delectationem habebit circa obiecta ipsius imaginatiuę, & omnium sensuum exteriorum: nullus enim erit, qui non correspondeat spetialis gloria suæ facultati commensurata: oculos in primis recreabit indicibilis pulchritudo, ac splendor proprij corporis, configurati corpori claritatis Christi Domini, vt dixit D. Paulus, recreabit etiam mirum in modum visio humanitatis Christi Domini, quinque cicatricibus vulnerum suorum velut quinque fulgentissimis gemmis exornatæ: recreabit tandem intuitus corporis Beatissimæ Virginis, & reliquorum omnium Beatorum, nam si illi fulgebunt instar Solis Christo Domino dicente: *Tunc iusti fulgebunt sicut Sol in regno Patris eorum.* Certe si Sol vnus ortu suo vniuersam terram lætificat: sane videre innumerabiles Soles, non solum luce micantes, sed membrorum compagine, & venustate pulcherrimos, mirum in modum potentiam visiuam delectabit, maxime quod vt docet D. Augustinus, Beati in ea parte corporis videndi sunt insigni aliquo pulcherrimo decoratos, in qua propter Christum supplicia pertulerunt, vnde Ioann. Baptista, & alij quibus collum pro Christo fuit præcisum splendidissimo torque fulgebunt, qui lapidati, & sagittati, vt Stephanus, & Sebastianus, tot gemmis decorabuntur quot ictus,

ad Phi. 3 *Matt. 13* *D. Aug. li. 22. de ciu. Dei, cap. 20.*

&

& vulnera sustinuerunt, Bartholomęus aũt, & alij, quib. pellis totius corporis detracta fuit glorioso aliquo notamine vndique toto corpore circundabuntur: accedit quod si verum est, quod verius ego puto, & conformius sacræ Scripturę Crucem Christi Domini in æternum conseruandam, imo vt alijs placet, omnia signa passionis Christi Domini, non poterit non mirifice recreare visio instrumentorum nostræ Redemptionis.

Similiter etiam auditus summopere ibi recreabitur tum ex mutua loquela Beatorum inter se, & cum Christo Domino, quamuis autem idioma, quo vsuri sunt, certo non sciatur, vero simile est quod cum omnes possent loqui idiomate, quod sibi magis placuerit, vel certe illo quo Christus Dominus vsus fuit dum viueret inter mortales, tum etiam recreabitur ex multiplici armonia, & concentu musico, erit enim infinitus numerus Citharizantium in Citharis suis, vt ait D. Ioann. nec non cantorum *App.* 14 dulcissime modulantium, & quidem si vnius sonus citharæ ab Angelo pulsatæ Seraphicum D. Franciscum ita commouit, vt aliud se putaret sæculum commutasse, certe armonia tot Citharizantium quales sunt in cælo necesse est, vt summopere delectet auditum; sensus præterea olfactus singularem capiet recreationem ex fragrantia, & odore suauissimo, quem corpora Beatorum spirabunt, si enim mortua illorum ossa ita odorifera sunt experientia ipsa probat, & tradunt Sancti Patres: Sanctus Hieronymus in vita Hilarionis. Sanctus Gregorius libro 4. Dialog. capitulo 14. & 16. & Homilia 38. in Euangelia: sensus insuper tactus cuius vsus alienus non est a corporibus Beatis, cum Christus Dominus post resurrectionem dixerit. *Palpate, & uidete quoniam Spiritus carnem, & ossa non habet.* Palpare autem vsum *Luc.* 24. tactus denotat: impurus tactus omnino aberit, cum omnis concupiscentiæ Beati sint incapaces: percipiet ergo sensus tangendi magnam voluptatem ex perpetua, & optima corporis habitudine ob dotes corporis gloriosi, de quibus Apostolus in priore ad Corinth. ait. *Seminatur in corruptione surget in incorruptione: seminatur in ignobilitate, surget in gloria: seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale, surget corpus spirituale.* Ex qui- *1. Cor.* 15 bus quattuor dotibus siue priuilegijs corporum gloriosorum, vna illa de gloria, siue splendore corporis gloriosi, ad sensum videndi pertinet, vt suo loco diximus, reliquæ tres videntur ad sensum tangendi proprie pertinere. Nam quemadmodum, cum corpus grauatur morbis, plagis, vulneribus, quæ ad mortem ducunt, sensus tangendi est, qui patitur, & dolet: sic etiam quando corpus bene valet, & sanum, ac robustum est, sensus

G tan-

tangendi gaudet. Magno igitur gaudio sensus tangendi afficietur in cælo, cum post resurectionem corpora Beatorum immortalitate, & impassibilitate, atque adeo optima valetudine in æternum fruentur: sic etiam dotes agilitatis, & subtilitatis, per quas corpus animale resurget Spirituale ad eundem sensum tangendi pertinere videntur, corpus enim spirituale resurget: hoc est ita subiectum Spiritui, vt ad nutum illius sine difficultate moueatur velocissime, & per quæcumque loca sursum, & deorsum instar Spiritus penetret, vnde sicut sensus tangendi male habet, & dolet quando corpus cogitur sursum ascendere, aut velociter de loco ad locum moueri, sic è contrario gaudet cum corpus sine lassitudine sursum ascendit, velocissimeque transit de loco, ad locum tandem sensus gustus non priuabitur sua delectatione quia quamuis non sint vsuri materiali cibo, dicunt tamen Theologi tali qualitate ex diuina virtute afficiendum esse gustum Beatorum, vt delectationem adeo magnam recipiant, quæ longe superet omnes voluptates, quas ex cibis percipiunt in opiparis conuiuijs Princeps mundi.

Dyonis. Cartus. in 4 sent. distint. 44. art. 4. cũ alijs ab eo citat. nec nõ Sot. in 4. distin. 95. q. 4. art. 5.

Materia copiosa meditationis cælestis gloriæ sub reliquis metaphoris quibus sacra literæ vtuntur.

§. II.

AD agnoscendam magnitudinem gloriæ tam essentialem, quam accidentalem, mirum in modum iuuabit attenta meditatione ruminare varia Epitheta, quibus ad eam manifestandam, sacra volumina vtuntur. Isaias vocauit illam pacem: *Declinabo super eam quasi fluuium pacis*. Idem etiam vocauit eandem conuiuium: *Faciet Dominus exercituum omnibus Populis in monte hoc conuiuium*. Ad quod alludens Christus Dominus dixit: *Ego dispono uobis, ut bibatis, & comedatis super mensam meam*. Dauid vocauit illam montem pinguem: *Mons Dei, mons pinguis, mons coagulatus, mons in quo beneplacitum est Deo*. Vocauit ciuitatem: *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei*. Vocauit torrentem voluptatis: *Torrente uoluptatis potabis eos*. Vocauit spiritualem ebrietatem: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ*. Vocauit domum: *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi in domum Domini ibimus*. Vocauit satietatem: *Satiabor cum apparuerit gloria tua*. Vocauit fontem: *Sitiuit anima mea ad Deum fontem uiuum*. Vocauit somnum pacificum: *In pace in idipsum dormiam*. Christus vero Dominus vocauit gloriam

Isa. 66. Isa. 25. Lucæ 23. Psal. 67. Ps. 86. Psal. 41. Ibidem. Ps. 121. Psal. 16. Psal. 83.

riam Beatorum Nuptias: *expectantes Dominum suum quando reuertatur a nuptijs.* Vocauit vitam æternam: *Si uis ad uitam æternam ingredi serua mandata.* Vocauit Paradisum: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Luc. 23. Vocauit: *Cænam magnam.* Vocauit mercedem: *Ecce merces uestra multa est in cælis.* Luc. 14. Vocauit Thesaurum: *Simile est Regnum* Luc. 6. *cælorum Thesauro abscondito in agro.* Vocauit Margaritam: *Inuenta una bona Margarita uendidit omnia, quæ habet, & emit eam.* D. Paulus vocauit illam coronam: 2. Tim. 4 *In reliquo reposita est mihi corona Iustitiæ.* Vocauit illam Brauium: *Qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit Brauium, sic currite, ut compreendatis.* Vocauit illam libertatem filiorum; Ad Galath. 4. Beati enim liberi sunt a multiplici seruitute cui obnoxij erant in hac vita. D. vero Ioann. vocat illam requiem: Ioann. 14 *Vt requiescant a laboribus suis.* Quia Beatitudo est tutus portus, quo Iustus post periculosam huius vitæ peregrinationem felicissime quiescit, ac tandem Theologi Beatitudinem ex doctrina Boetij illam his verbis definiunt: Boet. de Consolat. *Beatitudo status est omnium bonorum aggregatione perfectus.*

PRAXIS ORATIONIS MENTALIS.

Liber Tertius.

CIRCA DOMINVM NOSTRVM.

Apponitur materia copiosa ad cognitionem, & meditationem Christi Domini. *Caput Primum.*

QVadrupliciter considerandus est nobis Christus Dominus. Primò, tanquam mortalis in ventre materno. Secundò, tanquam viator inter homines conuersans. Tertiò, tanquam immortalis a die Resurrectionis, & a die Ascẽsionis super omnes cœlos exaltatus, & ad dexteram Patris sedens. Quartò tandem, vt realiter, & ac substantialiter existens gloriosus in Sacramento Eucharistiæ, in quo dignatus est nobiscum manere.

De Christo in Vtero materno.

§. I.

IN nullo diuinorum operum vberius Deus se nobis manifestauit, quam in Incarnatione verbi Diuini, nam in eo instruit nos esse Patrem, cum generat filium, quem in mundum misit, aperit se esse filium, qui pro nobis carnem sumere non est dedignatus, ostendit se esse Spiritum Sanctum, cuius opera facta est conceptio Christi ex Virgine Matre absque opera viri, omnes

enim

enim tres Personę diuinæ, excellentissimam suam Charitatem, & misericordiam in incarnationis mysterio ostentarunt, cum nec Pater amplius nos amare posset, quam donans nobis vnigenitum filium suum, vt proprio sanguine nos redimeret, nec potuit filius amplius compati infirmitatibus nostris, quam exhibendo se victimam aptam, vt in ara Crucis pro peccatis nostris satisfaceret, nec amplius Spiritus Sanctus nobis fauere poterat, quam cooperando ad incarnationem ipsius verbi, & mouendo sacratissimam illam humanitatem ad executionem solutionis precij pro nostra redemptione, nosq; ipsos excitando, & efficaciter mouendo ad sequendum, & amplectendum Redemptorem nostrum: quia tamen inter omnia bona communicata animę, & corpori Christi Domini vnio hypostatica cum Verbo diuino, supponitante, & sustentante sacram illam humanitatem, reliqua longe pręcellit, in consideratione illius impensius morandum est: Vnio hęc hypostatica adeo mirabilis est, vt naturas tam distantes, & extremas, quales sunt diuinitas, & humanitas, illa increata, hæc creata, illa infinita, hęc finita, illa ęterna, hæc temporalis, illa immensa, hæc limitato loco circumscripta, illa immortalis, & immutabilis, hęc mortalis, & mutabilis, illa à se gloriosa, hęc de se in gloria, in eadem persona copulauerit, ita ut idem ipse simul sit Deus & homo, simul exerceat opera propria Dei creare, conseruare, gubernare Machinam Mundi, & opera propria hominis vt sentire, crescere, edere, de loco in locum mutari, lachrymari, pati, & alijs multis miserijs humanis, quæ dolorem ingerunt subijci, ex hac autē unione hyppostatica ortum habuere multę alię mirabiles vniones, quę copiosam præbent meditationis materiam. Prima est, quod anima Christi Domini vniretur cum ipso Deo per uisionē beatificam. Secunda, quod anima beata, & gloriosa unita esset cum corpore passibili, & mortali, ita ut idem Christus in quātum homo simul esset uiator, & comprehensor, gaudijs simul ęternis fruens, & graues huius uitę penas cum infinito munere sustinēs. Tertia, quod simul Christus Dominus erat vir, & infans. Hac enim ratione dixit Propheta, *Mulier circundabit virum*. Etenim in vtero materno cum ab instanti suę conceptionis vsum rationis haberet, ac summam sapientiam infusam, vir erat mente, licet corpore infans. Quarta, Mirabilis unio fuit ut anima coniungeretur corpori absque opera uiri, Spiritu Sancto cooperante cum Virgine ad Christi conceptionem. Quinta, Vnio maternitatis Dei genitricis cum integerrima eius virginitate. Sexta, Coniunctio summę glorię cum summa ignominia per totum uitæ suę curriculum. Septima, Coniunctio mortis cum uictoria, cru-

Hier. 31

cis

cis cum triumpho suorum inimicorum. Octaua, Coniunctio animę cum corpore propria uirtute facta ipsius Christi se ipsum suscitantis. Vltima, coniunctio est Christi e sepulchro resurgentis cum dextera Dei Patris super omnes Celos ascendentis.

Illudque documentum apprime obseruandum est, quoties Christi actiones, aut passiones meditamur, quod nobis tradit Propheta Abacuch, cum dixit. *In medio duarum uitarum cognosceris.* Etenim cum Christum consideramus in uentre matris, continuò ascendere debet mens ad eundem in sinu Patris commorantem, & cum meditamur illum in Præsepę inter animalia iacentem, uel inter latrones crucifixum, confestim exurgat mens ad eumdem in Cęlo empyreo inter diuinas personas super omnes creaturas dominantem, collationemque faciat utriusque uitæ inter se humanę, scilicet & diuinæ, & illarum rerum, quę vtramque uitam consequuntur: huic documento addo aliud meditationis materiam copiosam prębens, nimirum, vt consideremus motiua, quę diuinam uoluntatem impullerunt ad operandum mysterium illud, quæ ad tria capita reduci possunt. Primum est ad manifestationem diuinorum attributorum, præsertim potentiæ, sapientiæ, bonitatis, charitatis, misericordiæ, & iustitię. Secundum est, ut uarijs nostris miserijs, & calamitatibus occurreret, etenim donans nobis Pater ęternus Filium suum humana carne indutum, prębuit nobis Patrem amantissimum, Medicum peritissimum, Pastorem uigilantissimum, Magistrum sapientissimum, ac tandem Sponsum, Ducem, Fideiussorem, ac Redemptorem, qui proprio sanguine tanquam precio infiniti ualoris de faucibus Diaboli, ac de morte ęterna liberauit. Tertium est, ut omnes potētię nostrę etiam sensitiuę possent exercere suos actus erga ipsum Deum certe ante Incarnationem solus intellectus, & uoluntas erga Deum uersari poterant; postquam uero carnem humanam induit, non solum imaginatiua, & appetitus sensitiuus erga Deum sic incarnatum uersari possunt imaginando illum secundum uaria mysteria uitę illius, & amando eundem, etiam amore sensitiuo, sed & sensus externi erga ipsum suas operationes exercere possunt, etenim cum hominibus conuersatus est, qui & illum audierunt, uiderunt, tetigerunt, & comederunt in in Eucharistia: post uniuersalem uerò Resurrectionem omnes externi sensus Beatorum, gustu excepto, circa Christum uersabuntur, uisus uidebit carnem Dei sui gloriosam; auditus audiet suauissimam eius uocem, tactus tanget gloriosum eius corpus, osculando, & adorando sacratissimas vulnerum cicatrices, olphactus percipiet fragrantiam mirabilem corporis illius. Quia tamē omnis

Abach. 3 secūdum 70

omnis nostra meditatio, eo tendere debet, vt in voluntate sanctos excitet affectus, idcirco oportet eos exercere actus voluntatis, quæ materiæ præsentis meditationis fuerint conformiores, nunc adorationis, nunc amoris, nunc spei, nunc timoris, nunc contritionis, nunc gratiarum actionis, nunc petitionum iuxta necessitates occurrentes: de singulis tamen his affectibus dicemus infra vltimo libro.

De Christo inter homines conuersante a natiuitate vsque ad tempus passionis exclusiue, vbi de oratione Dominica.

§. II.

MYsteria omnia, quæ fides Catholica de Christo in quattuor Euangelijs nos docet, ad illius meditationem vberrimam suggerunt materiam, natiuitas videlicet cum omnibus suis circunstantijs, loci, temporis, paupertatis, inuiolatæ Virginitatis; adorationis Angelorum, Pastorum; & Regum, cruenta eius circuncisio, præsentatio in templo, fuga in Aegyptum, disputatio in templo Ierosolimæ cum Doctoribus, Obedientia quam præstabat Parentibus; longum silentium quod ab eo tempore seruauit vsque ad triginta annos, Baptismus in Iordane, ieiunium, & tentatio in deserto, Nuptiæ in Cana Galileæ, Conuiuium quinque millium hominum in deserto, Sanitas cæci nati saliua oris sui, Resurrectiones variæ Lazari, & aliorum, Conuersiones multæ, vt Cannaneæ, Samaritanæ, Magdalenæ, Matthęi, & aliorum transfiguratio, ac tandem virtutes variæ, quas Christus Dominus exercuit in prædictis mysterijs ad exemplum, & doctrinam nostram, ac aurea verba omnia, quæ sacri Euangelistæ locutum fuisse referunt, inter quæ omnia magna acceptione digna sunt illa quibus nos docuit orare, præcipiens nobis dicere: Pater noster, & ideo circa singulorum verba hæc pręcipue cogitanda adnotaui.

Equidem in primis. Ad commendandam excellentiam Dominicæ Orationis satis est Catholicis, quod fide Diuina credant Christum Dominum, in quo sunt omnes Thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei, eam docuisse discipulos suos cum ei dixerunt: *Domine doce nos orare*. Vnde id singulare hæc habet Oratio, vt quanto breuior est verbis, tanto diffusior sit sensibus, ac Sacramentis in ea latentibus, quare merito Tertullianus Orationem Dominicam vocauit, *Euangelij Breuiarium*. Certe nemo Christiano nomine *Matt. 6* *Tert. lib. de Orat.*

mine

mine dignus erit qui non putet Christum huius orationis præceptorem, omnia vtilissima in ea docuisse, cum ipse sit vnicus salutis nostræ auctor tamque eius cupidus, vt non dubitarit pro nobis Crucis mortem subire: vnde si vtilior oratio tradi, aut excogitari potuisset, omni dubio procul fidelissimus Præceptor eam nobis tradidisset, ex quo infero nullam gratiorem orationem fieri posse Patri, quam quæ a filio tradita nobis est, nec vllam etiam ad impetrandam efficaciorem inueniri posse, nam cum illam proferimus agnoscit Pater filij sui verba esse, & quia quodammodo videretur negare filio, quod in ea a nobis petitur, idcirco annuit nostris petitionibus. deinde oratio hæc septem complectitur petitiones, in quibus illud obseruaui, quod sicut Decalogi præcepta diuisit Deus in duas tabulas, quarum prior continebat, quæ ad Deum, secunda quæ ad proximum pertinebant, ita tres primæ petitiones huius orationis honorem Dei, quattuor vero posteriores vtilitatem nostram concernunt.

PATER.

ADuerte, quod quamuis nonnulli DD. existiment verbũ hoc *Pater*, dirigi ad personam Patris, ego sanè mihi persuadeo dirigi ad totam Trinitatem, nam ideo vocamus illum Patrem, quia creauit, quia conseruat, quia regenerat spiritualiter; cum ergo tota Trinitas nos creauerit, eademque nos conseruet, & regeneret, merito ad totam Trinitatem, & non ad solum Patrem censendum est dirigi verbum illud *Pater*, his prælibatis.

Primo. Cogita cum D. August. illud bonum magni momenti per Christum Dominum nos accepisse, quod cum alioquin Deus

Ad Ro. 8 olim voluerit vocari frequenter Dominus, a nobis uerò vult vocari Pater, quia illi serui nos filij sumus D. Paulo dicente: *Nec enim accepimus spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepimus spiri-*

Ioan. 25. *tum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus Abba Pater:* ad quod etiã alludens Christus Dominus quando dixit, *Iam non dicam uos seruos, sed amicos*: Imo & ipse in Euangelio sępe nos fratres uocat, fratres quidem non solum secundum spiritum, sed etiam secundum carnem, cum nostram humanam naturam induerit.

Secundo. Circa consulto Christum Dominum voluisse nos Deum uocare Patrem, ut nos doceret in oratione, eadem familiaritate loquendum esse cum Deo, qua bonus filius loquitur cum Patre suo, non uero ut mancipia cum Dominis, aut Vassalli cum Principibus suis: hi enim non cum eo amore, & confidentia petunt, ac filij: deinde quia blando Patris nomine Dei beneuolentiam

lentiam captamus, & ad annuendum nostris precibus dulci Patris appellatione mouemus, quod neutiquam licet mancipijs aut Vassalis: inire autem hunc familiarem sermonem cum Deo instar filiorum ad Patrem, donum adeo magni momenti est vt Seraphini etiam indignos se illo iudicent. Vnde D. Chrysostomus dixit: *Hic honos etiam Angelorum superat Maiestatem*. Equidem si magnam fælicitatem putant homines familiariter colloqui cum Rege, Imperatore, aut Summo Pontifice, quia media illa familiaritate honores, & diuitias obtinent, quanto fælicius erit comercium, & familiaritatem habere cum Deo, qui tam facile potest miseriam nostram subleuare, ac cælestib. diuitijs nos locupletare. *Chrysost. lib. 2. de orando Deum.*

Tertio. Considera quod cum Deus sit Pater tuus ad eum pertinet tamquam ad beneuolum Patrem, parcere offensis nostris, vt fecit Pater familias cum filio prodigo, ad eum pertinet nos alere secundum animam, & corpus, ad eum pertinet in tribulationibus paterno affectu nos consolari: ad eum denique spectat nostris consulere bonis, & quæ nociua sunt longe propulsare, & nostris iustis petitionibus aquiescere, Christo dicente: *Si ergo uos cum sitis mali nostis bona data dare filijs uestris, quanto magis Pater uester dabit Spiritum bonum petentibus se.* *Luc. 11.*

Quarto. Cogita quod Patris nomine monemur ad memoriam reducere benefitia creationis, conseruationis, gubernationis, regenerationis spiritualis, sollicitæ prouidentiæ, & paternæ curæ cum alijs similibus, quæ Deus tamquam amantissimus Pater in nos contulit.

Quinto. Cogita quam exacte, ac perfecte Deus munera, & offitia Patris tecum impleuerit, e contrario vero quam perperam offitia, & munera boni filij obieris, etenim debebas tamquam Patri amorem, timorem filialem, obedientiam, reuerentiam, & alia similia, in quibus omnibus sæpe defecisti, abominabilem, ac odibilem te Deo reddens, vbi etiam ponderare debes patientiam Dei erga te. Deinde admiremur pariterque confundamur, quod cum nos alioquin quondam filij iræ, filij Gehennæ, filij mortis, filij Diaboli essemus: iam facultatem habeamus vocare Deum Patrem nostrum, ac filios eius effici: hanc autem obtinemus ex meritis Christi, per quem sumus renati, qui mali fueramus nati, & nostra misera sors in fælicissimam adoptionem filiorum Dei mutata est.

Sexto. Considera, quod si Deus Pater noster est, & nos eius filij; consequenter vult nos esse hæredes suorum bonorum Paulo dicente: *Quod si filij, & hæredes*: Et quis quæso non animetur *ad Rom. 8.*

ad diligenter conseruandam in se hanc dignitatem filij Dei, quæ excedit omnes dignitates non solum cæli, sed & terræ, etiam ipsam dignitatem Matris Dei, vt condistinctam a filiatione, & quis tam amens qui breui tempore non velit laborare, vt non amittat æternam hæreditatem tanti Patris, & quis tam stultus qui non fugiat quæcumque illi impedimento esse possunt ad illam obtinendam.

Septimo. Cogita quod sicut homines sanguinis nobilitate conspicuos, & filios Principum maxime decet, non degenerare a parentibus suis, ac diligenter fugere omnia, quæ eorum nomen deturpare possunt, ita potiori Iure oportet filios Dei non degenerare a nobilitate sui Patris, nec quicquam facere, loqui, aut cogitare, quod alienum sit a filijs tanti Patris.

Vltimo. Cogita quam magna pęna te expectet per totam ęternitatem sustinendam, si parentem hunc tam benignum, ac liberalem, ac de tua salute tam sollicitum deseras, si eius præceptis, & suasionibus non aquiescas.

NOSTER.

Cogita Primo, quod sicut nomen *Pater*: Excitat amorem erga Deum: ita verbum *Noster*: consulto addidit Christus Dominus, vt excitaret in nobis amorem erga proximos: etenim si diceremus: *Pater meus*, Non recordaremur proximorum, dicendo autem: *Pater noster*. Continuo venit in mentem Deum Patrem communem esse omnium nostrum, atque adeo proximos esse fratres nostros cum simus filij eiusdem Patris.

Secundo. Cogita quod hoc pronomine: *Noster*. Deus liberalitatem erga nos demonstrat, qui non solum omnia sua, sed, & se ipsum ita se nobis donauerit, vt noster sit proprius, & peculiaris, nosque peculium eius simus; vnde pronomine isto omnem nobis difidentiam adimit cum non ab alieno, sed a nostro vero, & proprio Patre petamus.

Tertio. Cogita verbo illo, *Noster*: Indicari nobis discrimen quod interest inter Paternitatem Dei ad Christum, & paternitatem eiusdem ad nos, nec non etiam differentiam qua distinguitur filiatio Dei a filiatione nostra, etenim Pater æternus Pater est Christi naturalis, & Christus Dominus filius eius naturalis, quæ duæ relationes Paternitatis, & filij ita adæquate se respiciunt, vt nulli nisi ipsis solis conueniant. Deus autem ita Pater tuus est per creationem, conseruationem, & reliqua, vt eodem modo sit etiam aliorum Pater, vnde recte D. Ambrosius dixit: *Ideo Patrem*

D. Amb. lib. 5. de sacr. c. 4.

trem peculiariter suum appellat, nos vero Patrem communiter nostrum appellamus quia illum genuit, nos creauit.

Quarto. Cogita ideo etiam Deum *Patrem*, & *nostrum*, velle appellari a nobis, vt distinguamur in hoc ab Infidelibus, Christo non credentibus, qui quia nunquam fuerunt per Baptismum regenerati, non possunt, vt nos Catholici Deum Patrem vocare, licet alioquin eos creauerit, & conseruet, quia in hac oratione non ideo Deum Patrem appellamus, quia tantum nos creauit, sed etiam quia simul per fidem, & gratiam baptismi nos regenerauit, vt enim ait Ioannes: *Dedit potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius.* His ergò qui non credunt, non contulit potestatem vocandi Deum Patrem suum, vt sapienter adnotauit D. Cyprianus in Cõmento huius Orationis, quare licet Deus sit Pater omnium ratione Creationis, atque adeo omnes sint eius filij, illud tamen interest inter infideles, & nos catholicos, quod illi sunt quodammodo Spurij, quia creati sunt ex natura quasi ex Ancilla, non vero ex gratia quasi ex libera geniti, sicut Ismael naturali virtute, non sicut Isaac supernaturali gratia: quare nos Catholici medij sumus inter Christum, & infideles, quia nec sumus filij naturales vt Christus, nec Spurij, vt Infideles, sed legitimi, & adoptiui, & ideo cohæredes Christi.

Ioan. 1.

D. Cypr. ĩ Cõmẽto lib. de or.

QVI ES IN CAELIS.

PRimo. Cogita quod quamuis Deus propter suam immensitatem vbique sit, nihilominus dicitur cęlum esse habitationem eius, quia eius gloria, & Maiestas potissimum elucet ibi, vbi se clare manifestat, & millia millium Angelorum assistunt ei, recordatione enim tantæ maiestatis ex vna parte, ac Reuerentiæ, & submissionis ex altera, qua ab Angelis, & reliquis Sanctis colitur in cælis, excitari debemus ad submisse, & reuerenter assistendum in Oratione coram Deo, si enim tremunt coram illo Potestates quid faciendum vermi?

Secundo. Cogita consulto dixisse Patrem esse in cælis, vt abstrahentes nos ab his, quæ sunt super terram, recordaremur totum nostrum Thesaurum esse in cælis, in illis enim oportet fixa esse corda nostra, vbi vera sunt gaudia, vt canit Ecclesia.

Tertio. Considera cum D. Augustino per hos cęlos, in quibus Christus Dominus dixit Patrem habitare, intelligi Iustos, in quibus peculiari ratione Deus inhabitat, tamquam in templo; & in domo, vt ita dicam, recreationis Dei, ipso dicente: *Delitiæ meæ esse cum filijs hominum.* Equidem veritas hæc, quod Deum

D. Aug. serm. Domini in mõte c. 9

Prou. 8.

trinum, & unum intra cor suum prædicto modo habeat iustus, magni momenti est ad colligendam vagantem animam, & vt despectis omnibus externis ad se reddat, animaduertens Deũ suum habere Hospitem, a quo & iudicandus est, a quo tota eius salus dependet, & in cuius amore totis viribus versari debet, & ad quẽ videndum semper ei anhellandum est, vt in eo tamquam in suo centro in æternum quiescat, persuadens etiam sibi ipsi, intra cor & viscera sua habere Deum suum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, non poterit non vehementer exhilarari tanti boni possessione, tali societate, & consortio, facile etiam despiciet familiaritatem hominum, ne impediatur a familiaritate Dei sui, atq; hac ratione viam sternet, diuina adiuuante gratia, vt cum Deo intime vniatur, & ad trãquillum, & quietum orationis genus perueniat, nam cum ignis Diuinitatis sit valde proximus animæ, quacumque deuota cogitatiuncula sufflante ardentem amoris flammam excitabit, qua anima Deo vniatur, & in eum transformetur.

Quartò. Cogita, quod nominando in hac oratione *Cælos*, monemur in mentem reuocare exilium nostrum, peregrinationem, & miseriam nostram, necnon recordari, quod licet filios exules tamen inopes, miseros, orphanos in hac lachrymarum valle degentes longe a patria cælesti positos, varijs peccatorum calamitatibus, inimicorum insidijs, & crebris tempestatum procellis vndique circundatos esse: ex quo præsentis vitæ tædium suborietur, necnon vehemens desiderium ad tam benignum Patrem perueniendi.

SANCTIFICETVR NOMEN TVVM.

POstquam Christus Dominus animum nostrum erexit ad fiduicialiter petendum Patri, præcipiens nos, vt Deum vocaremus Patrem, nunc docet nos quid, & quo ordine petere debeamus, ne ob ignorantiam huius contingat nobis illud Iacobi; *Petitis, & non accipitis eo, quod male petatis;* Prima istarum petitionum est, Sanctificetur nomen tuum. *Iacobi 4.*

Primo. Cogita, quod bifariam hoc loco potest accipi *Nomen tuum* primo modo pro voce externa, qua Deus significatur, quales in scriptura frequenter reperiuntur, nam ut obseruaui non semel decem nominibus appellatur Deus apud Hebræos; nimirum El. Elohim. Eloch. Sabaoth. Elion. Asser. Chieth. Adonai. Iah. Saddai. decimum Ieohah; apud latinos vero his potissimum nominibus vtimur Deus. Dominus. Creator. Omnipotens. Iesus. Iesus Christus. Emmanuel. Saluator. hoc multiplex nomen Dei multifariam

trifariam multisque modis potest a nobis sanctificari: tum cum audiuntur genuflectendo, iuxta illud Pauli: *In nomine Iesu omne genu flectatur*, tum cum scriptum reperitur, illud deosculando, tū aureis Caracteribus illud exculpando, tum illud uidens caput aperiendo, tum honesto loco illud reponendo, vt iussit nobis in suo testamento Seraphicus noster Pater Franciscus, tum tādem illud iurando cum debitis circunstantijs, quia tale iuramentum actus est Religionis, & cultus diuini, ac tandem vehementer dolendo, quod nomen Dei, & Iesu a multis blasphemetur, & a plerisque frequenter falso peieretur, necnon ardenter desiderando, vt omnes illud adorent, & summa reuerentia uenerentur. Secundo, potest sumi hoc loco *Nomen* pro bona opinione, & celebri fama, sicut de viro aliquo insigni dicere solemus hic celebratissimi nominis est, in quo sensu Deus Dauidi dixit; *Fecit ibi nomen grande*; & Salomon scripsit: *Melius est nomen bonum, quam diuitiæ multæ*, Sanctificare ergo nomen Dei erit honorem hunc Deo deferre, vt recognoscamus illum solum esse summe bonum, sanctum, iustum, omnipotētem, veracem, misericordem, supremum Dominum, ac fontem, & scaturiginem, vnde omnia bona tam naturalia, quam supernaturalia profluunt, cum igitur petimus Dei nomen sanctificari postulamus a Deo, vt vniuerso mundo nota sit eius diuinitas, ac sāctitas, & vt omnis terra adoret eum, & agnoscat illum esse pelagum omnium bonorum; deinde postulamus vt omnia vitia, errores, hæreses, ac quidquid gloriæ Dei obsistit, penitus a mundo eradicetur: insuper petimus, vt nomen Dei, nō modo in intellectu per fidem, & notitiam eius, uerum etiam corde, ore, corpore, vitaq; tota sanctificetur, & glorificetur; ac tādem cum petimus sanctificari nomen Dei, postulamus longe a nobis abesse superbiam caput omnium vitiorum, nolētes vt quicquam etiam minimum gloriæ ex nostris operibus nobis adscribatur, sed soli Deo totus honor, & gloria deferatur, vt enim dixit D. Paulus, *Quid habes quod non accepisti, si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis:* Immerito ergo attentamus quicquam gloriæ nobis arrogare, aut usurpare, ex quibus infero proprios, & germanos affectus huius meditationis esse, gaudium de sanctitate quam Deus habet in se cum Seraphinis clamando, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum*: desiderium vt tales sint ipsius, & aliorum mores, ut ad illos aspicientes omnes glorificent Deum, & Patrem Domini nostri Iesu Christi; dolor vehemens, quod ipse cum tot alijs, innumera peccata committendo, deficiant, in hoc genere sanctificationis nominis Dei: intentio, & propositum firmum sanctificandi, & glorificandi Deum per totam æternitatem in omnibus

ad Ephe. 5. *2. Reg. 7.* *Prou. 22* *2. Cor. 2.*

nibus,& singulis actionibus suis, odium tandem propriæ laudis, & gloriæ, vt magis, ac magis Dei laus, & gloria in omnium mente, ore, & opere abundet.

ADVENIAT REGNVM TVVM.

QVamuis nonnulli putarint hoc loco nomine Regni Dei præcipuè intelligi Regnum cœleste, quo Sancti beantur, germanus tamen sensus, & præcipuè intentus a Christo Domino est, vt Sancti Patres Ambrosius, Hieronymus, Gregorius Missenus docent, nomine Regni Dei intelligi Regnum quo Deus dicitur regnare in cordibus iustorum, iuxta illud, *Regnum Dei intra uos est;* sicut e contra peccatum monet Apostolus non regnare in nobis, *Non regnet peccatum in uestro mortali corpore.*

D. Amb. li. de Sac. cap. 4. D. Hiero. sup. cap. 6. Matt. D. Greg. Nyss. lib. de or. do. Luc. 17. ad Ro. 6. ad Ro. 18

Primo ergo cogita, quod per hāc petitionem docet nos Christus petere Regnum Dei, quod est Iustitia, pax, & gaudium in Spiritu Sancto, vt dixit D. Paulus; Vbicumque enim hæc sunt, ibi regnat Deus ubi autem ille regnat omnia ei subiecta sunt corpus, anima, intellectus, voluntas, vita, verba, cogitationes, opera, ac tandem omnes viros, tam spirituales, quam corporales.

Secundo. Cogita per hanc petitionem doceri nos petere, vt omnia Christo Regi subijciantur, est enim proprium filiorum, Patri Regi pacificum Regnum, & victoriam contra hostes precari: per quod non vt ipsi, sed vt ille regnet desiderant, etenim licet Christo sit data omnis potestas in cęlo, & in terra, nondum tamen omnia ei subiecta sunt, cum multi & discredant, & alij non pauci credētes ei aduersentur, immo & si in multis prouincijs regnet, tamen non pacifice, & sine hoste, ac bello regnat, cum multi illi rebelles sint: petimus igitur vt augeatur Regnum Christi, nihilq; remaneat ei non subiectum, tollanturque de regno eius omnia scandala, ac nouissime destruatur mors, ut loquitur Apostolus.

1. Co. 15.

Tertio. Cogita etiam per hanc petitionem nos postulare a Domino, & non solum in nobis, sed in quibuscumque alijs Diaboli Regnum destruatur, ac pænitus intereat. Regnauit olim diabolus regnauit peccatum, regnauit mors, & fuit diu captiuum genus humanum, petimus ergo, vt regnante Deo, pereat diabolus, deficiat peccatum, moriatur mors, & captiuitas captiuetur.

Quarto. Cogita, quod cum ex eo, quod Deus in nobis regnet, sit, viuat, & operetur, infallibiliter sequatur vt perseuerantes, tandem ad cęleste beatitudinis Regnum perueniamus, consequenter po stulamus, ut Regnum, quod iam alijs Beatis aduenit, nobis etiam aduenit cupientibus dissolui, & esse cum Christo.

ad Phi. 1

Quinto.

Quinto. Cogita quid Deo responsuri simus, cum in vitam nostram inquirere cœperit, inueneritque nos sine comparatione plus laboris, ac industriæ in mundi honoribus, pecunijs, vel facultatibus conquirendis, quam in cælestis Regni gloria promerenda posuisse.

Vltimo. Cogita quanta sit liberalitas, & magnificentia Dei, & quam prompta eius voluntas ad nos locupletandos, cum ipse nos inuitet, immo & præcipiat, vt petamus ab eo duplex eius Regnum, vnum quod intra nos est, ipso in nobis regnante, alterum in cælesti patria, vt nos cum ipso regnemus, nec enim vmquam vllus Princeps, aut Rex aliquem Subditorum inuitauit, vt ab eo peteret Regnum sicut Deus noster, nec aliquis etiam Rex vmquam in præmium promisit integrum Regnum suum Hærodes solum promisit filiæ suæ partem: *Licet dimidium Regni petieris tibi dabo*. Deus autem noster integrum Regnum cupit nobis dare idque non corruptibile sed æternum. *Marc. 6.*

FIAT VOLVNTAS TVA SICVT IN CAELO, ET IN TERRA.

COgita Primo, nullam aliam maiorem fælicitatem huius vitæ excogitari posse; quam Dei voluntati obsecundare sic enim maxime efficimur participes Dei, nam sicut ipse non facit nisi quod placet suæ voluntati, & id necesse est esse rectum, cum ipse sit essentialiter bonus, qui in nullo deficere potest, ita & nos eius voluntati nos conformando, nihil vmquam operabimur, quod non sit rectum, & beneplacens Deo.

Secundo. Cogita quod per hanc petitionem nos petere docet Christus Dominus, vt nobis dignetur talem animum præstare, vt si benefitia conferat siue pænas, & infortunia inferat, siue velit nos mori, siue viuere; hæc omnia nobis placeant, vt a rectissima Dei voluntate profecta, ipse enim solus est Pater misericordiarum qui nobis vult, quæ magis expediunt, quoniam ipsi est cura plus quam paterna de nobis, ex quo videbis quam longe absint a scopo quibus si leuis aliqua tribulatio aduenerit, vel murmurant, vel illam totis viribus expellere conantur, & nihilominus tamen orant: *Fiat voluntas tua*. Hi quid aliud faciunt quam Deum deridere, cum verbis petant fieri Dei voluntatem, opere tamen refragentur, sane indignissimum est eum irridere, qui pro nobis tot irrisiones passus est.

Tertio. Cogita petere Deo, vt sicut ipse in nobis viuit, & operatur esse naturale nostrum conseruando, sic & voluntas

eius,

eius in nobis viuat, & mala nostra pænitus intereat quæ radix est omnium peccatorum, vt sic cum Paulo liceat dicere: *Viuo ego iam non ego, sed uiuit in me Christus.*

Ad Galath. 2.

Quarto. Cogita tanti esse momenti, vt renunties voluntatem tuam in voluntatem Dei, vt ipse faciat de te, & in te quicquid sibi placitum fuerit etiam cum omni dispendio, & iactura diuitiarum, honoris, & vitæ, vt hoc ipso voluntas diuina in premium huius etiam in hac vita se tradat tuæ voluntati, & quodammodo tibi obediat omnibus tuis petitionibus annuens, iuxta illud Dauidis: *Faciet uoluntatem timentium se.* Fęlix seruitus voluntatis humanæ conformantis se diuinæ, cum hac via quodammodo Domina diuinæ voluntatis reddatur.

Ps. 144.

Quinto. Cogita addidisse Christum Dominum, vt postularemus fieri voluntatem Dei: *Sicut in cælo, & in terra*: Quo plane significare voluit non debere esse contentos, diuinam Dei voluntatem adimplere quantum ad substantiam rei præceptæ, sed & quantum ad modum, & circunstantias, vt omnino perfecte fiat in terra ad eum modum quo Angeli, & alij Sancti in cælo illam implent, ne minimum Iota prætermittentes, quod ad perfectionem operis desideretur.

Sexto. Cogita illud inter alia interesse discrimen inter abnegantes in hac vita suam voluntatem, & inter blandientes ei, quod illis pro breui tempore quo suę repugnarunt voluntati correspondet, vt per totam æternitatem faciant suam voluntatem, istis vero e contra pro breuissimo tempore quo voluntati suæ in omnibus annuerunt, correspondet, vt per totam æternitatem nihil suæ voluntati gratum, & placidum efficere, aut consequi possint.

Denique sunt tamen qui per cælum Spiritum, per terram corpus intelligunt, vt rogemus Deum sua gratia carnem Spiritui subijcere dignetur, vt illi in omnibus pareamus; ita docuit D. Cyprianus dicens; *Est enim inter carnem, & Spiritum colluctatio inuicem, & discordia aduersus quotidiana congressio, ut non quæ uoluntas ipsa faciemus dum Spiritus cælestia, & diuina quærit, caro terrena, & sæcularia concupiscit, & ideo petimus inter duo ista ope et auxilio Dei concordiam.*

Cypr. expositione de Orat. Domin.

PANEM NOSTRVM QVOTIDIANVM DA NOBIS HODIE.

QVamuis multi inter se dissideant, an in his verbis fiat sermo de pane materiali, an de spirituali. Ego plane indico mentem Christi Domini fuisse vtrumque amplecti, nam cum gemina sit hominis vita, corporalis scilicet, & spiritualis, & vtraque suo pro-

proportionato alimento indigeat, certe ſicut vtraque vita a Deo eſt, ſic utriuſque alimentum ab eo eſt poſtulandum.

Primo ergo cogita, potiſſimum hic nobis poſtulare, vel panem ſpiritualem, qui conſiſtit in obedientia diuinæ volũtati, ut D. Auguſtinus exponit libro ſecundo de ſermone Domini, iuxta illud Chriſti Domini, *meus cibus eſt ut faciam uoluntatem Patris mei*, uel certe panem cęleſtem corporis Chriſti, ut adnotarunt D. Ambroſius, Cyprianus, Athanaſius, & Hieronymus, id quod ſatis ſignificauit D. Matthæus, dum dixit: *Panem noſtrum ſupe ſubſtantialem*; Nullus enim panis excedit omnem ſubſtantiam niſi panis hic cęleſtis, qui de cœlo deſcendit, de quo Eccleſia canit: *Pinguis eſt panis Chriſti*, niſi autem per hunc panem intellexiſſet carnem Chriſti minime vocaſset illum *pinguem*, cum pinguedo ſoli carni conueniat, ex eo autem, quod alij legunt panem quotidianum ſatis nobis datur intelligi, quam grata ſit Chriſto Domino frequentia huius panis, quod autem addidit Chriſtus Dominus *Panem noſtrum* propterea dixit, ut intelligeremus panem ſui corporis eſse noſtrum dumtaxat, ideſt fidelium, non infidelium, ut ſapienter obſeruauit D. Cyprianus, cui intelligentiæ conſentit D. Gregorius dicens: *Ecce & noſtrum dicimus, & tamen ut detur oramus: noſter quippe fit cum accipitur, qui tamen Dei eſt cum ab illo datur & Dei ergo eſt ex munere & noſter fit ueraciter per acceptionem.*

D. Aug. libr. 2. de ſer. dom. Ioan. 4. D. Amb. libr. 5. de Sacr. c. 1. D. Cypr. de or. do. D. Atha. li. de Inc. D. Hiero. ſup. Mat. cap. 6. Eccleſia i off. corp. Chriſti. D. Cypri. de or. do. D. Greg. lib. 3. moral. c. 5.

Secundo. Cogita nomine panis hoc loco intelligi licet minus principaliter, panem materialem, ſed non ſolum uſualem, ſed omnia ad ſuſtentandam uitam neceſſaria ſecundum cuiuſque ſtatũ, quod ſi quiſpiam obijciat iuxta hanc intelligentiam de pane ad ſuſtentandam uitam neceſsario, diuites & multis bonis affluentes, non debere uti hac petitione orationis Dominica, D. Auguſtinus mouit hanc quæſtionem, & illam ſapienter ſoluit loco præcit. ſic enim ait, *Et quid eget diues? audeo dicere ipſo pane quotidiano eget Diues: quare enim abundant illi omnia, niſi quia Deus dedit? Quid habebit ſi Deus ſubtrahat manum ſuam? nonne multi dormierunt Diuites, & ſurrexerunt pauperes*; ait igitur Auguſtinus, pauperes quidem petere neceſsaria ad uitæ ſuſtentationem, ut illa habeant, Diuites uero vt non amittant.

D. Aug. ubi ſupr.

Tertio. Cogita conſulto dixiſſe Chriſtum Dominum, *da nobis*, quia per priora uerba ſignificare uoluit non tibi ſoli dari, quod habes, ſed per te alijs, ut bonorum tuorum fraterna Charitate proximos tuos quantum tibi liceat participes facias, omne auaritię genus a te longe repellens: ultimum uero uerbum, *hodie*, ſubiunxit, ut doceret nos non torquendos ulterioris diei cura, ſed confidendum de diuina prouidentia, etenim ſicut filij huius ſeculi quãdiu

non sunt a parentibus abdicati, sed sub Patrefamilias degunt, non sunt solliciti de victu, quia paterna benignitas illis prospicit: Ita filij Dei minus solliciti esse debent, & anxij de bonis temporalibus ad vitam necessarijs, qui benignissimum, & opulentissimum Patrem habent, maxime quod si passerculis prouidet multo ma-
Matt. 10 gis prouidebit illis, Christo Domino dicente: *Multis passeribus meliores estis uos.*

ET DIMMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA, SICVT, ET NOS DIMMITTIMVS DEBITORIBVS NOSTRIS.

PRimo. Cogita peccata vocari a Christo Domino *Debita*, quia per peccatum mortale reddimur debitores dolendi de offensa, & soluendi pœnam æternam damni, & sensus; vocauit autem illa debita nostra, quia sola nostra praua voluntas causa est peccati, atque adeo nihil tam proprie nostrum est quam peccatum, & quod ex peccato oritur, quicquid autem aliud boni possides ex Dei dono habes: ex quo conijcere licet, quam fatue loquantur, qui Deo, vel complexioni, vel constellationi, aut fato sua peccata tribuunt, nos enim sumus qui peccauimus, cum neque natura, neque fortuna, nec praua complexio, nec fatum, nec constellatio, nec Dæmon nos peccare coegerint, & multo minus Deus qui auctor est totius bonitatis.

Secundo. Cogita quæ tua sint debita, & flagitia, quæque his parata supplicia, pro quibus, vt per te satisfacias, nisi te singularis Dei fauor, & benignitas iuuerit, nunquam sufficeres, sed in æternum perires.

Tertio. Horum debitorum magnitudinem expende, quæ vt solueret filius Dei, humanæ se naturæ miserijs subiecit, post tolerata acerbissima supplicia turpissimam mortem adijt. Ex quo conijcere possumus, quantum ipsi debeamus, qui debitum illud, quod nulla nostra facultate solui poterat, hac tam operosa sibi, ac molesta ratione deleuit.

Quarto. Cogita quod qui nolunt his a quibus offensi sunt iniuriam parcere, certe illa verba recitantes ipsi se condemnant cum enim poscant, vt simili modo sibi Deus culpam relaxet, sicuti aliorum ipsi, quid aliud postulant, quam ne sibi Deus culpam remittat, cum ipsi alijs veniam dare obnuant, quare per hanc petitionem postulamus a Deo veram Charitatem erga proximos, protestantes Deum non remissurum nobis iniurias ei illatas, nisi nos fraterna Charitate ducti remiserimus proximis nostris quæcumque in nos opprobria comiserint.

ET

ET NE NOS INDVCAS IN TENTATIONEM.

PRimo. Cogita adeo lubricam esse viam huius vitæ, tamque varia pericula, ac multiplices laqueos, hostem etiam tam potentem, vt nec momento quidem vno securi sumus de firmitate nostri boni propositi, quæ sola iustissima, & sufficientissima causa esse deberet mortis peroptandæ, cum quotidie experiamur, sepè in plura ruere posse peccata, & in nonnulla incidere, atque adeo non semel contra amabilissimam Summi Patris voluntatem operari, certe quia hoc peccandi periculum non præfert mortis malo tæpidissime diligit Deum suum, qui mortem ad hoc præcipue ordinauit, vt hoc peccandi malum aliquãdo finem habeat, ad quod respiciens D. Paulus dicebat: *Infælix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius*, continuo, subiecit: *Gratia Dei per Iesum*, ad hanc igitur gratiam consequendam docuit nos Christus Dominus, vt diceremus: *Et ne nos inducas in tentationem.* *Ad Ro. 6*

Secundo. Cogita sensum horum verborum posse esse, vt memores nostræ magnæ infirmitatis, non solum petimus, vt vincamus cum tentamur, sed ne etiam in certamen descendamus, ne forte ab hoste superemur, ita docuerunt D. Cyprianus, & D. Chrysostomus, & Christus Dominus manifeste hunc sensum expressit cum dixit: *Vigilate, & orate ne intretis in tentationem, Spiritus quidem promptus est caro autem infirma.* Sicut ergo Christus Dominus recusabat pugnam cum morte, dum dicebat: *Pater si possibile est transeat a me calix iste.* Ita, & nos sancte petimus, & volumus fugere congressum cum hostibus nostris ne forte ab illis superemur. *Cypr. de Orat. Dominica. D. Chrys. ho. 20.*

Tertio. Cogita sensum prædictorum verborum posse esse, quod non petamus non incidere in tentationem, hoc enim præterquam fieri non potest dum carnem circumferimus non esset nobis vtile, cum & Apostolus dicat: *Non coronabitur nisi qui legitime certauerit*, & D. Iacobus asserat: *Omne gaudium existimate fratres cum in uarias tentationes incideritis.* Sed quod postulamus est ne cum in tentationem inciderimus ab illa vincamur, certe nemo quantalibet Sanctitate polleat, & quantumcumque sæpe sæpius in tentationibus victor euaserit securitatem sibi promittere potest in futurum, experientia ipsa docente Sanctissimos viros defecisse etenim sicut ouis a lupi faucibus se liberare nõ potest, si Pastoris tutela destituatur, ita nec homo, si diuina protectio ei defuerit, carnis illecebras, mundi, aut Diaboli versutias declinare non poterit Dauide dicente; *Nisi Dominus custodierit Ciuitatem frustra uigilat, qui custodit eam.* *2. Tim. 2. Iacob: 1. cap. 1. Ps. 126.*

Vltimo. Mente euolue, quod nam genus tentationis frequentius, & vehementius pulsat animum tuum, cui enim aduersarius suus est perspectus facilius eius insidias declinare poterit, & tunc accingere ad omnes causas illius peccati præscindendas, & fugiendas, in quo prestando summa est adhibenda causa, & nulli parcendum difficultati, nec enim hoc est negotium parui momenti, vt tuto dormire possis cum in eo æternæ salutis tuæ cardo vertatur.

SED LIBERA NOS A MALO.

PRimo. Cogita nos petere hic a malis liberari, non vt totaliter auferantur, id enim non patitur presentis vite conditio, neque conducibile esset animæ nostræ, nam *Virtus in infirmitate perficitur*, vt Apostolus ait, immo id esset contra illam priorem petitionem; *Fiat uoluntas tua*. Est enim voluntas Dei nos, vt Crucis mortificationem mente, & corpore circumferamus; verum quoniam prædicta mala plerumque animum imbecillem pertrahunt ad culpam; ideo oramus Deum, vt nos ab illis malis eripere dignetur, non quidem omnia pænitus repellendo, sed quedam subtolendo, quædam mitigando, vt sine iactura spirituali ea perferamus atque hunc sensum amplexus est D. Cyprianus, qui nomine mali omne generaliter malum intelligit.

2. Cor. 11

D. Cypr. de Orat. Domin.

Secundo. Cogita nomine mali hoc loco intelligi Diabolum, qui per Anthonomasiam malus est non natura, sed culpa sua ab eiusque insidijs petimus liberari, qui cum sit hostis fortissimus, astutissimus, in expugnando versatissimus, & vetustissimus, indigemus magno Dei auxilio ad illum superandum, quos si Deus, nos destituat, certissimum erit ab eo vinci; hunc sensum amplectitur D. Chrysostomus Hom. 20. nec non Tertulianus dum explicans verbum illud *a malo*, dixit, *ipse a Diabolo tentatus, præsidem, & artificem tentationis demonstrauit*. Ad extremum D. Augustinus lib. 1. de serm Domini, cap. 9. docuit septem his petitionibus correspondere septem donis Spiritus Sancti, nam per donum Sapientiæ, Spiritus Sanctus nos docet sanctificare nomen Dei, & quomodo sanctificandum sit. per donum intellectus docet cognoscere intra nos esse regnum Dei, nihilque magis dignum esse desiderio, quam quod Christus in nobis regnet, & nos cum Christo postea conregnemus: per donum consilij instruimur, & suademur in omnibus diuinam voluntatem facere: per donum fortitudinis incitamur ad frequentandum panem supercælestem corporis Christi, per quem corroboramur, & fortiores efficimur ad vincendos

Tert. lib. de Orat. Domin.

D. Aug. li. de ser. in monte dom.

dos hostes; per donum scientiæ docemur cognoscere debita, & peccata nostra, vt illa defleamus, & in posterum caueamus; per donum pietatis, quo colimus Deum præseruamur ne in tentationem intremus, iuxta illud Christi Domini; *Vigilate, & orate ne intretis in tentationem;* Per donum tandem timoris retrahimur a malo, a quo in vltima petitione postulamus a Deo liberari, cui sit honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

De Christo Domino in sua Passione.

§. III.

PRincipalia mysteria passionis Christi Domini nemo Catholicus ignorat fuisse, orationem in horto cum tristitia, & ingenti agonia, sudorem sanguineum usque ad terram decurrentē ex viuacissima consideratione omnium peccatorum totius mundi tam præteritorum, quam futurorum, & omnium tormentorū quibus cruciandus erat: deinde capturam eius cum tamquam facinorosus latro ignominiose fuit captus, per proditionem Iudæ discipuli sui, præsentationem eius in varijs tribunalibus coram illegitimis, & iniquissimis Iudicibus, Alapam ei procacissime impa ctam ab infami homunculo, flagellationem diram ad columnam, Coronam spineam, sacrum eius caput, & tempora terebrantem, Vestem albam qua tamquam stultus fuit indutus, clamidem purpuream, & arundinem loco sceptri ei tamquam ridiculo Regi datam, antepositionem Barrabæ hominis iniquissimi ad ipsum Christum Dominum illis clamantibus, *Non hunc, sed Barrabam:* Baiulationem grauissimæ Crucis super tenerrimum eius humerum, occursum matris filio Crucem portanti, acerrimum Crucifixionis tormentum inter duos latrones, quod non solum dolorem, sed & dedecus summum ei intulit, accedunt his fel, & acetum dum sitiret ei propinatum, septem verba, quæ a Cruce pendens locutus fuit, varia tormenta, quæ in oībus suis sensib. tunc passus est: tactus ingentes cruciatus suscepit dum manus, & pedes fuerunt perforati: auditus similiter dum tot blasphemias contra se audiuit: Odoratus item, quia locus Caluarij erat immundus valde: Gustus amaritudinem potus sensit: Visus miros cruciatus sustinuit non solum videndo carnifices, & vniuersam illam populi multitudinem sibi insultantem, & sibilantem, sed aspiciendo dilectissimam eius matrem, summo mærore confectam, mortem tandem acerbissimam, ac vulnus lateris post obitum eius ei inflictū, quod licet tunc non sensit, illud tamen prænouit, & acceptauit

volens

mul Angeli, & Animæ, cuius corpus conceptum fuit ex purissimo sanguine Virginis, Spiritu sancto operam viri supplente, hæc & similia ponderanda sunt in persona Christi patientis.

Quo ad secundam vero circumstantiam nimirum *quæ patitur*, etenim Christus Dominus internam passus est afflictionem in anima, grauissimos dolores in corpore, falsa testimonia illi imposita, vituperia a nobilibus, & ignobilibus sibi illata; ignominias varias contra honorem suum, conspirationem totius Populi contra se, turpem opinionem de illo conceptam, fuit enim existimatus dæmonium habere, & pactum cum illo, putatus fuit negromanticus, intemperatus, ac falsò configere se filium Dei esse, ac tandem paucis illis bonis, quæ habebat nempe suis vestib. fuit expoliatus, ac tandem cum Creator omnium esset rerum omniū penuriam sustinuit, quamuis autem grauia multa tormenta fuit passus in corpore, grauiora multo erant, quæ patiebatur in anima, nam peccata hominum, quæ clarè videbat, ingentem dolorem ei incutiebant, quia iniuriæ Dei erant, quem summè diligebat, & quem clara visione cognoscebat dignum esse infinito honore, & amore, cum autem ea multa, & grauia ex illis peccatis commiseris, agnosce, & dole te grauissimè afflixisse sacratissimam animam Redemptoris tui: Cruciabat deinde vehementer animam Christi, quam paucis hominibus profutura erat passio eius, & quam multi futuri erant, qui nihil vtilitatis ex ea decerpere uellent: similiter ingentem dolorem ei inferebat distincta, & clara repræsentatio, quam per omnia momenta vitæ suæ habuit omniū cruciatuum, & ignominiarum sibi inferendarum: ac tandem, memoria dolorum omnium, quæ dilectissima eius mater sustinere debebat, his enim quattuor clauis confodiebatur eius anima acerbius multo, quam totidem materialibus clauis corpus eius fuit confixum, vnde non fictè, sed verissimè contemplor Christum dominum toto uitæ suæ tempore è cruce hac spiritnali pendentem.

Circa tertiam autem circunstantiam; nempe: *Propter quem*, illa patitur sanè, si ea passus fuisset propter aliquem, qui mæruisset tantum beneficium, vel propter quem futurus fuisset ei gratus, aut certè propter personas magnæ excellentiæ, aut auctoritatis, vt propter Seraphinos, & Cherubinos, ac reliquum Angelorum cetum, res tantę admirationis non fuisset, tamen quod ea pati dignaretur Rex Gloriæ propter vilissimos vermes, qui propria sua voluntate se deturparunt, & contra diuinam Maiestatem insurgere ausi sunt; hoc valde commendat ardentissimam Christi Charitatem, cum non solum tot grauissima tormenta sustulerit pro amicis

cis,sed pro infæstissimis inimicis etiam pro carnificibus, qui summo odio illum prosequebantur,sanguinem extrahebant, ac mortem crudelissimam inferebant: vnusquisque autem perpendere debet Christum Dominum sibi dicentem. Hæc omnia propter te patior,& quamuis etiam pro alijs, tibi tamen perinde utilis esse potest,ac si pro te solo illa pateretur,in memoriamque oportet re uocare Christum Dominum cum patiebatur te præsentem habuisse per scientiam visionis,non minus quam si ibi tunc ad fuisses:non solum autem te,sed omnia tua peccata,pro quorum medella illa Patri æterno offerebat, hæc consideratio pulsabat ani-
ad Gal. 2 mum D.Pauli,cum dicebat, *In fide uiuo filio Dei,qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.*

Quarta Circunstantia erat. *Quare illa patitur*: Hoc est propter quam causam, certe Pilatus post longam examinationem
Ioan. 80 vitæ Christi rei veritate compulsus fuit dicere,se non inuenisse in Christo Domino causam mortis, quibus aperte confessus est innocentiam illius:causa igitur mortis Christi Domini fuit infinita bonitas,& Charitas Christi Domini,ita nostris miserijs compatiēs, vt non dubitaret ad liberandum nos à seruitute Diaboli, cuius per peccatum facti eramus serui, & à morte æterna illis debita grauissima tormenta perferre, & mortem turpissimam sustinere, vbi illud magna consideratione dignum est, quod Christus Dominus operibus suis,& grauissimis doloribus,non mærebatur sibi Gloriam essentialem,hanc enim ab instante suæ conceptionis acceperat, sed nobis illam mærebatur, itaque ex duobus præmijs, quæ correspondebant operibus,& doloribus Christi Domini,nimirum, Gloria essentialis, & accidentalis id quod prætiosius erat gloriā scilicet essentialē nobis donauit,& quod minus prętiosum sibi seruauit, Gloriam scilicet corporis, ac tandem cum videris Christum Dominum Deum tuum sanguinem fundere,Cogita id præstare, vt animæ tuæ vulneribus medeatur.

Quinta Circunstantia erat, *à quo Christus Dominus patiebatur.* Equidem Christus Dominus passus est ab ijs in quos penè infinita beneficia contulerat, eos enim ab Aegyptiorum dura captiuitate eduxerat, innumera prodigia in eorum gratiam efficiēs, quibus legem suo digito scriptam dederat, quos panne cælesti per quadraginta annos nutrierat, quibus terram promissionis tradiderat,quos tanto honore effecerat,vt ex genere eorum dignatus fuisset carnem mortalem assumere,Pastor,& Magister eorum fieri,quos tandem ita frequentibus beneficijs prosequebatur,vt infirmos eorum curaret,ac mortuos suscitaret; Ad hæc,passus fuit Christus Dominus ab infamissimis hominibus, cuiusmodi erant

destinati

destinati ad inferenda supplicia malefactoribus, & in vniuersum passus fuit a Gentilibus, a Iudæis, a Magnatibus, cuiusmodi erant Principes Sacerdotum, à Plebæis, & vilibus homuncijs, cuiusmodi erat seruus Pontificis, qui ausus fuit ei impingere alapam, vt refert Diuus Ioannes: insuper, quod mirabilius videri debet patitur Christus Dominus a discipulis suis, quos ad culmen dignitatis Apostolicæ erexerat, nam vnus illorum illum vendidit, alius negauit, alij tandem fugerunt, immaculatum agnum inter dentes luporum relinquentes: immo, & a matre sua patitur, quæ quamuis omni culpa expers esset, sua tamen præsentia mirum in modum præcordia Christi cruciabat propter gladium, quem nouerat visce ra dilectissimæ matris pertransire iuxta vaticinium Simeonis: quid plura? patitur etiam ab ipso Patre qui tradidit illum in manus suorum hostium permittens, vt morte turpissima illum afficerent, ita enim Deus dilexit Mundum, vt filium suum vnigenitum daret, ac pro peccatis eius eum Cruci affigeret. Ioan. 18. Luca 2.

Deinde circa sextam Circunstantiam nimirum: *Quomodo patitur:* quattuor præcipue consideranda occurrunt. Primum est, quod summa Charitate illa patitur, etenim licet valde excessiua fuerint tormenta illa, tamen longè superabat amor quo illa patiebatur; hic enim excessus eo peruenit, vt Christus Dominus paratus esset non semel, sed millies si opus fuisset ad reparationem generis humani mortem oppetere: Secundum est quod Christus Dominus adeò promptè & auide patiebatur, vt dilatio acerbissimæ suæ mortis vehementer illum angeret ipso dicente: *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor donec ueniat.* Tertium, quod ita gratum erat Christo Domino pro nobis pati, vt miraculum illud ab instanti suæ conceptionis vsque ad mortem protenderet, nimirum, vt gloriam contineret animæ, ne in corpus redundaret quæ alioqui iuxta secundum legem, & quadam connaturali sequela nisi ipse, vt aptaret corpus ad patiēdum pro nobis illam impedisset in corpus efflueret. Quartum est, quod dum patiebatur hæroicas exercebat virtutes, præcipue, Charitatis, Obedientiæ, Humilitatis, Misericordiæ, Patientiæ, Mansuetudinis, Silentij, Fortitudinis, Mundi contemptus, ac perseuerantiæ, quas omnes conandum est nobis imitari naturam, vt dixit D. Petrus: *Christus passus est vobis relinquens exemplum, vt si quamini vestigia eius.* Luce 12. 1. Pet. 2.

Quod vero attinet ad Circunstantiam: *Vbi Christus patiebatur.* Non est silentio prætereūdum mortem turpissimam sustinuisse in populosissima Ciuitate Ierusalem, in qua quum sanctior reliquis erat, præualere debuissent veritas & Iustitia, & in qua quia Christo Domino fuerat multiplex honor delatus, & tanquam magnus

K Pro-

Prophæta habitus tanto eius mors turpior reddebatur: insuper etiam locus Caluarij in quo fuit Crucifixus, infamis, & abiectissimus erat, cum ad plectendos facinorosos homines fuisset a Republica destinatus.

Ad extremum, vltima Circunstantia ad tempus expectabat, quando scilicet Christus Dominus passus fuit, etenim in solemnissimo Paschæ fæstæ cum ex varijs regionibus, & Prouincijs, ad Ierusalem fæste celebrandi causa permulti confluxerant, certe omnes illi prauam de Christo Domino opinionem concipiebant, videntes illum tanquam insignem malefactorem inter latrones crucifigi, cum postea singuli in suas Prouincias redditent, certum est turpem illam mortem Christi diuulgasse; consideratione etiam dignum est elegisse Christum Dominum tempus passionis suæ in quo homines fæstiui essent: vt sic acerbior redderetur eius passio, & ardentissima eius Charitas magis commendaretur, dum festum quod ipse celebrat est sui ipsius immolatio in ara Crucis, ipseque velit cruciari dum homines fæstiue letantur, atque ex meditatione horum omnium volütas prorrumpere debet in varios affectus tum compassionis, tum gratiarum actionis, tum amoris, tum spiritualis gaudij, tum humilitatis, & obedientiæ, tum spei, & confidentiæ, ac præcipue imitationis, quia, vt dixit D. Augustinus. *Summa religiositas est imitari, quod colis.*

D. Aug. lib. de uera religione.

De Christo glorioso in Corpore, & Anima.

§. IIII.

GLoria essentialis sanctissimæ animæ Christi Domini cæpit cum eo ab instanti suæ Conceptionis, quam verbum diuinum liberaliter ei impertiuit absque præcedente aliquo eius merito; Spiritus Sanctus autem illam disposuerat, per copiosissimam gratiam habitualem, quæ adeo intensa fuit, vt omnium Angelorum, & hominum gratias etiam in vnum cumulum redactas longe excelleret, sic enim decebat eum qui vere erat filius Dei naturalis, & caput tam militantis, quam triumphantis Ecclesiæ, cum igitur gratia hæc fuisset immensa, vt loquitur D. Ioannes dicens non fuisse ei datum Spiritum ad mensuram, ita etiam illi correspondit gloria immensa, vnde fit, vt plus excedat gloria animæ Christi reliquorum omnium gloriam, quam lux solis superat lucem vnius exiguæ lucernæ; meditandum est etiam, quod præterquam intellectus illius Sanctissimæ animæ excellentissimus est omnium quos Deus creauerit ærarium est omnis sapientiæ, & scien-

ſcientiæ Dei, iuxta illud Pauli: *In quo ſunt omnes Theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei;* etenim ab inſtanti quo Chriſtus fuit conceptus omnes ſcientiæ fuerunt illi infuſæ, interquas principem locum obtinet ſcientia beata, quia per illam agnoſcit clare, ac intime penetrat diuinam naturam, ac tres perſonas, illam ſuppoſitantes omnia diuina tributa perfectiones, ac proprietates, atque hinc eſt, quod videns omnipotentiam Dei plures effectus in ea latentes cognoſcit, quam reliqui omnes beati; adeoque lõge lateque intuitiua ſe eius ſcientia extendit, vt clare cognoſcat creaturas omnes tam quæ fuerunt quam quæ ſunt, & erũt per totam æternitatem, etiam abſconditas cogitationes, & affectiones cordium, tam Angelorum, quam hominum: vnde manifeſtè infertur, ita profunde animam Chriſti Domini penetrare cor diuinum, vt clare agnoſcat omnia libera decreta Dei, ſiue quicquid ab æterno decreuit facere ad extra per totam æternitatem; deinde meditatio tranſeat ad voluntatem ſanctiſſimæ illius animæ, quæ præter quam ornata eſt omnibus virtutibus moralibus in hæroico gradu, immenſa charitate ardet, tam habituali, quam actuali, a qua nec per momentum deſtitit ab inſtanti ſuæ conceptionis, nec ceſsabit per totam æternitatem, fomentum autem huius amoris cognitio eſt infinitæ bonitatis Dei, & benefitiorum, quæ ab eo receperat maxime vnionis hyppoſtaticæ cum eius humanitate: ingens adeo eſt, ac vehemens hic amor qui accendit ſacratiſſimam illam voluntatem, vt ſolus amor increatus, quo Deus ſe ipſum diligit illum ſuperet: iuxta menſuram autem qua diligit Deus, diligit, & proximos, ac ſpirituale incrementum prædeſtinatorum auidiſſime cupit, & maxime tuum, quia videt te pauperiorem, & indigentiorem cæleſtium chariſmatum: ab hoc feruenti amore animæ Chriſti erga Deum oritur immenſum gaudium, & complacentia indicibilis qua gaudet propter obtentam poſſeſionem Dilecti ab inſtanti ſuæ conceptionis, & propter celeſtes gratiarum diuitias, ac ſupernaturalia dona quibus ſe elocupletatam agnoſcit ſuper omnes Beatos: Hæc omnia hucuſque dicta pertinent ad ſubſtantialem gloriam animæ Chriſti, ea vero quæ confeſtim ſubijciam ad gloriam eius accidentalem ſpectant, etenim ſi Martyres, Virgines, & Doctores, ſingularem gloriam accidentalem, quam Theologi vocant Aureolam obtinẽt; dubitandum non eſt animam Chriſti defraudatam non fuiſſe ſpetiali gloria accidentali correſpondenti illi multiplici aureolæ, cum & ipſe non ſolum Virginitatem perfectiſſimæ ſeruauerit, imò, & Dux, & author virginitatis extiterit, nec non ſapientiſſimus Eccleſiæ Doctor, abſcondita diuini pectoris ſecreta nobis reuelans, iuxta illud Ioannis; *Qui eſt in ſinu Patris ipſe narrauit,* & quia

Ad Col. 2

Ioan. 1.

K 2 tan-

tandem rigorosè martyr extitit; cum verè mortuus fuerit, quia prædicabat se esse filium naturalem Dei, quæ inter omnes veritatis fidæi Catholicæ primum locum obtinet. Ad hæc si S. Paulus dicebat discipulis suis: *Vos estis corona mea*; reliquum est tot coronas Christo Domino deberi quot fuerint propter eius doctrinam, & effusum sanguinem conuersi, & vitam æternam consecuti: gaudet insuper anima Christi in Cælo ex eo, quod ipse sit aduocatus noster ad placandam iram Patris, & vt petitionibus nostris annuat: gaudet in regenda Ecclesia Catholica cum singulis eius ministris cooperando ad sua munera obeunda Summi Pontificis munere fungitur cum Summis Pontificibus eius Vicarijs, Episcopi, cum Episcopis, pastoris, cum pastoribus, Sacerdotis, cum Sacerdotibus, confessarij, & concionatoris cum confessarijs, & concionatoribus; & sic de reliquis gaudet deinde sacratissima illa anima, alia etiam gloria accidentali ex circunstantia loci orta, quia plantis suis calcat Christus Dominus supremum verticem cæli Impyrei, in quo, summa Maiestate, ac plusquam regio splendore commoratur, ex eo tamen amplius augetur gloria illa accidentalis, quia videt omnes cælicolas, illum feruenter, ac sine intermissione amare, filiali timore reuereri, humiliter adorare, gratias agere, ac incessanter laudare; gaudet etiam speciali ratione de Victoria, quam tulit de omnibus suis hostibus, tam dæmonibus, quam hominibus, immo & de Iustitia qua illos puniens in eos exercet; gaudet insuper de supremo dominio super omnes creaturas, ac de potestate iudiciaria, quam habet; accedente autem iudicio finali gaudebit de optimo vsu illius potestatis, ac de præmio prædestinatorum, sicut & de supplicio reproborum.

Porrò à gloria animæ Christi oportet meditatio transitum faciat ad gloriam Sacratissimi corporis illius, cui certè ab instanti gloriosæ Resurrectionis, omnes temporales dolores ignominiæ, ac acerbæ eius passionis in cælestes delitias, & æternos honores commutatæ sunt: fuit reunitum sacrum illud corpus animæ Christi Domini, ornatum quattuor dotibus gloriæ in heroico gradu, nulli concesso, nec vnquam concedendo, claritate, & splendore maiori, quam redderent mille Soles simul: impassibilitate qua factus fuit non solum mortis, sed & cuiuscumque doloris incapax: subtilitate, qua potest se penetrare cum quocumque corpore quantumuis solido, & occupare eundem locum, quem illud occupat; agilitate, qua velocissime, ac in breuissimo temporis interuallo, longissima loca percurrere potest: claritas, & pulchritudo, præmium fuit fæditatis, & obscuritatis, quam liuores saliuæ, & pugna ei impacta intulerunt; impassibilitas præmium fuit summæ eius pa-

tientiæ inter tot vehementissimos cruciatus; agilitas præmium fuit singularis suæ promptitudinis in obediendo patri in rebus difficilimis vsque ad mortem Crucis: subtilitas præmium fuit vehementissimi affectus, quo se offerebat ad penetrandum, & vincendum omnes, quæ se offerebant difficultates, ad executionem Redemptionis generis humani; Perge vlterius, ac perpende quinque cicatrices ex vulneribus in corpore Christi relictas velut prætiosissimos carbunculos, sacrum eius corpus exornantes, summo splendore micare: ascende ad sacrum eius caput, quod spinarum vulnera instar Regij diadematis illud cingentia mirifice decorant, ac tandem considera potentias Christi sensitiuas, vt imaginatiuam, concupiscibilem, irascibilem, ac sensus eius exteriores, qui varijs doloribus fuerunt confecti, nunc singuli singulari gloria suæ capacitati proportionata in intensissimo gradu gaudere: his adiunge varios honores in ascensione Christo Domino delatos in præmiũ ignominiarum, quas patienter tulit in sua passione, singulariter tamen honor, ac dignitas illa qua mirifice Christus Dominus fuit exaltatus, vt mitteret visibiliter Spiritum Sanctum super Ecclesiam suam, quod neutriquam præstare potuisset, nisi vere esset Deus, & ab eo procederet Spiritus Sanctus, cum nulla persona mittatur nisi ab ea, à qua producitur, ob cuius rationem Pater nunquam mittitur, quia à nullo producitur.

Ex meditatione autem gloriæ tam animæ, quam corporis Christi Domini voluntas nostra excitanda est ad exercendos varios affectus, præcipue desiderij videndi Christum, gaudij, & congratulationis, actionis gratiarum Beatissimæ Trinitati propter beneficia, & præmia in humanitatem Christi Domini collata, plus æstimans illi data, quam sibi, contemptus deinde omnium terrenorum bonorum arbitrans illa vt stercora in comparatione cælestium: odij deinde omnium peccatorum cum ab obtinenda cælesti gloria, & consequendo vltimo nostro fine nos præpediunt, de modo verò practicandi hos affectus dicemus infra lib. vlt.

De Christo Domino realiter existente in Sacramento Eucharistiæ.

De figuris augustissimi Sacramenti Eucharistiæ; quæ viam aperiunt ad meditationem illius.

§. I.

PErmultæ sunt huius Sacramenti imagines, & figuræ, aptiores tamen ad meditationem hic apponam.

Prima

Genes.4. Prima. Sacrificium Abelis offerentis pinguiorem agnum. Se-
Exod.12 cunda. Agnus Paschalis, qui præcipiebatur comedi cum lactucis
3.Reg.17 agrestibus. Tertia. Panis Eliæ in cuius fortitudinem ambula-
Dan.14. bit vsque ad Montem Dei Oreb. Quarta. Panis missus a Deo Danieli existenti in Lacu Leonum, quem cum vidisset continuo
Iudic.10. dixit: *Recordatus est mei Dominus;* Nec non panis subcinericius Gedeonis Iudicum septimo, qui & gladius vocatus est, vt significaretur hoc Sacramentũ simul esse panem nutrientem animam, & gladium iugulantem vitia. Quinta. Panes propositionis, ad quos
1.Reg.21 comedendos interrogatus fuit Dauid si mundi erant qui eos ede-
Exod.16. re volebant. Sexta. Manna datum cælitus, cuius proprietates, & circunstantiæ, quibus collatum fuit, multa magnalia huius Sacramenti detegunt. Etenim. Primo. Dominus dedit manna iter agentibus per desertum, cessauit verò cum ingressi fuerunt terram promissionis, dabat autem illud nocte, sic Eucharistia datur viatoribus, cum vero peruenerint ad patriam iam non amplius hoc vtentur Sacramento, quia videbunt Deum facie ad faciem, dari autem nocte significabat hoc Sacramentũ instituendum esse nocte, vt di-
1.Cor.11 xit Apostolus: *In qua nocte tradebatur accepit panem;* Insuper etiam significabat hoc Sacramentũ in caliginem fidei obscuræ esse cernendum, & non in lumine naturalis rationis. Secundo. Descendebat manna in solo populo Dei, hac fælicitate gaudent fideles, vt in solo populo eorum, hoc est in Ecclesia Catholica, communice-
Ps.57. tur manna Eucharistiæ. Tertio. Vocabatur manna illud: *Panis Angelorum*, Quia ipsi illum efficiebant sic in Ecclesia Sacerdotes qui Angeli vocantur propter angelicam vitam, quam agere de-
Nu. 25. bent, sunt qui hoc conficiunt Sacramentum. Quarto. Vocabatur etiam manna cibus leuissimus, quæ nuncupatio aperte præfigurabat, quod licet Christus sit in hoc Sacramento cum tota sua
Exod.23 quantitate non tamen granescit, aut eã ponderis est. Quinto. Admirabantur omnes manna vtentes, *mannu?* dicentes, quod interpretatur: *Quid est hoc?* Multa tamen mirabiliora inueniuntur in hoc Sacramento, in quod tot confluunt myracula, si quis tamen admirans interrogauerit de hoc Sacramento quid est hoc, Christus Dominus respondet: *Hoc est corpus meum*. Sexto. Manna erat quasi semen Coriandri, quod constat esse satis minimum, sed certe Christus in minori paruitate adest in hoc Sacramento, cum sit in quantumcumque minori & minori parte hostiæ, Sacramentum hoc etiam semen est non Coriandri, sed semen vitæ æternæ.
Nu. 11. Septimo. Terebatur in mortario antequam comederetur, ita
Ibidem. Christus Dominus in mortario Crucis passus est antequam in ci-
Ibidem. bum se nobis præberet. Octauo. De manna fiebant Tortulę olea-

tæ

tæ:quid quæso est hostia consecrata,nisi Tortula oleata,cum intra illam adsit fons olei misericordiæ,de cuius nomine Sponsa dixit. *Can.1.* *Oleum effusum nomen tuum.* Nono. Gustus illius erat quasi simile cum mele: maiori certe suauitate hoc Sacramentum abundat, *Exod.16* cum in eo dulcedo in suo fonte gustetur. Decimo. Sapor eius *Sap. 16.* ad quod quisque volebat conuertebatur, ita & Sacramentum ad quodcumque malum propulsandum,& bonum aquirendum pręstantissimum remedium est, vt illo vtentes quotidie experiuntur. Decimoprimo. Cum manna decidebat prius descendebat Ros *Nu. 11.* cælestis, immo, vt quidem dicunt,prius ventus adueniebat, qui mundabat terram a puluere,& paleis,quod satis ostendit præparationem faciendam ad vsum huius Sacramenti. Decimosecundo. Qui plus colligebat non inueniebat amplius,nec qui minus reperiebat minus,sed tantum inueniebat vnus,quantum alius, sic sanè neque qui maiorem, neque qui minorem sumit hostiam, plus, aut minus inuenit, nam cum in qualibet etiam minima totus adsit Christus,tantum accipit vnus quantum alius, vt dixit D. Thomas: *Sumit vnus, sumunt mille,tantum iste quantum illi.* Decimotertio. Iubebat Dominus quotidie colligi, quo aperte docemur frequentandum esse hoc Sacramentū Sacerdotibus quotidie,alijs vero iuxta mēsuram deuotionis cuiusque ad iudicium periti Confessoris. Decimoquarto. Manna non fuit Israelitis datum donec ab Aegypto discesserunt, rubrumque mare transierunt, in quo ita omnes eorum hostes submersi sunt,vt nec vnus superfuerit ex eis, vt legimus Exod. 14. non secus hic diuinus cibus non *Exod.14* prius peccatoribus datur,quam malum suum statum deserant,omniaque peccata mortalia in pænitentiæ mare demergant,itaut neque vllum solum supersit. Vltimo. Seruabatur manna in vrna: ita & Sacramentū magna religione custoditur in Sacrario,& maiori in pectore illud digne recipientis,quam diu in eo durant species sacramentales.

Septima figura huius Sacramenti fuit lignum vitę,de quo Ioannes in Apocal. dixit: *In medio eius lignum uitæ afferens fructus duodecim;* certe si lignum vitæ immortalitatem causabat,sed non aliam quam corporis,hoc autem Sacramentum causat immortalitatem Spiritus: *Qui manducat hunc panem uiuet in æternum.* Fructus au- *Ioan.6.* tem huius Sacramenti sunt innumeri,possunt tamen apte reduci ad duodecim illos,quos D. Paulus vocat fructus spiritus,in quibus *Ad Gal. 5.* reliqui omnes continentur,fructus eius est Charitas,quæ nos intime cum Deo coniungit. Gaudium in Spiritu Sancto, quod cor ipsum lætificat, atque confirmat. Pax quæ exuperat omnem sensum, pacificans carnem, & spiritum. Patientia quæ in laboribus,

&

& tribulationibus exultat. Benignitas quæ omnibus benefacit etiam hostibus. Bonitas quæ suauiter se reddit illis amabilem, longanimitas quæ diu sustinet, ac sperat; Mansuetudo quæ iram cohibet, fides quæ certissime credit, quod Deus reuelauit, & confidit se obtenturam; quæ idem promisit; Modestia quæ omnes exteriores corporis motus componit, ac moderatur; Continentia quæ passionum impetus intra legitimos limites continet; & Castitas quæ corpus, & animam angelica puritate sanctificat. Omnes denique virtutes & heroici earundem actus sunt huius Sacramẽti fructus; nā queadmodum vnus idemq; cibus corporis postquam sumptus est, & in stomacho coctus, est capitis, manuum, pedum, ac reliquarum partium corporis nutrimentum, quæ omnes, hoc recenti subsidio accepto, nouas sentiunt vires ad proprias actiones exercendas: ita spiritualis hic cibus spiritualiter, vt decet, sumptus, est nutrimentum Charitatis, Humilitatis, Obedientiæ, ac cæterarum virtutum.

Octaua figura huius Sacramenti est veteris testamenti arca de 2.Reg.6. qua Sacra Scriptura ait: *Habitauit arca Domini in domo Obededon tribus mensibus, & benedixit Dominus Obededon, & omnem domum eius*; Arca illa non portabatur nisi à Leuitis, & Sacerdotibus ad significandum solos Sacerdotes esse ministros huius Sacramenti: in arca erant tria hæc, Manna, Virga, & Lex, in hoc Sacramento adest legislator qui non venit soluere legem, sed adimplere, adest repræsentatio Crucis & imago passionis Christi; adest & Manna dulcissimum, cum contineat omnis saporis suauitatem, & sicut arca Obededon benedixit domui eius, inimicos autem populi Dei affligebat, & interficiebat, ita hoc Sacramentum mors est malis, vita bonis, illis maledictio, istis benedictio perpetua, & fælicitas summa, quæ incipit per gratiam in hac vita, & continuatur in gloria per totam æternitatem: & quidem si arca lignea quia solum erat figura huius Sacramenti, tot mirabilia patrabat, euidens est mirabiliora multo operanda esse ab hoc augustissimo Sacramento in anima digne illud recipientis: arca testamenti Idolum expulit à se, & illud confregit: Sacramentũ etiam hoc hostes nostros profligat, & in fugam vertit: arca denique testamenti hunc mirabilem effectum causauit, vt Sacerdotes portantes illam cum ingrederentur flumen Iordanem, diuisæ sunt aquæ ne obruerent illos, & transierunt per siccum: non secus hoc Sacramentum id singulariter efficit in anima, vt fluenta passionum, quibus antea submergebaris, nunc non te obruant, sed per tentationes, siccopede pertranseas non quidem, vt non tangaris ab eis, sed ne contamineris ab illis.

De circunstantijs institutionis huius Sacramenti.

§. II.

COnsiderandæ sunt variæ circunstantiæ, tam præcedentes, quam concomitantes institutionem huius diuini Sacramēti.

Prima est, ardentissimum desiderium Christi Domini dandi se nobis in cibum, vt apertè indicant ipsius verba, *Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum*. Vbi obseruatione dignissimum iudico, quod cum Christus Dominus semel tantum se communicauerit, triginta tamen retro annis vnicam illam communionem ardentissime desiderauit, quod sanè in nos excitare deberet, tum auiditatem magnam, & insatiabilem famem huius panis, tum confusionem magnam, quod tam sacrosancti, tam proficui, ac sapidi cibi inappetentia laboremus cum tamen aliorum ciborum delitias, & caduca alia bona auidissime appetamus. *Luc. 22.*

Secunda Circunstantia, quæ ad præparationem pertinet, examen est conscientiæ an aliquod peccatum mortale commiseris, quod per confessionem non expiaueris, hanc circunstantiam docent verba Matth. 26. nam cum Christus Dominus antequam communicaret suos discipulos dixisset se ab vno illorum tradendum, omnes cæperunt conscientiam examinare an Rei essent talis delicti, & singuli dixerunt: *Nunquid ego sum Domine?* *Matt. 26* *Matt. 26*

Tertia Circunstantia est immediatè pręcedentis preparationis, nam licet Christus Dominus alioquin Sanctissimus, & ex multiplici capite dignissimus esset ad huius Sacramenti vsum voluit tamen in nostram instructionem se præparare actibus Charitatis, & humilitatis, vt testatur D. Ioannes dicens: *Cum dilexisset suos in finem dilexit eos*: Ecce amorem Charitatis; *Et lauit pedes discipulorum*; Ecce humilitatem: insuper etiam curauit, vt mundum esset stratum, & præparatum cænaculum, & calix prætiosissimæ aghatæ in quo instituere decreuerat hoc Sacramentū quibus manifeste docuit necessitatem munditię interioris, & decentiam exterioris ad digne tractandum hoc Sacramentum. *Jo. 13.* *Ibidem.*

Quarta Circunstantia est, quod tempore noctis, & non diei Christus Dominus instituit hoc Sacramentum, vt D. Paulus adnotauit, vt significaret, tum quia cum hoc Sacramentum sit symbolum mortis Christi, in qua factæ sunt tenebræ per vniuersam terram, vt D. Matth. commemorat, conueniebat illud institui in noctis tenebris, tum vt significaret sub hoc Sacramento latere Solem Iustitiæ qui tenebras mundi occupantes expellere veniebat. *1. Cor. 11* *Matt. 27*

1. Cor. 11. Quinta Circunstantia est quam idem D. Paulus adnotauit, nimirum, quod Christus Dominus instituit hoc Sacramentum tempore quo cæpit eius passio: *In qua inquit nocte tradebatur accepit panem*. In quo sane mirifice ostentauit suam Charitatem, quippe cum eo tempore quo ab hominibus magis offendebatur, cum agetur de morte Crucis illi inferenda, ipse instituit eis Sacramentum vitæ, vt vitam habeant, & abundantius habeant, & cupientibus sanguinem eius spargere, vt mortem ei inferrent ipse salutiferum poculum ex proprio sanguine conficit, vt bibant in æternum.

Sexta Circunstantia subsequens, meditatione digna est, nimirum quod postquam Christus instituisset hoc diuinum Sacramentum, continuo ex mensa surrexit ad orationem in horto ad sudorem, & agoniam, & reliquas difficultates suæ passionis perferendas, ex quo facile colliges quid tibi faciendum sit postquam a mensa huius cælestis panis recedis, scilicet orationi, & mortificationi vacare.

Vltima Circunstantia tenet se ex parte intentionis; sane intentio principalis Christi Domini in institutione Eucharistiæ fuit gloria Dei, & vtilitas nostra, nam cum Eucharistia simul sit sacrificium, & Sacramentum, manifestum est quatenus sacrificium respicere honorem, & cultum diuinum latriæ, per nullum enim actum magis diuina maiestas colitur, & honoratur, quam per Sacrificium Missæ in quo ipsemet Christus simul est Victima, & Sacerdos: Quatenus autem Sacramentum, nostram vtilitatem concernit, cum ad conferendam nobis gratiam nutritiuam ordinetur per quam communicans crescit in virum perfectum, & arctissimo amoris vinculo cum Deo vnitur, atque hæc vtraque debet esse principalis intentio communicantis, vt scilicet debitum honorem Beatissimæ Trinitati reddat, & sibi vnionem Spiritualem cum Christo per gratiam huius Sacramenti acquirat, cui etiam potest adiungi intentio, tum sanitatem obtinendi alicuius morbi Spiritualis cum in Sacramento adsit peritissimus medicus animarum pariter, & medicina omnis infirmitatis, tum placandi Deum iratum contra scelera nostra, vel certe vincendi aliquam grauem tentationem, vel obtinendi singulare aliquod beneficium, vel gratias agendi pro acceptis, vel iuuandi defunctos, vel tandem venerandi Sanctos in cuius honorem illud Sacerdos, vel communicans offert.

De

De varijs Dei attributis, quæ mirifice effulgent in Sacramento Eucharistia.

§. III.

IN primis splendet maxime infinita Dei bonitas, quia licet per Incarnationem permultum se communicauerit, id tamen fuit vni tantum humanitati Christi, at per hoc Sacramentum omnibus se communicat, per omnium pectora se diffundit, ita vt totus sit in omnibus, & totus in singulis, qui illum recipiunt: deinde negari non potest quin magis splendeat bonitas, quando in sui communicatione expensas facit sumptuosiores: ad institutionem autem huius Sacramenti cum sit memoriale passionis Christi ingentes illas expensas profusionis sanguinis, & vitæ præmisit, vnde communicatio per Incarnationem mira fuit Dei liberalitas, per hoc autem Sacramentum insignis est magnificentia de cuius ratione est sumptus, & expensas magnas facere, non minus etiam in hoc Sacramento diuinæ sapientiæ radij emicant, etenim cum alioquin carnem comedere humanam, & sanguinem bibere barbaris etiam nationibus videatur horribile, ac detestandum, sapientia tamen Dei in nostrum commodum, modum inuenit, quo carnem humanam comedamus, & sanguinem bibamus, idque tam procul absit à crudelitate barbarorum, vt eius manducatio, & potus opus sit Religionis, & pietatis amicorum Dei, splendet item diuina Sapientia in hoc Sacramento quoniam vnde generis humani aduersarius mortem intulerat, Deus nobis vitam attulit opponens cibo mortifero alimentum salutis, per cibum illum introiuit vita non solum temporalis, sed æterna: *Qui manducat hunc panem viuet in æternum.* Quoniam tamen, vt diuina consilia suum assequerentur effectum, non satis erat velle communicare se, quod ad eius pertinebat bonitatem, nec satis esset inuenisse modum huius communicationis, quod proprium suæ sapientiæ est, sed opus erat, vt executioni mandarentur per eius omnipotentiam, certe illam mirum in modum ostentat in hoc Sacramento, quod facile innotescet, si miracula omnia quæ in eo patrat, in memoriam reuocemus. Primum est, quod verbis consecratorijs confert vim, & virtutem adeo prodigiosam, vt Christum Dominum manentem in cælo faciant simul descendere ad terram, & intra hostiam se constituere. Secundum est, quod hæc constitutio fiat per veram conuersionem totius panis, & vini in substantiam corporis, & sanguinis Christi. Tertium est coniunctio duorum extremorum inter se adeo di- *Ioan. 6.*

stantium qualis est maiestas Christi cum vilibus accidentibus panis,& vini. Quartum quod integer homo triginta, & trium annorum cum omnibus suis partibus substantialibus,organicis,& quantitatiuis realiter sit sub modicissima quantitate panis, & vini, imo, & sub qualibet parte illorum, & vt multi Theologi opinantur, etiam in quolibet pũcto, etenim cum Christus sit indiuisibili modo instar Spiritus, non est cur non possit esse totum eius corpus sub quolibet indiuisibili puncto. Quicquid vero de hoc sit,illud ingens myraculum est, vt contentum maius sit suo continente secundum omnem sui dimensionem. Quintum est, quod accidentia,quæ naturaliter postulant inhærere alicui substantiæ, & vt dicunt Philosophi, esse in alio, in hoc Sacramento sunt per se absq. aliquo subiecto, illa sustentante: equidem magnum myraculum est quod Deus in verbi Incarnatione humanitatem Christi sine suppositi humani subsidio sustentet, tamen id fecit diuinum ei præstans suppositum,in hoc autem Sacramento accidentia sustentantur sine aliquo supposito creato,vel increato illa sustinente,aut subsidio sustentante. Sextum,quod accidentia panis,& vini absente substantia panis, & vini easdem operationes exercent quas præstarent præsente substantia cum deseruiant in cibum, nutriant, & confortent,ac si reuera essent substantialiter panis,& vinum,id autem fit omnipotentia Dei,id supplente. Septimum,quod accidentia panis,& vini vere causant gratiam in animam,& plures mirabiles effectus producunt, quod totam facultatem naturæ longe superat,cum effectus supernaturales sint extra totam spheram cuiuscumque actiuitatis naturalis. Octauum,quod diuisis speciebus sacramentalibus nulla ratione diuiditur corpus, aut sanguis Christi,sed totus Christus in singulis partibus diuisis,totus integer perseuerat,deinde,quod tamet si corpus Christi non esset immortale,sed mortale, quantumuis penetrante gladio pungeretur hostia nihil prorsus lęsionis posset recipere. Nonum est,quod sustentet Spiritum caro,& roborant illũ, caro enim adeo fragilis est,vt Isaias
Isa.4. dixerit:*Omnis caro fænum;* Dei tamen potentia tanta est, vt per carnẽ Christi Spiritui nostro prębeat fortitudinem,& vitam,vt quemadmodum carni ab Adamo propagatæ anima infusa tactu carnis inficitur, & maculatur,sic animam nostram tactus purissimi Christi reddit puram,& sanctam, nam cum verbum diuinum apud quem est fons vitę sit Christi carni vnitum,virtutem ei communicat vi-
Act. 5. tam dandi eam manducantibus,vnde sicut Deus per vmbrã D. Petri ægrotos sanans explicabat magis suã potentiam,quã si per se solum illos sanaret: sic Deus in hoc Sacramento per Christi carnem Spiritum nostrũ viuificans, magis omnipotentiã suam manifestat.

Decimum

Decimum, vt idem corpus, & idem sanguis Christi, simul sit in diuersis remotissimis locis, ac præsens adsit simul hostijs inter se distantissimis, in quo sane valde participauit humanitas Christi immensitatem Dei, q̃ tamen ante Institutionem huius Sacramẽti nõ participauerat in actu exercito, cũ semper esset diffinitiuè, & circumscriptiuè in vno loco. Vndecimũ. Quod corpus Xp̃i cum alioquin suã habeat grauitatẽ, & põdus cõnaturale corpori humano; in hoc Sacramento nõ grauescit, nec ponderosum est. Duodecimũ, quod licet Christus adsit in hoc Sacro cum externis suis sensibus corporeis, nullum tñ opus per illos exercet, nec e.n. vt sacramentaliter ibi præsens audit, videt, aut tangit, eo ꝙ ibi non sit coextẽsus loco, sed modo existat indiuisibili, omnino incompetenti exercitio ipsorum sensuum, vt S. Tho. & Theologi communiter docent.

Effulget insuper mirum in modũ in hoc Sacro ardentissimus Dei amor erga nos, qui sanè triũphauit de eius maiestate, & omnipotentia dum acriter adeo eũ expugnauit, ut in terram deijceret faciens Deũ carnẽ humanam assumere, non tñ contẽtus hoc triũpho, ipsum duxit captiuũ in hoc Sacro, & in eo illum inclusum retinet ne ab hominis societate recedat, sicut autem consueuit in triumphis, vt triũphator magnificentiã suam ostendat, dona multa distribuens, ita diuinus amor omnes cęlestes opes Deitatis, & humanitatis Christi in hoc Sacramẽto nobis confert cum omnibus eius meritis, & satisfactionibus: hoc aũt proprium amãtis est, vt se, & omnia bona sua donet Dilecto, ꝙ cum Christus Dominus exactissimè præstet in hoc Sacro, reliquũ est, vt, & par pari ei rependẽtes nos, & omnia nr̃a illi ex animo donemus. Effulget item in hoc Sacro mira Dei prouidentia ad q̃ respiciens Proph. Dauid, dixit, *Omnia te expectant, vt d's illis escam in tempore opportuno.* Certè licet mirificè splendeat diuina prouidentia in subministrandis cibis, tã varijs tot, ac tã diuersis animaliũ spetieb. nõ minus se manifestat in eximia uarietate ciborũ, quos ad solius hoĩs vsũ ꝓduxit: multo tñ mirabilius hæc eadẽ prouidẽtia se ꝓdidit in cibãdis mortalium animis, cũ ad id taliter carnis suæ cibũ cõdierit, vt eo solo illos reficiẽs, ita satiet, ac saturet, vt oẽm aliã escã abhominent, nec deinceps cibari velint amplius voluptatib. carnis, mũdi honoribus, aut diuitijs, sed oĩa hæc vt stercora arbitrant̃ ingenuè fatẽtes hoc cibo plenè satiatos & cõtẽtos esse; in eo ẽt splẽdet mira eius ꝓuidentia. Qñ cũ aĩa intra se ipsã hẽat amorẽ ꝓpriũ, q uirtutẽ eius cõsumit, & iõ frequẽti indigeat reparatione, idcirco ꝓuidit ei panẽ hũc cælestẽ, vt eo vrẽs reparet, quod calor amoris proprij cõsumit ad eum certè modũ quo in ordine naturali prouidit humano corpori varijs cibis ad reparandum, ꝙ calor naturalis absumit de humido radicali. Ps. 23.

De

De varijs mysterijs nostræ fidei, quæ in hoc Sacramento latent.

§. IIII.

AD extremum tria hæc potissima Dei attributa, de quibus hucusque disserui, eatenus mirum in modum præfulgent in hoc Sacramento, quatenus in eo fecit Dominus compendium quoddam omnium suorum mirabilium operum, vt vaticinatus
Ps. 120. fuit Dauid, *memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus escam dedit timentibus se*, adest in illos memoria benefitij creationis, nam sicut Deus dicens *fiat* fabricauit mundum, ita Sacerdote dicente in persona Christi, *Hoc est Corpus meum*, producit corpus Christi, & sicut creatio est productio totius entitatis independenter a subiecto, ita per verba consecrationis conficitur corpus Christi independenter ab aliquo subiecto, & accidentia panis conseruantur independenter a substantia panis cui inhærebant, quod proprium est concursus creatiui: mysterij etiam incarnationis in hoc Sacramenta memoria refricatur, nam sicut accedente verbo æterno ad humanitatem Christi, Verbum caro factum est, sic accedente verbo temporali ad panis, & vini materiam fit hoc
D. Aug. diuinum Sacramentum, D. Augustino dicente, *accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*, & sicut ex personali verbi coniunctione cum humanitate resultauit, vt Deus esset homo, & homo Deus, sic ex vnione Christi sacramentali, cum panis, & vini accidentibus resultat, vt Deus sit cibus animæ, & cibus sit Deus, mysterium insuper natalis Domini in hoc Sacramento satis ad viuum reperitur expressum, sicut enim Christus nocte natus est, etiam, &
1. Cor. 9. nocte fuit institutum hoc Sacramentum, *in qua nocte tradebatur*, & sicut illic Christus de Virginis vtero natus est, Hic corpus Christi conficitur de substantia panis per mirabilem conuersionem ipsius
Lucæ 2. in illud. & si illic natus est in Bethlehem, quę interpretatur Domus panis, hic certè viuit intra domum panis cum accidentia essent domicilium in quo prius substantia habitabat, illic inuolutus iacebat pauperrimus pannis, hic inuolutus, & contectus humilibus panis, & vini accidentibus, & sibi Deus magnitudinis infinitæ angusto capiebatur Præsepio hic etiam capitur paruula hostia: quod si ad mysterium circũcisionis progrediaris mirabilem in eo typum agnosces, quia sicut per circuncisionem fuit illic facta diuisio, & separatio particulæ carnis Christi, hic etiam facta est diuisio substantiæ cum accidentibus, cum quibus erat coniuncta; perge ad mysterium præsentationis Christi in templo, & videbis, quod sicut

cut Christus tanquam innocens Agnus tunc oblatus, & præsentatus fuit Patri æterno, ita nunc in altari se eidem præsentat, & offert in sacrificium ad placandam diuinam iracundiam; quod si ad mysterium transfigurationis oculos conuertas, certè sicut Christus transfiguratus figuram non amisit naturalem; ita nec hic panis suam non amittit per transubstantiationem, eadem enim rotunditas manet in hostia post consecrationem: & sicut quando Christus transfiguratus est, facta de illius morte fuit commemoratio, *& eloquebantur de excessu*, ita in huius Sacramenti institutione, & vsu, mortis Christi memoria instauratur, Christo dicente, *Hoc facite in meam commemorationem*. Hanc autem memoriam esse mortis illius explicuit D. Paulus, cum dixit, *quotiescumque manducabitis panem hunc mortem Domini annunciabitis*. Deinde si miraculum inspiciamus quinque panum quibus Christus Dominus saturauit quinque millia hominum, satis vtique in hoc Sacramento repræsentatum inueniemus, cum non quinque panibus, sed vnico cœleste pane, qui de cœlo descendit, non quinque millia, sed millia millium hominum quotidie cibet, & saturet: si autem in mentem reuoces miraculum nuptiarum factum in Canna Galileæ cum Christus Dominus conuertit aquam in vinum: perspicue satis in hoc Sacramento id exprimitur cum in eo fiat conuersio panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi: quod si ad passionem, & mortem eius transeamus certè in hoc Sacramento expressior eius extat imago, nam diuisio, quæ fit in consecratione, dum ex vi verborum consecrationis panis, solum conficitur corpus, & deinde ex vi verborum consecrationis vini efficitur sanguis, aperte representat mortem Christi, cum corpus absque sanguine necesse sit mortuum esse: Et sicut Christus in sua passione subiecit se crudelitati Satellitum, ita in hoc Sacramento frequenter se subiecit, tum opprobrijs Hæreticorum illud despicientium, tum aliorum qui sacrilege illum recipiunt, ac tandem quorundã qui in ignem illum coniecerunt, gladijs confodierunt, ac canibus proiecerunt: quod si vlterius progrediamur ad duplicem illum Triumphum resurrectionis, & ascensionis Christi Domini, etiam in hoc Sacramento compendiose claudi haud difficile inueniemus, nam sicut Deus de sepulchro in quo Christus iacebat eduxit pabulum, quo alendi eramus, vt scripsit Dauid, *Eduxit panem de terra*, & pariter cum pabulo eduxit pastorem iuxta illud Pauli, *Eduxit de terra pastorem magnum*; Sic in hoc Sacramento Deus de substantia panis educit pabulum, & pastorem animarũ conuertens illam in carnem Christi: & sicut resurrectio illius fuit causa nostræ resurrectionis, ita & eandem causat hoc sacramentum Christo Domino promittente

Mat. 17. *Luc. 22.* *1. Co. 11.* *Ioann. 6.* *Ioann. 2.* *Ps. 103.* *ad Hebr. 13*

te manducantem se ab eo suscitandum fore in vitam æternam, Ioann.6. *Et ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Nec minus ascensionis imago adest in hoc sacramento, nam sicut ibi per dotem subtilitatis Christi Domini corpus, tam facile cælos penetrauit, & se in Impyreo cælo locauit, ac si spiritus esset, carnem & ossa non habens: ita in hoc Sacramento corpus Christi instar Spiritus se habens, totum est in tota hostia, & totum in qualibet parte; ac tandem iudicium ipsum finale satis expresse in hoc Sacramento mihi proponi videtur, nam sicut bonis confert, & vitam æternam malis vero mortem perpetuam, ita & hoc sacramentum mors est mali, vita bonis, vnde Paulus de indigne manducante dixit, Iudicium sibi manducare, scilicet punitionis in æternum.

De fructibus, & effectibus huius diuini Sacramenti, per quos cognoscitur eius excellentia, & mira in nos vtilitas.

§. V.

PAene innumeri sunt effectus huius sacramenti, principem tamen locum inter omnes tenet arcta vnio Christi cum anima, quæ illam in auctorem suum transformat, vt iam vita viuat diuina, sicut testatus est Christus Dominus dicens, *Sicut misit me uiuens Pater, & ego uiuo propter Patrem, sic qui manducat me, & ipse viuet propter me*: Ioann.6. non potest quidem non magna esse hæc vnio, cum meruerit assimilari vnioni, quæ est inter Patrem, & filium in eadem natura: sensus enim huius comparationis, quem Christus vsurpauit, hic est: sicut ego procedo a Patre, & vitam ab illo per æternam generationem accipio, & eadem vita viuo qua ipse, ita qui digne me recipit procedit a me, per spiritualem generationem, & a me ipso accipit vitam non solum gratiæ habitualis, sed vitam meam ipsam increatam, qua etiam ipse viuit, ad quod sine dubio respiciebat D. Paulus cum dixit: ad Gal.2 *Viuo ego iam non ego, viuit vero in me Christus*; Est etiam, & alius sensus eorundem verborum Christi Domini, sicut humanitas mea, quoniam personaliter vnita est verbo diuino, quod viuit vita patris, habet in se vitam diuinam, quatenus per gratiam vnionis hypostaticæ cum illo est copulata, ita etiam qui dignè me sumit, quoniam vnitur mecum, sibi moritur, & mihi viuit vitā meæ similem quo genere loquendi vsus est Paulus dicens: 2. Cor.5 *Vt qui viuunt non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est*: Ne autem quispiam videretur impossibilis hæc tam stricta vnio

cum

cum Christo,ideò consulto ipse Dominus instituit hoc Sacramētum sub forma cibi,& se escam panis vocat: *Ego sum panis viuus,qui de cælo descendi*: Etenim in rebus creatis nulla maior est vnio,quam illa,quę fit cibi,& comedentis illum,cum eadem vita viuant,sic sanè in hoc Sacramento ex Christo,qui cibus est,& comedente illū fit vnum per gratiam,& amorem,non quia comedens mutet Christum in se,sed quia Christus comedentem in se conuertit,vt tamē hunc vnionis effectum ineffabiliter obtineas oportet, vt accedas. *Ioan.6.*

Secundus effectus huius Sacramenti est vnio communicantis cum proximis,quam arctam adeò voluit Dominus esse, vt nō dubitauerit illam comparare,cum vnitate essentiali,quæ est inter ipsum,& patrem, *Rogo pater,vt sint vnum,sicut & nos vnum sumus*:ad significandam autem hanc vnionem fidelium inter se adnotauit D.Thom.in officio huius Sacramenti consulto institutum fuisse à Christo Domino in materia panis,& vini,quia sicut ex multis granis vnus efficitur panis,& ex multis vuis vnus efficitur liquor vini, ita ex participantibus de hoc Sacramento fieri debet cor vnum,& anima vna,atque hæc vnio inter fideles necessariò consequitur ex illa prima cum Christo,nam hoc ipso,quod efficimur vnum cum illo,necesse est,ut efficiamur vnum inter nos. *Ioan.17.* *D.Th. in off. corp. Christi.*

Tertius effectus est lux magna ad cognoscendum Deum,& mysteria diuina,& ideo Ecclesiasticus vocauit hoc Sacramentum *Panem vitæ,& intellectus*,quemadmodum enim propter vnionē,quam humanitas Christi habet cum verbo Diuino copiosissimum lumē scientiæ infusæ,& beatæ, accepit ad cognoscenda omnia mysteria supernaturalia,& omnes res præteritas,præsentes,& futuras,sic anima,quoniam vnitur in hoc Sacramento cum Christo, qui est sapientia Patris,& lux increata,radios illius participat ad cognoscendum Deum se ipsum,ac diuina mysteria. *Eccl. 15.*

Quartus effectus huius Sacramenti est,quod non solum illuminat mentem,sed corroborat voluntatem,fortitudinem ei præbens ad vincendos hostes,& non succubendum tentationibus,& cum patientia ferendos labores; quem effectum præuidens Dauid dixit,*Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos,qui tribulant me*. Et quidem si iuxta qualitatem cibi fiunt illo vtentes fortiores,vel delicatiores,manifestum est,quod cum Christus Dominus, qui sub hoc cibo latet,sit Leo de tribo Iuda,& fortitudo Patris, necesse sit comedentes illum participes fieri leoninæ,imò & increatæ eius fortitudinis; qua etiam ratiocinatione conuincitur effectum huius Sacramenti esse gignere in animo illum recipientis patientiam, mansuetudinem,& reliquas virtutes, nam cum tales gignantur humores qualis cibus est,certe anima,quæ carne illius agni alitur, *Psal. 22*

trare solet, nam quemadmodum cibus quem tu comedis, per oēs corporis partes distributus, adiumento est, vt oculi videant lingua loquatur, pedes ambulent, & reliqua corporis membra suis fungātur muneribus, ita cœlestis hic cibus dignè sumptus prodest ad coercendam oculorum libertatem, reprimendam linguæ licentiam, & gressus inutiles continendos, ac tandem totum hominem diuinitus componit, & Christo similem facit.

Octauus effectus est dissoluere glaciem nostræ indeuotionis, & tepiditatem in exercitio amoris diuini longè expellere inflammando voluntatem ardentissimis amoris affectibus: etenim cum Deus ignis sit diuinus, Apostolo dicente, *Deus noster ignis consumens est*: *ad Hebr. 12* & pectus nostrum ingrediatur, continuò illud accendit, ad quod alludunt verba illa Prouerb. 6. *Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, & vestimenta illius non ardeant.* *Prou. 6.*

Nonus effectus est spiritualis iubilus, & delectatio, nam cum cœlestis iste cibus habeat in se omnem saporem, ac infinitam dulcedinem, non potest non dignè gustatu eius, suauitas non percipi: vnde Dauid dixit, *Gustate, & videte quam suauis est Dominus*: & S. Thom. *Psal. 33.* *Spiritualis dulcedo in suo fonte gustatur.* Etenim anima valde delectatur in susceptione huius Sacramenti ex eo, quod agnoscat Deum, *S. Th. off. de Sacra.* & Redemptorem suum secum habere, etenim sicut ipse tunc animam accipit in suam, & in hoc valde delectatur, quia delitiæ eius sunt esse cum filijs hominum; ita & anima Deum accipiens in suū, ac nolens aliam possessionem, nec aliam hæreditatem, aut thesaurum, quam illum in quo fatetur omnia bona claudi, & ex possessione huius infiniti boni mirum in modum delectatur, *Quod si Deus est tuus* (ait S. Cyprianus) *quid amplius vis? si ille possessio tua est, quid quæris amplius?* *Serm. de Ascens. Domini.* Nam si Deus est tuus, tuum est quidquid ille habet: & ipse tibi dicet omnia mea tua sunt: virtutes meæ, sunt tuæ; dona *Luc. 15. 31.* mea, diuitiæ meæ, & cœli mei, tui sunt: in me enim solo habes omnia in tuum commodum. Aduertendum tamen est quod sicut antiquum manna, quod figura fuit dulcedinis, quæ in hoc Sacramento recipitur, non fuit datum quousque tota farina quam ex Aegypto secum portabant Israelitæ fuit consumpta: ita iubilus & dulcedo huius Sacramenti non communicatur, nisi his in quibus iam consumpta est farina terrenæ consolationis, nec enim Deus vult simul stare manna cœleste diuinæ iubilationis cum farina loquacitatis, superflui ludi, delicatioris, & lautioris cibationis, & aliorum similis farinæ voluptatum.

Decimus effectus huius Sacramenti est libidinem frænare, & castum reddere corpus, & animam: contactus enim castissimæ, ac purissimæ carnis, & sanguis Christi Domini, vtpote quæ ex purissi-

ma Virgine fuerint assumpta, & Spiritus Sancti operatione produ-
cta, & fonti perenni totius puritatis vnita, tam anima, quam cor-
pus illa recipientis, puritatem, & castitatem participant, vnde Za-
Zach. 9. charias dixit, hoc Sacramentum generare Virgines; *Frumentum electorum, & vinum germinans Virgines*. Vbi meditatione dignum est, quod effectum hunc castitatis non tribuit speciebus panis, sed vini, vt inde magis effulgeat omnipotentia Christi in hoc Sacramento, dum coniungit Virginitatem cum potu vini, in quo esse solet luxuria, per quod mirifice tela Dæmonis infringit, dum vinum quod ipse assumit tanquam instrumentum ad debellandum castitatem, & libidinem accendendam, Christus Dominus assumit vt medium, & instrumentū ad castitatem augendam, & ardorem libidinis extinguendum.

Vndecimus effectus huius Sacramenti est victoria contra Dæmonem, ad communicantem enim pertinet illa sententia Ioannis,
Ioann. 4. *Vicistis quoniam maior est, qui in vobis est, quam qui in mundo*. Qui enim Christum recipit, sanè in domum suam fortissimum quendam Ducem, & infinitæ potentiæ bellatorem inducit, qui fortem armatum, qui te impugnabat expellet, & aduersus tenebrarum principum tela infringenda inuincibilem fortitudinem suppeditabit.

Duodecimus effectus huius Sacramenti est locupletare animā tanquam sponsam ipsius muneribus infiniti valoris, oportet enim animam eas diuitias, & ornamenta obtinere, quæ tanti Regis spon-
Osee 2. sam decent: explicuit hoc Dominus per Oseam dicens, *Sponsabo te mihi in sempiternum, & sponsabo te mihi in iustitia, & iudicio, & in misericordia, & in miserationibus, & sponsabo te mihi in fide: & scies quia ego Dominus*. Ter ait sponsabo te mihi: vt significet tres diuinæ huius desponsationis excellentias. Primam perpetuitatis, quod ad Deum attinet: qui nunquam repellit animam, quam semel in sponsam accepit, nisi ipsa ab hac desponsatione deficiat. Secunda est excellentia Sanctitatis: non enim carnis, sed spiritus desponsatio est, quæ iustitia innititur, & ipsam sponsam iustificans, sanctam reddit, ac puram, & in iudicio sententiam pro ea dicit contra hostes, à quibus tyrannicè captiua tenebatur: & in misericordia, & miserationibus eandem replet omni genere bonorum, quæ a sola misericordia, & charitate, eam in sponsam accipientis proueniūt. Tertia excellentia est fidelitatis, quia desponsatio ipsa innititur viuæ fidei magnalium, & misericordiarum eius sponsi, certæque spei, quod ille sit quicquid promisit impleturus, ex quo talis oritur familiaritas, & consuetudo, inter vtrumque, talia amoris dona; vt ipsa experientia intelligat, videat, ac sentiat illum esse Do-

minum

minum, qui ardenter adeo suas diligat sponsas: taliterque velit, ac posse eas exornare, atque ditare, hæc autem cęlestia dona confert diuinus sponsus in hoc Sacramento mediante corpore, & sanguine quem sponsæ suæ in cibum, & potum præbet.

Vltimus effectus huius Sacramenti est, tum quod vt viaticum cibat, tum quod immortalitatem corporis causat ac tandem & consecutionem vitæ æternæ: id enim promisit expresse Christus Dominus dicens, *Qui manducat hunc panem uiuet in æternum, & ego resuscitabo eum in nouissimo die;* **Ioan. 6.** Atque hinc fit, quod quamuis reliqua Sacramenta effectum suum in hac vita sortiantur, Eucharistia verò præter multos, & mirificos quos hic in nobis causat, alium promittit fructum in posterum, tum post mortem, tum tempore generalis resurrectionis: aduertendum tamen est non esse existimandum, semper in prima communione prædictos effectus causare, nam quemadmodum arca testamenti, quæ figura, vt supra vidimus fuit huius Sacramenti diuerso modo myracula edidit, nam in primo accessu Sacerdotum ad Iordanem continuo aquæ fuerūt diuisæ, cum vero Sacerdotes arcam portantes ad Iericho peruenerant non statim muri corruerunt, sed postquam septies buccinis *Iosue 3.* clangentibus ciuitatem circundederunt, ita Christus Dominus in *Iosue 6.* hoc Sacramento sua largitate vtens, in momento locupletat pauperem, libidinis motus compescit, passiones reliquas infrenat, & omnes suos hostes in fugam conuertit, id tamen raro efficit: tamē id præstat paulatim, vt nostram probet perseuerantiam, augeatque merita ex diuturnitate pugnę, & vt eo sit maior corona nostra: non itaque abijcias animum etiam si frequenter confitearis, & cōmunices, & muros adhuc Iericho stare videas, carnisque tentationes, ac passiones adhuc uiuere, sed quemadmodum Sacerdotes illi, ēt si nullam in muris Iericho mutationem viderent primo die, nec secundo, aut tertio, ipso sexto, à circumeundo tamen non destiterunt, ita tu fideliter perseuera communionem frequentando, & quamdiu Deus voluerit pugnam sustinendo, nam cum minime cogitaueris, deijciet ipse des auras, dabitque tibi integram de tuis hostibus victoriam. Quod si voluerit hanc pugnam durare septē dies, omnes scilicet tuæ vitæ, nec propterea animum abijcias, nam in ipso fine dabit tibi Deus pacem, simul cum æterna victoria, atq; hac ratione mirificos eius effectus tandem consequeris.

De

De multis quæ Christus Dominus nos docet in hoc Sacramento opere, & exemplo.

CAtholica fide docemur tātam esse efficaciam verborum consecrationis, vt virtute illorum substantia panis, & vini conuertantur in substantiam corporis, & sanguinis Christi, in quo certe, ipse tanquam Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, offert præstantissimum omnium sacrificium, tum ex parte ipsius offerentis principalis, qui est ipse Christus, verus Deus, & homo, tum ex parte Victimæ, quæ excellentissima omnium est, cum sit humanitas sanctissima Christi, verbo Dei vnita: tum quia in celebrioribus sacrificijs, & famosioribus Holocaustis veteris legis occidebātur, & cremabantur animalia multa, altera tamen pars illorum semper manebat, nempe materia prima, quę quia incorruptibilis est nullo igne absumi poterat, in hoc autem sacrificio vere totaliter absumuntur, & desinunt esse substantia panis, & vini, tam quo ad formam, quam quoad materiam Concilio Tridentino dicente: *Remanentibus dumtaxat accidentibus*; quo mirabile genere conuersionis docet nos Christus in illum nos transformari, & conuerti debere, itaut quilibet nostrum dicere possit illud Pauli: *Viuo ego iam non ego, sed viuit in me Christus*; Ad hoc autem oportet, vt in nos moriatur, & pereat totaliter quicquid veteris hominis erat, & induamus nouum hominem, qui secundum Christum est: deinde panis, & vinum, non desinunt esse hic per corruptionem, quia per hanc semper remanet pars aliqua compositi, quod corrumpitur, nec propter annihilationem, nam quæ sic commutātur desinunt in nihilum, panis vero, & vinum non desinunt in nihilum, sed in corpus, & sanguinem Christi conuertuntur, quod non obscure docemur, interitum nostrorum peccatorum, & prauarum affectionum non debere fieri per corruptionem, itaut pars vitiorum vigeat, & pars interimatur, nec etiam mors veteris hominis fieri debet per annihilationem, itaut solum culpæ veteris esse desinant, sed oportet ad virtutem transeamus iuxta illud Dauidis: *Declina à malo, & fac bonum*. Docet nos Christus Dominus in hoc Sacramento singulari ratione virtutem humilitatis, dum maiestatem, & gloriam suam abscondit sub vilibus accidentibus panis, & vini: multum se demisit Deus animatum corpus assumens, tamen ibi abscondit diuinitatem sub tegumento humanitatis: *Habitu inuentus, vt homo.* vt loquitur Paulus, in hoc tamen Sacramento magis se demittit cum illam abscondat sub duplici creatura innanimata, & insensibili panis, & vini: cum factus fuit homo, vermi se comparauit:

Cō. Trid. in Sacr. Euch.

Ad Gal. 2.

Psal. 36.

Ad Phil. 2.

Vermis

Vermis sum, & non homo: At in hoc Sacramento factus est cibus vermium, a quibus se non semel manducari permisit; item factus homo reputatus fuit ab Hæbreis tanquam pura Creatura humana, in hoc vero Sacramento putatur ab hæreticis, vt putus panis cum opinentur consecratam hostiam verè esse purum panem: certe tempore passionis valde Deus in Christo se abscondit permulta tamen signa externa obscurationis signis collissionis petrarum, & similium, quæ narrant Euangelistæ adeo se prodidit diuinitas, vt Centurio diceret: *Verè filius Dei erat iste*; In hoc Sacramento tamen nulla prorsus adsunt signa externa, quæ indicent, aliud continere panem, & vinum, quam antea continebant: docet etiam eandem humilitatem, dum integer homo ita se contrahit, vt in qualibet hostiæ particula totus adsit: Ad hæc: adeo Christus se humiliauit in institutione huius Sacramenti, vt propter illud fuerit, tanquam stultus irrisus a Iudæis, qui illum dicentem; *panis quem ego dabo caro mea est*. Tanquam insanientem reiecerunt incredula illa verba effutientes; *Quomodo potest hic carnem suam dare ad manducandum*: Quare etiam in hoc Sacramento Christum Dominum clamantem audio: *Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde.* Ps. 21. Mar. 15. Ioan. 6. Ioan. 6. Matth. 11

Docet patientiam dum se sinit a multis peccatoribus indignè sumi, variasque contumelias huic Sacramento illatas sustinet, quę omnia tolerat; vt à iustis sumatur: quo etiam apertè docemur tali animarum zelo nos ardere debere; vt illarum salutem etiam cum proprij honoris, & comoditatis detrimento procuremus. Docet nos obedientiam dum obedit Patri mittenti eum, nec Sacerdoti etiam improbo consecranti obediente Domino voci hominis, & dum ad libitum ipsius se sinit eleuari, dimitti, in sacrario includi, ab eo extrahi, & ad infirmos portari.

Docet non vacandum ab exercitio orationis quatenus, & si sub hoc Sacramento sit in terris secundum propriam substātiam, non ideo à cælis abest; neque quamuis nostris commodis inseruiat idcirco per momentum ab Dei contemplatione discedit.

Docet nos liberalitatem, & beneficientiam, & misericordiam in pauperes, dum nos frequenter cibat, & reficit paratam habens mensam in qua carnem, & sanguinem suum nobis præbens, ac diuitias passionis, & meritorum suorum conferens, & famem satiat, & necessitatibus nostris subuenit, & vt magis suam misericordiam in nos commendet, ipse nos pręuenit inuitans ad conuiuium hoc cæleste, & mortem minatur si accedere recusauerimus: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis non habebitis uitam in uobis.* Ioan. 6.

Docet Charitatem, & amorem erga Deum, dum scopus eius in institutione huius Sacramenti est animas secum arctissimo amoris

ris vinculo copulare,& vt reciproco charitatis osculo, Christus & anima se prosequantur, hæc autem tanta Christi charitas vrget nos,vt illũ toto corde diligamus,& cum illo vniri ardentissime desideremus. Docet etiam eandem charitatem in eo, quod cũ alioquin posset per medium panem benedictum à Sacerdote eandẽ nobis conferre gratiam, quam modo confert per hoc Sacramẽtũ: nihilominus tamen licet id sufficeret, nobis tamen sufficiebat ad satisfaciendum ardentissimo eius amori: hic enim postulabat efficaciter ab eo,vt corpus suum nobis in cibum præberet,& mediante illo lacte suæ gratiæ velut amantissima nutrix, imo & mater nos nutriret.

Docet nos dum inter peccatores versamur, curandum nobis esse,nihil mali ab eis contrahere, etenim licet Christus Dominus per hoc Sacramentum penetret in pectora putrida improborum hominum,nihil fæditatis inde sibi mutuat similis in hoc radio Solis qui licet per immunda loca transeat puritatem,& splendorem suum semper retinet,nihilq; inquinamenti inde accipit,

Docet fiduciam nostram totam esse constituendam in verbo diuino incarnato, etenim cum accidentia panis, & vini myraculosè remaneant absque fulcimento substantiæ illorum cui antea adhærebant,non obscurè docemur post sumptionem huius diuini Sacramenti soli Christo nobis innitendum fore,& nulla ratione creaturis,quarum fulcimentum est arundineum: vnde Spiritus sanctus

Isa. 50. dixit, *Innitatur super Deum suum.*

Docet insuper,quod sicut ad diuisionem accidẽtium à substantia,& ad conseruationem illorum absque inhærentia in illis fuit necessaria virtus omnipotentis Dei, ita etiam vt in te efficiatur diuisio,& separatio à creaturis,& totus innitaris Deo tuo,nec aliud fulcimentum,quam illum quæras oportet adsit tibi virtus omnipotentiæ diuinæ,quæ hoc tantum opus perficiat, quare illa ad id enixe à te inuocanda est,insuper etiam & postulandum, vt sicut diuisio facta accidentium à substantia ita perpetua est, vt nunquam iterum coniungantur,ita & diuisio tui à creaturis perpetuo perseueret,vt nunquam iterum cum eisdem inordinatè copuleris.

Docet liberalitatem,etenim innumera bona infiniti valoris tibi communicat in hoc Sacramento; præbet tibi virgineum suũ corpus,ossa,cor,vulnera,manum,pedum,pectoris,capitis,& totius corporis,& totum sanguinem per illa effusum in uenis suis collectum tibi propinat,præbet etiam dotes gloriosos,quibus est ornatũ, item donat tibi gloriosam suam animam intellectum perfectissimo lumine,& clarissima Dei visione super oẽs Beatos præditum, donat voluntatẽ beatifico amore super oẽs inflammatam: confert omnes

suas

ſuas potentias vitales,& omnia merita,& ſatisfactiones infiniti valoris,quæ per illa operatus fuit ab inſtanti ſuæ conceptionis,vſque ad tempus,quo expirauit in Cruce, ac tandem præbet tibi perſonam verbi Diuini ſuppoſitantis corpus,& ſanguinem eius,& cum verbum diuinum ſit vnum eſſentialiter cum Patre,& Spiritu Sancto,neceſſe etiam eſt ad te venire cum filio Patrem, & Spiritum Sanctum: *Ad eum veniemus,& manſionem apud eum faciemus*: Cum autem nullus eſt,qui huic meditationi vacans,continuo non offerat Christo in recompenſationem tot cæleſtium donorum animam ſuam,intellectum,& voluntatem, corpus,cor,ſanguinem, & omnes ſuas potentias, & earum operationes, ac propriam perſonam illas ellicientes,oportet,vt conſideret, quam multum interſit inter illa, quæ Chriſtus in hoc Sacramento ei donat, & ea quæ ipſe illi offert,comparando hæc cum illis, animam ſcilicet ſuam cum anima Chriſti, corpus Chriſti cum corpore ſuo, cor Chriſti cum corde ſuo,operationes Chriſti cum operibus ſuis,ſanguinem Chriſti cum ſanguine ſuo, ac tandem perſonā Chriſti cum perſona ſua, hæc enim comparatio etiam ſi quiſpiam ænei cordis ſit extorquebit ab eo tum magnam ſui confuſionem,tum ardentem in Chriſtum amorem tot bona illi liberaliſſimè conferentem:verum vt adhuc anima magis penetret eximiam Chriſti liberalitatem in hoc Sacramento cogita, quod cum alioquin ad hoc, vt Chriſtus Dominus impleret ſuam promiſſionem, qua pollicitus fuerat nobis conferre ſuum corpus,& ſanguinem,ſufficeret particulam aliquam nobis erogare, cuiuſmodi erat illa quæ ablata ei fuit in Circunciſione,ipſe tamen prænimia ſua liberalitate totum corpus, & totum ſanguinem tibi præbet,cogita etiam,quod in eo ſuam liberalitatem oſtentat plura nobis donans, quam promiſerat,etenim ſolum carnem, & ſanguinem pollicitus fuerat dare, nec aliud ſibi vendicant verba conſecrationis ad ſuam verificationem, ſimul tamen dat tibi animam, & perſonam ſuam cum reliquis omnibus ſupra relatis,ac tandem in eo etiam agnoſces eius indicibilem libe ralitatem, quod bis eandem rem in hoc Sacramento largitur Sacerdotibus, Euchariſtiæ ſacrificium offerentibus, cum totum illud, quod illis confert in hoſtia idem iterum donat in ſanguine, etenim carnem quæ proprie non eſt cibus,ita parat,& condit in calice,vt cum ipſo ſanguine ſit potus,& ſanguis in ipſa hoſtia ſit cum ipſo corpore cibus: item etiam in eo oſtendit ſuam liberalitatem, quod rem tantam quantam eſt ipſemet Chriſtus, frequentiſſimè nobis elargitur,ſanè etiam potentiſſimi Reges ſi magna quędam, & prætioſa munera donent, ſed raro, ſi vero frequenter bona aliqua conferant certè illa non ſunt excellenter prætioſa: in hoc au-

Ioan. 14.

tem Sacramento ea est liberalitas Dei, vt prætiosissimum omnium donorum, tam frequenter nobis largiatur, vt Sacerdotibus illud quotidie præbeat, laicis verò prout cuique liber, ter, vel quater, & quibusdam etiam singulis diebus. Docet nos etiam Charitatem, & amorem erga proximos ita ut omnes simus cor vnum, & anima vna, nam hoc ipso, quod vult omnes nos esse vnum cum illo, necesse est, vt simus vnum inter nos, nam in Creaturis quæcumque sunt eadem vni tertio, necesse est, vt sint eadem inter se, vnde sicut quamuis omnes hostiæ consecratæ totius mundi sint multæ, ac diuersæ secundum accidentia quæ sentiuntur, reuera tamen omnes sunt vnicus, & idem panis viuus, quatenus intra illas est idemmet Christus: ita fideles communicantes, quamuis sint multi, & diuersi, vnus tamen Spiritu sunt, quatenus omnes Spiritu Christi viuunt: *Qui manducat me, & ipse viuet propter me*; Et quemadmodum etiam omnes hostiæ amiserunt totam propriam suam substantiam, vt loco illius recipiant substantiam Christi, omnibus illis communem ita qui digne manducant amittunt id, quod erat inordinatum proprij spiritus, vt subintret Spiritus Christi omnibus illis communis espoliant enim se proprio Iudicio, & propria voluntate, & affectibus amoris proprij, qui radix esse solet dissensionum, & discordiarum eosque solum admittunt, qui conformes sunt Spiritui Christi, atque ad hanc vnitatem fidelium respiciens D. Paulus dixit: *Multi sumus vnus panis, & vnum corpus quotquot participamus de vno pane, & de vno calice.*

Ioan. 6. — *Cor. 10.*

Docet nobis vacandum esse exercitijs mentalibus orationis, & abstinendum ab operibus sensuum, etenim Christus Dominus secundum quod est in hoc Sacramento non exercet opera sensuum externorum, vt visus, auditus, & tactus; nunquam tamen cessat ibidem ab operibus intellectus, & voluntatis, absque intermissione, semper cognoscens, & amans Deum, in quo certè si illum imitemur implebimus, illud D. Pauli: *In carne ambulantes non secundum carnem militamus.*

Tandem, dum Christus Dominus in hoc Sacramento existens vita bonis, & mors malis est, vt Angelicus Doctor dixit: plane eam nos iustitiæ legem docet, quæ bonos remunerat, malos punit, superbos deprimit, & humiles euehit, quod proprium est Principum, & Prælatorum.

S. Thom. in missa corporis Christi.

De

De consideratione Passionis Christi in huius Sacramenti vsu frequentanda.

GEnus hoc meditationis Christus Dominus in institutione huius Sacramenti nobis commendauit, dicens, *Hoc facite in meā commemorationem.* Et ideo plurimi est habenda, & frequentanda: aspice in primis corpus Christi, quod licet nunc in Sacramento sit immortale, extra illud tamen multa, & grauissima passus est pro te, nam ab instanti suæ cōceptionis cognouit omnes labores, quos perpessurus eras per totum curriculum suæ vitæ, & omnia acerbissima tormenta in passione sua sibi infligenda, quæ omnia ex obedientia Patris, & ob eximium erga nos amorem, & desideriū nos redimendi, libentissimo animo acceptabit: deinde quandiu durauit eius vita, viuacissima cogitatio omnium cruciatuum, quos passurus erat, nunquam è memoria sua excidit, quod sane non poterat non vehementer & continuo, animam eius excruciare: deinde inspice corpus eius sanguineo sudore madefactum, copiosè adeo, vt guttę sudoris in terrā deciderent: aspice corpus illud vehementer afflictum ex agonia, & tristitia quam patiebatur anima, & euolue diligenter causas illius agonię, etenim illam sustinuit tum ex cognitione clara omnium peccatorum præteritorum, præsētium, & futurorum, quæ vehementer illum affligebant eo, quod iniurię erant contra Deum, quem intensissimè amabat, quia cōsiderabat illa, vt vulnera suorum filiorum, & tanquam bonus pater dolebat de eorum iactura, tum quia præuidebat paucis profuturā esse passionem, & sanguinem eius in comparatione eorum, qui nullam ex eo vtilitatem decerpturi erant, tum ex consideratione acerbitatis dolorum, qui iam illi imminebant, tum ex consideratione negationis Petri, & fugæ Discipulorum, qui illum tempore mortis deserturi erant, tum ex præcognitione omnium cruciatuum, qui Beatissimam eius matrem, & futuros eius martyres manebant, quib. ipse quasi anticipata suæ compassionis solutione persoluit cōpassionem, qua illi eum prosecuturi erant; reuoca deinde in memoriam Christum Dominum, varijs satellitibus circundatum ad cōprehendendum illum tamquam latronem, vt ipse dixit; deinde summo opprobrio ad varia tribunalia adductum, veste alba vt amētem indutum, qui sapientia Patris erat, alapa percussum, & multis alijs opprobrijs improperatum, ac tandem tamquam vilē vermem tractatum, despectum, & conculcatum; deinde conuerte oculos ad eundem dira verbera in columna patientem; item coronam spineam sustinentem, & tanquam ridiculum Regem purpura vesti- *Luca 22.*

tum,& arundinem pro scetro tenentem, Crucem grauissimam baiulantem,& sæpe præ grauedine illius in terram cadentem, ac tandem in crucem actum, acerbissimos clauorum dolores perferētē, & alias illius mortis cogita circunstantias; post hæc conuertere ad idem corpus Christi, vt est in Sacramento, & inuenies omnia illa tormenta adeo sibi cara fuisse, tantique illa fecisse, vt eorum vestigia,& imagines ad ornatum sui corporis in eo impressas reliquerit; incipe à capite, in quo gloriosissima signa, & vestigia videbis spinarum, quæ in figuram coronæ caput eius cingunt: postmodum ad quinque eius vulnera, manuū, pedum,& lateris,& cogita consulto Christum Dominum foramina aperta reliquisse, vt per ea intrare possis ab humanitate ad diuinitatem in ea latentem, iuxta il-
Ioan. 10. lud, quod dixit, *Ego sum ostium, si quis per me introierit Pascha inueniet.* Intrare satage & tu delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.& si aliquibus tentationibus concuteris, aut externis hostium machinationibus vexaris, puta vulnera exhiberi tibi a Christo in præsidium aduersus omnia pericula tam animæ, quam corporis, etenim in illis habes arcem, quam nulli hostium incursus labefactare poterunt; insuper considera illa, vt quinque fontes Saluatoris, aut quinque aquæ ductus per quos perennis fons diuinitatis,& meritorum Christi se diffūdit in animam tuam, vt illi misereatur; vel certe cōsidera illa velut vbera, ad quæ Christus instar nutricis, ac matris te lactat tanquam infantem, vt crescas in virum perfectū,& iam perhorrescas ad vbera carnis, vel mundi amplius lactari: Cogita etiam quinque illa vulnera esse totidem aperta ora, quæ ante Dei tribunal clamant misericordiam pro te non secus, quam
Gen. 4. sanguis Abel vindictam clamabat de fratre, vt legimus in Genesi. Ad hæc si ad meditationē sanguinis Christi te cōuertere volueris, reuoca in memoriam vices omnes, in quibus Christus Dominus effūdit prætiosum suum sanguinem. Effudit Primo infans in sua circuncisione; secundo cum ætate iam prouecta in horto sudorem emisit sanguineum præ acerbissimo animæ dolore. Tertio cū fuit flagellatus ad columnam, quam flagellationem multi putant binā fuisse, vnam ex sententia Iudicis, alteram vero priorem propria auctoritate militum in illum sæuientium. Quarto in coronatione. Quinto in crucifixione. Sexto post mortem, cum sanguis,& aqua ex eius latere effluxit; hunc ergo sanguinem cum tāta ignominia, & dolore, pro amore tuo toties in terram effusum, nunc iam gloriosum in vase venarum Christi collectum, vno potu tibi propinat in hoc Sacramento, vt te lætificet,& confortet, & pignus tibi præbeat, quod quantum est in se semper te in sua gratia conseruabit, & ad æternam vitam resuscitabit.

De varijs Visitationibus, quibus Christus Dominus visitat animam illum recipientis.

CVm Christus Dominus mediante hoc augustissimo Sacramẽto velut regia eius lectica, cuius figura fuit ferculum Salomonis, visitet nos oriens ex alto, rationi, & pietati consonum est, vt varias eius visitationes alijs factas in mentem reuocemus, vt inde excellentiam huius sacramentalis visitationis magni facere, & fructus eius percipere discamus.

Prima Christi visitatio fuit, quando verbum diuinum in Virginis thalamo humanam carnem assumpsit, cogita multiplicem Virginis præparationem per humilitatem; Virgineum pudorem, perfectam obedientiam, & omnimodam resignationem in voluntate Dei, sane Deus Virgini corpus dedit filij sui tunc mortale; nũc vero tibi immortale, & gloriosum reddit; semel se dedit Virgini in incarnatione: frequenter tibi in Sacramento, matri dignissimæ se communicauit: tibi vero etsi indignissimo se præbere non dedignatur, desidera, & postula effectus, quos in Virgine produxit, vt partim saltem eorũ in te producere dignetur, specialiter, vt Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, vt Christum in anima concipias, & nutrias, & tecum maneat.

Secunda Visitatio fuit ea, q̃ Christus Dñs fecit Ioãni baiulans in vtero à matre, quæ in domum Zachariæ continuò post conceptionem Christi se contulit: pondera varios effectus illius visitationis: mundauit eum à peccato, replens illum Spiritu sancto, accelerauit ei vsum rationis, indidit ei fidem non solum habitualem, sed actualem, vt verbum incarnatum agnosceret, gaudio Charitatis illum perfudit, fecit illum Prophetam, parentes illius Elisabettam, & Zachariam diuinis charismatibus cumulauit: non est nunc abbreuiata manus Domini, vt similes effectus tibi præstare non possit, maximè quod ibi venit ad domum Ioannis, nunc vero venit ad pectus tuum vniens magis, & intimius suam humanitatem tecum, quam cum Ioanne.

Tertia Visitatio fuit in Bethlem, quæ domus panis interpretatur, quando ex vtero materno prodijt in hanc lucem, tunc positus fuit in præsepio inter duo animalia, vt intelligant fideles *Lucæ 2.* venire illum tanquam cibum eorum, qui more bestiarum viuebant: existima quando communicas pectus tuum esse velut aliam Bethleem, idest *domum panis*, qui de cœlo in te descendit, vt illo ciberis, & nutriaris, & sicut ibi ad illum adorandum iacentem

in

in præsepio accesserunt Angeli, & Pastores, ita omnes tuæ potentiæ certatim confluere debent ad illum in præsepio pectoris tui
Psal. 21. venerandum, iuxta illud Dauidis, *Manducauerunt, & adorauerunt omnes pingues terræ*: Dole, quod multi indignè recipientes illum similes sunt Herodi, qui cum Christum interimere velet, dicebat,
Matt. 24 *Vt & ego ueniens adorem eum.*

Quarta Visitatio fuit, qua Christus Dominus Ierosolymitanum
Malac. 3. templum ingressus est, implens Malachiæ vaticinium, *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam, & statim ueniet ad templum suum Dominator, quem uos quæritis*: Et
Agg. 2. illud Aggæi, *Veniet desideratus cunctis gentibus, & implebo Domum istam gloria*. Si in illa Visitatione misit Angelum, qui præpararet viam, certè in hac Sacramentali mittit prius diuinam inspirationem, & varia auxilia ad præparandam animam: deinde ipsemet venit pectus nostrum ingrediens: in templo se tradidit in manus Simeonis, qui cecinit Canticum illud, *Nunc dimittis seruum*
Lucæ 2. *tuum in pace*: At in hoc Sacramento non solum se constituit in manibus Sacerdotis, sed penetralia communicantis ingreditur, quod est beneficium multo excellentius; pondera effectus, quos causauit illa Visitatio in Sancto Simeone, iubilum, pacem, complementum suorum desideriorum, ac tandem mortem pretiosam in conspectu Domini; acceptio enim illa, qua Christum Dominum in vlnis suis suscepit, fuit illi instar viatici, vt fęliciter moreretur, hęc enim omnia copiosius causat hoc Sacramentum; sed nec prætereundum est in hac meditatione rectè in hoc Sacramento verificari, quod Simeon de Christo Domino dixit B. Virgini;
Lucæ 2. *Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum*. Cum malis ruina, & mors sit, bonis verò resurrectio, & vita; verificatur
Lucæ 2. etiam illud eiusdem Simeonis, *Ecce positus est hic in signum, cui contradicetur*. Cum tot sint hæretici contradicentes, & blasphemantes hoc augustissimum Sacramentum, de quo tibi multum dolendum est.

Quinta Christi visitatio fuit, quando infans visitauit Aegy-
Isaiæ 19. ptum, iuxta illud Isaiæ: *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum, & commouebuntur simulachra Ægypti à facie eius; in die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti, & cognoscetur Dominus ab Ægypto, & cognoscent Aegyptij Dominum, & colent eum in hostijs, & muneribus, & uota uouebunt Domino, & soluent, & benedicet illis Dominus exercituum*. Sanè in hoc Sacramento Christus Dominus venit inuolutus nube accidentium panis, quæ nihil obscurant eius maiestatem, sed tantum tegunt illam; meritò autem Sacramentum hoc nubes leuis nuncupari potest
cum

cum facilimè moueatur ad vnumquemque sumere illud volentem: & sicut in ingressu illo in Aegyptum, Christus Dominus confregit Idolos, ita spiritualia Idolorum simulachra, hoc est prauas animæ affectiones, quibus velut Idolis inseruit, ab eo expellit, & sicut ibi Aegyptij vota sua uouerunt Domino, ita, & tu sollicitè cura varias oblationes ei offerre, præsertim cordis tui, si enim hoc feceris certus esto, quod sicut tunc Dominus benedixit Aegypto, ita, & benedicet tibi in vita, in morte, post mortem, & in æternum.

Sexta Visitatio Christi Domini fuit, quando post longum silentium triginta annorum ab hominum conuictu segregatus, nondum diuitias suæ doctrinæ diffuderat Hebreorum populum visitauit mirabili sua prædicatione, in qua visitatione multipliciter suam manifestauit misericordiam, nunc se gerens velut Magister diuina mysteria eos docens, nunc vt Medicus spirituales, ac corporales eorum infirmitates sanans, nunc vt Pastor eos spiritualiter, & corporaliter cibans, nunc vt Amicus familiariter cum illis conuersans, nunc vt Sacerdos secũdum ordinem Melchisedech panem, & vinum offerens carnis; & sanguinis sui, nunc vt Redemptor prætioso suo sanguine in cruce effuso, tanquam inestimabili prætio eos emens, vt a dura Diaboli captiuitate eriperentur, cogita ergo omnia hæc munera mirabili modo Christum Dominum exercere tecum in hoc Sacramento.

Tandem proportionaliter in alijs visitationibus procedendum tibi est: etenim post mortem visitauit Lymbum Patrum, qui illum ardentissimè desiderabant, & illis se manifestauit eos beatificans, & desiderium eorum cumulatissimè implens: post resurrectionem verò matrem suam visitauit, deinde Magdalenam sub habitu Hortulani, duos discipulos euntes in Emaus, sub veste Peregrini, Apostolos in habitu glorioso, ostendens eis vulnera summa claritate fulgentia, varios, ac mirabiles effectus in eorum animis producens, quibus minimè priuaberis si digne sub hoc diuino cibo eum susceperis.

Io. 20. *Luc. 24.*

De His quibus Sanctus Thomas se præparabat ad communionem.

ANgelicus Doctor huius diuini Sacramenti deuotissimus in oratione præparatoria, quæ incipit. Omnipotens sempiterne Deus septem affectibus se præparabat. Primus erat contritionis de peccatis propter Deum summe dilectum obseruans illud Iob 3. *Antequam comedam suspiro*: Nec non firmissimum propositum nunquam offendendi diuinam Maiestatem non solum in gra

S. Thom. in Diurn. Eccl. Ro. *Iob 3.*

uibus,

uibus, sed nec in leuioribus. Secundus erat pia affectio voluntatis ad credendum hoc Sacramentum cum animo moriendi pro eius defensione, & tunc exercebat fidem, quod verè aderat in Sacramento Christus Dominus, naturalis filius Dei, & Beatæ Virginis, idem qui pro nobis natus, passus, sepultus, suscitatus, in cælum assumptus, super cælos exaltatus, & ad dexteram Dei sedebat: exercenda etiam est fides circa myracula omnia, quæ fides Catholica docet in hoc Sacramento, vt quod in eo non sit substantia panis, & vini, eo quod in corpus, & sanguinem Christi Domini fuerint conuersa, quod accidentia sint sine subiecto, quod integer Christus sit sub qualibet parte hostiæ, & alia similia supra commemorata.

Tertius erat affectus humilitatis, recognoscendo se indignum, vt Maiestas Christi Domini ad pectus eius descenderet; agnosce qui communicaturus es, & confitere coram Domino, & in veritate, te propter peccata commissa non solum indignum esse pane isto angelico, sed & pane qui canibus proijcitur, cum tanquam canis ad vomitum reddieris eadem reassumens peccata, quæ semel reliqueras, nec mirum est si te cane deteriorem iudices, cum ille fidelissimus sit hæro suo, tu vero infidelissimum te exhibueris Domino, & Creatori tuo. Quartus erat desiderium ardentissimum habendi magnam puritatem, quod desiderium ortum habebat ex cognitione Maiestatis Christi Domini, & sanctitatis eius, tam increatæ, quam creatæ, ob quam mæretur summa puritate, & munditia suscipi. Quintus erat actualis deuotio quæ in eo consistebat, quod se offerebat Christo Domino promptissimum ad inseruiendum ei in quibuscumque sibi placere agnosceret quantumcumque difficilia essent.

Sextus erat intentio qua accedebat ad sacram communionem, Deum scilicet glorificandi, qui in hoc sacrificio maximè complacet, & spirituales gratiæ diuitias ab eo tanquam a perenni fonte hauriendi. Vltimus erat actualis reuerentia cum tremore accedens ad vescendum carne verbo diuino vnita, cuius sola præsentia Angeli indignos se esse ingenuè fatentur.

De varijs locis Sacræ Scripturæ, tam veteris, quam noui testamenti meditatione dignissimis ad maiorem cognitionem, & deuotionem excitandam huius diuini Sacramenti.

Gen. 14. M*Elchisedech* Rex Alem proferens panem, & vinum *erat enim Sacerdos Dei altissimi*: Gen. 14. *Ponam buccellam panis, & confortetur*

tetur cor vestrum, sed afferam pauxilũ aquæ, & lauentur pedes uestri. Gen. *Gen. 18.*
18 *Frumento, & uino stabiliui eum, & post hæc filimi, quid amplius faciam.* *Gen. 27.*
Gen 27. *Nec quidquam aliud nouerat nisi panem, quo uescebatur.* Gen. 39. *Gen. 39.*
Nulla curiositate uideant, quæ sunt in sanctuario. Num. 4. *Manducauerunt,* *Num. 4.*
& adorauerunt omnes pingues terræ. Psal. 21. *Panem Angelorum mandu-* *Psal. 21.*
cauit homo. Psal. 77. *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tri-* *Psal. 77.*
bulant me. Psal. 22. *Panis absconditus suauior.* Prouerb. 9. *Angelorum esca* *Psal. 22.*
nutriuisti populum tuum, & paratum panem de cælo sine labore præstitisti il- *Prou. 9.*
lis. Sap. 16. *Cibabo te hæreditate Jacob.* Isaiæ 58. Hæc, & similia multa *Sap. 16.*
ex veteri testamento, præcipua tamen sunt ex nouo, vbi clarius de *Isa. 58.*
hoc diuino Sacramento fit sermo: *Desiderio desideraui hoc Pascha manducare uobiscum antequam patiar.* Lucæ 21. *Non Moyses dedit vobis* *Luc. 21.*
panem de cælo, sed pater meus dat vobis panem de cælo verum. Ioan. 6. & *Ioan. 6.*
insuper in eodem capite Christus Dominus dixit. *Ego sum panis vi-* *Ibidem.*
tæ. Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt: Hic est panis de cælo descendens: vt si quis ex ipso manducauerit non moriatur. Ego sum panis uiuus, qui de cælo descendi. Si quis manducauerit ex hoc pane uiuet in æternum, & panis quem ego dabo caro mea est pro mundi uita, litigabant ergo Iudæi ad inuicem dicentes: Quomodo potest hic nobis suam carnem dare ad manducandum? Dixit ergo eis Iesus. Amen, Amen dico uobis nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem non habebitis uitam in uobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem habet uitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Caro enim mea uerè est cibus: & sanguis meus uerè est potus, qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in illo. Sicut misit me uiuens Pater, & ego uiuo propter patrem: Et qui manducat me, & ipse uiuet propter me. Hic est panis, qui de cælo descendit, non sicut manducauerunt patres uestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem uiuet in æternũ: Et Marci 14. *Sumite hoc est corpus meũ;* & accepto calice gratias *Marc. 14*
agẽs dedit eis, & ait, *hic est sanguis meus noui testamẽti, qui pro multis effunditur.* Hæc omnia Christus Dominus. Ex D. autem Paulo hæc
habes ad Corinth. 11. *Dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit pa-* *Ad Cor.*
nem, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite, & manducate: hoc est corpus *11.*
meum, quod pro uobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter, & calicem postquam cænauit dicens. *Hic Calix nouum testamentum est in meo sanguine hoc facite quotiescumque bibetis, in meam commemorationem. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis mortem Domini annuntiabitis donec ueniat. Itaq; quicumque manducauerit panem hunc, uel biberit calicem Domini indigne reus erit corporis, & sanguinis Domini. Probet autem se ipsum homo: & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indigne, iudicium sibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini.*

De singulari quadam meditatione Diui Augustini considerantis Eucharistiæ cibum tamquam lac, quo Christus alit illo vescentes.

D. Aug. in ps. 33. PRimo considerabat Diuus Augustinus Christum Dominum tamquam matrem, quæ non solum contenta spiritualiter nos generasse, ac crudelissimis doloribus Crucis nos parturisse, voluit pariter etiam esse nutrix nostra non alieno, vt consueuere multæ matres, sed proprij corporis, & sanguinis sui lacte nos ad vbera sua *Oseæ 1.* nutrire, id enim satis dare ostendunt verba illa Oseæ 1. *Ego lactabo eam:* & illa eiusdem: *Ego quasi nutricius Ephraim portabam eos in brachijs meis;* Vt tamen magis percipias suauitatem huius meditationis, *D. Aug. Psal. 33. tom. 8.* verba Diui Augustini hic apponam attenta, ac minuta consideratione dignissima, ille enim super Psal. 33. sic loquitur. *In principio erat verbum, ecce cibus sempiternus, sed manducant Angeli, manducant supernæ virtutes, manducant cælestes spiritus, & manducant, & saginantur, & integrum manet, quod eos satiat, & lætificat. Quis autem homo posset ad illum cibum? oportebat ergo, ut mensa illa lactesceret, & ad paruulos perueniret. Vnde autem fit cibus lac? unde omnibus in lac conuertitur, nisi per carnem traijciatur? Nam mater hoc facit, quod manducat mater, hoc manducat infans, sed quia minus idoneus est infans, qui pane uescatur, ideo ipsum panem mater incarnat, & per humiditatem mammillæ, & lactis succo de ipso pane pascit infantem:* Hæc ille: contemplabatur S. Augustinus Christum similem matri plures filios habenti, quos omnes eodem pane sustentat, sed natu grandioribus, & dentibus cibum terere, ac stomachi calore coquere valentibus panem porrigit cortice obductum, & duriorem: infantulo autem, quem ad vbera nutrit, non panem ipsum, sed substantiam panis natiuo suo calore in liquorem lacteum versam largitur: Hoc modo, vt censet Augustinus, Christus instar nutricis amantissimæ pascit Angelos, ac Beatos in cælo, & homines iustos in terris, sed hoc inter vtrosque discrimen est, quoniam illos tamquam filios ætate prouectiores sustentat pane in forma propria, idest visione Dei, vt videant eum sicuti est, nobis autem tamquam paruulis, quibus lacte opus est, nō solido cibo, vt dixit Paulus, eundem panem, quasi sub forma lactei *D. Aug. ubi sup.* cibi præbet. Vt enim, ait Augustinus: *Oportebat, ut mensa illa lactesceret;* propter nostram imbecillitatem, qui tamquam infantes cæ*S. Thom. in missa corporis Christi.* lestem panem manducare non valebamus, nisi per Christum panis ille Angelorum, hominum gustui, & imbecillitati fuisset attemperatus, vt attestatur Ecclesiæ Hymnus: *Ecce panis Angelorum factus cibus uiatorum.*

Secundo,

Secundo, Considera, quod sicut mater tenellum nutriens infantem ex cibis, quibus vescitur, quod crassius, & minoris nutrictionis est, sibi assumit, & puero cum lacte succum ciborum subtiliorem, & meliorem communicat, ita Christus in vltima cena hoc diuinum Sacramentum sumens cum Apostolis ex eo, quod erat substantiæ minoris accepit, quandam Spiritualem delectationem, (quoniam existens Beatus non poterat accipere gratiæ augmentum) nobis autem dedit quod in eo purius, & magis, vt ita dicam, succosum est, gratiam nempè, qua nutrimur tamquam præcipuo huius Sacramenti effectu. Vnde completum est, quod Isaias prędixerat. *Mammilla Regum lactaberis*, quod septuaginta Interpretes verterunt: *Diuitias Regis comedes*. Hoc est Regis gloriæ Christi perfrueris meritis, & mirabilibus beneficijs, quę in hoc Sacramento ab ipso conferuntur. *Esa. 60.*

Tertio, Considera, quod verba illa Oseæ: *Ego lactabo eam:* Idem valent, ac si diceret, Ego seducam eam, vt interpretatur D. Theodorettus, quoniam cum in hoc Sacramento sensibus nostris videatur illic panis, & vinum esse, nec tamen sit nisi Dei caro, & sanguis, talis seductio vtilis valde animæ nostræ, & Dæmoni perniciosissima est. Cum primum Deus humani generis parentes creauit, eorum aduersarius Diabolus omnes vires, ac neruos intendit ad ipsos decipiendos lacte fallarum voluptatum, quod lac adeo ipsis fuit tabificum, & pestiferum, vt nisi Deus a tam pernicioso vbere illos amouisset, & ablactasset, omninò perijssent, promisit fieri Deos si comedissent de ligno, promisit fieri immortales, sed fefellit eos, cum vescente cibo illo vetito adoptionem filiorum Dei amiserint, & mortem incurerint: E contra vero Christus Dominus si decipit sē sus, per fidem eos corrigit, vt meritum illius augeatur, dum contra Iudicium sensuum credit, sub speciebus Sacramenti non adesse substantiam panis, & vini, sed carnem, & sanguinem Christi: insuper etiam in eo, quod promisit non fallitur, promisit enim vitam dandam, & immortalitatem, & ita de facto implet ipso dicente; *Qui manducat panem, viuet in æternum.* *D. Theodorettus Com. huius loci.* *Ioan. 6.*

Quarto, Considera, quod quemadmodum infans de re nulla cogitat nisi de nutricis vbere (illic enim placatur indignatus, lætatur tristis, quiescit lachrymans, sanatur ægrotans) sic tu quoque si tristaris, si succenderis iracundia, si alijs animi affectibus traheris, accurre ad vbera Christi, accurre ad sugendum lac viuificum, & salutare, in quo solamen, gaudium, delectationem, & robur inuenies. Quod si iam a pulte, ac infantiæ pannis recessisti, & adolescens factus concupiscentiæ vexaris æstu, perge ad fontem aquarum viuentium, illic enim refrigeraberis, ne te in virtute progre-

dientem libidinis ardor impediat. Si tandem vir iam es, ac virtute perfectus, sanguis Christi vinum est, quo inebriantur eius amantes, & in ipsum quem diligunt Christum transformantur. Quæ
Cant. 5. omnia Sponsus breuibus verbis complexus est, cum dixit. *Bibi vinum cum lacte meo.* Vinum puerorum est lac, & senum lac est vinum: Lacte crescunt, & roborantur pueri, & vino senes exhilarantur, ac fulciuntur, quæ duæ res nobis per hoc Sacramentũ, vbi bonorum auctor Christus nobis datur, cumulatissimè præstantur.

Vltimo, Considera opus esse ad hoc, vt Sacramentum producat in nos prędictos effectus, animam esse purgatam, & defecatam omni affectu terrestri, nam, vt ait Galenus, & Auicenna cum vniuersa Medicorum Schola, vt vtile sit lac, & salutiferum nutrimentum oportet corpus malis humoribus expurgari, aliter enim cum lacte humor augetur; ideoque, vt facer hic cibus diuinusq; potus mēti nostrę suos inducat effectus, conuenit omninò illam esse alienam ab omni genere culparum quibus deformatur, & inquinatur.

De Gratiarum actione post susceptionem Eucharistiæ.

QVamuis omnia quæ hucusque dicta sunt de hoc Sacramento deseruire possint ad præparationem illius, & ad gratiarum actionem postquam illud susceperis, hæc tamen, quæ apponam, mirum in modum faciunt ad reddendas gratias pro tam excellenti beneficio, & quidem in primis cum Christus Dominus vocauerit per anthonomasiam hoc diuinum Sacramentum: *Mysterium fidei:* Eo quod magnam occasionem præbeat ad excellentes actus illius exercendos, abnegando proprium iudicium, imo & proprium sensum, gustus, tactus, olfatus, visus, & auditus, idcirco ante omnia in præsentia Christi Domini constitutus extimulare debes fidem dicens cum D. Petro. *Tu es Christus filius Dei*
Matt.16. *viui;* Vel cum Martha: *Vtique Domine ego credidi, quia tu es filius Dei*
Ioan.11. *viui:* Credo te esse verbum diuinum quod carnem assumpsisti ex purissimis sanguinibus inuiolatæ Virginis, Spiritu Sancto cooperante: Credo te pro me effudisse sanguinem tuum cruci affixum: Credo te nunc iam gloriosum, & cicatrices tuorum vulnerum in corpore tuo portare: Credo te esse Omnipotentem, atque adeò facilè posse me diuinis Charismatibus locupletare.

Secundo. Cum credas intra pectus tuum adesse Christi Maiestatem, procide ante ipsum, corpore, & anima illum adorans, recognoscendo summam eius excellentiam, ac supremum dominium in te, & omnes creaturas, pariterque recognosce te, & illas omnes, quas in nihilum esse coram illo, te autem peius esse, quam nihi-

nihilum, cum ex te solo nihil habeas nisi peccata, quæ cōmisisti.

Tertio. Cum agnoueris supremam dignitatem Christi, ac summam indignitatem tuam prorumpe in actum admirationis, admirans, quod Maiestas Creatoris, & Redemptoris, dignata fuerit descendere ad tam vilem creaturam, & quod tam excellens beneficium, ac tam insigne donum, quale est corpus Christi, anima, & sanguis verbo diuino vnita, tibi ingratissimo impendere non dubitarit, & quidem si quando Daniel accepit panem materialem a Deo missum ministerio Angeli, ita admiratus fuit, vt diceret. *Recordatus est mei Deus*: Quanto magis admirari debes, quod æternus Pater mittat ad te panem supersubstantialem, ac Deificum corporis, & sanguinis filij sui. *Dan. 14.*

Quarto. Ex hac admiratione continu prorumpe in feruentem actum amoris Christi Domini anteponendo illum omnibus creaturis, & gaudendo de bonis illius, vt autem ad hunc amorem exciteris, cogita, quod quamuis Christus Dominus hoc Sacramentum instituerit, quando tamen consecratur hostia, quam tu sumpsisti, certè Christus Dominus de cælo descendit in eam non pro alio, quam pro te solo, nec ad ingrediendum in pectus alterius mediante ea hostia, nisi in te solūmodo, considerans autem hanc tantam dignationem, ac tam singulare amoris indicium Christi erga te, etiam si æneum cor habeas emollietur ad amandum hunc tuum summum benefactorem.

Quinto. Post exercitium amoris, quia proprium est tam amantis munera donare ei quem amat, quam grati animi sua offerre benefactori exclama cum Dauide: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi*: Sanè Domine si voluero tibi donare, vel offerre aliqua, quæ tua non sint in vanum laborabo, cum Dominus vniuersorum tu sis; oportet ergo, vt reddam, quæ tu mihi dedisti: Offero igitur tibi Pater æterne in gratiarum actionem animam meam, corpus, personam, intellectū, memoriam, & voluntatem, & omnes potentias, tam internas, quam externas, cor meum, viscera mea, omnes denique operationes, tam naturales, quam liberas, desiderans omnes in tui gloriam cedere, verum, quia hæc omnia parui momenti sunt in comparatione tam infiniti beneficij mihi collati, offero tibi in gratiarum actionem pro eo eundem filium tuum carne indutum Offero eius animam, corpus, sanguinem, accipe oblationem hanc per quam tantum tibi reddo, quantum tu mihi dedisti, eaque tam generosa voluntate tibi reddo filium, quem mihi dedisti, vt si ex eo, quod mihi illum retinerem, tu eo priuareris, potius eligerem reali eius præsentia orbatum manere, quam te dilecto tuo filio expoliari: verum cum ipse adeo im- *Ps. 115.*

men-

mensus sit, vt a te nunquam discedens in me manere possit fac, vt ille in me, & ego in eo in æternum maneam iuxta verbum ipsius: *In*
Ioan. 6. *me manet, & ego in illo.*

Sexto. Quia vera gratiarum actio non consistit solum in huiusmodi oblationibus, & bonis propositis, sed præcipuè in operibus, oportet, vt post communionem, & mentalem gratiarum actionem continuo te accingas ad spiritualium virtutum opera exercenda, quæ tibi incumbunt, tum ex obligatione tui status, tum etiam ex consilio, & supererogatione iuxta facultatem tuam, nec facias, quod Elias, qui post panem cælestem acceptum continuo obdormiuit, illum enim reprehendit Angelus, & vlterius pergere impulit, idq; clarius te docuit Christus Dominus, qui postquam surrexit a cæna, in qua instituit hoc Sacramentum, continuo se contulit ad perferendos labores suæ passionis iuxta mandatum Pa-
Ioan. 14. tris, vnde tunc dixit: *Vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater sic facio; surgite eamus hinc.* Ad locum scilicet, in quo tanquam latro sum comprehendendus, deinde flagellandus, coronandus, & crucifigendus.

Ad extremum propono tibi modum alium mirabilem, & facilem ad reddendas gratias post sacram communionem. Primo postquam exercueris actum fidei, vt supra dixi, quo firmissimè credas intra pectus tuum realiter adesse Christum Dominum verum Deum, & verum hominem, excitare debes in voluntate feruens desiderium debitas gratias ei reddendi in quantū Deo, & in quantum homini, considéransq; illum quatenus Deum, dic quis es tu Domine, & quis sum ego, vt dignatus sis ad me declinare, & me visitare: Tu summa sapientia, ego summa ignorantia, gaudeo de tua sapientia, expelle ab anima mea ignorantiam tui, & tuæ voluntatis, tu summa bonitas, ego summa malitia, gaudeo de tua infinita bonitate, & in pelagus illius proijcio omnia mea peccata, vt omnino pereant, tu summa omnipotentia, ego ipsa impotentia ad bonum quantum est ex me solo, tu potentissimus ex te ad bonum, ego solum potentissimus ad malum, gaudeo de tua omnipotentia, & precor vt adsit mihi, ad tibi semper inseruiendum; tu ipsa pulchritudo, ego ipsa turpitudo, gaudeo vehemēter de hac tua infinita pulchritudine, precor vt facias me illam clarè videre post mortem meam, & interim turpitudinē peccatorum meorum penitus à me deieas, tu Domine infinitus, & immensus habens esse per essentiam, ego finitus, limitatus loco comprehensibilis, & in conspectu diuinæ maiestatis tuæ quasi nihilum, gaudeo de infinitate, & immensitate tua: fac me illam semper reuereri, & præsentiæ illius nunquam obliuisci, ad eundemque modum poteris collationem

lationem facere aliarum diuinarum perfectionum cum tuis imperfectionibus, Deum in illis exaltans, & laudans, & in his te humilians, & contemnens: postquam autem Christum Dominum in quantum Deum laudaueris, debes te conuertere ad eundem in quantum hominem, laudans, & benedicens animam, & corpus eius, quod suscepisti, & intra pectus tuum durat, quamdiu species sacramentales non consummuntur, debes autem in hunc modum ei gratias agere. Adoro, & benedico sacratissimam animam tuam vnitam verbo diuino; adoro, & benedico intellectum tuum Deũ clarè videntem. Adoro, & benedico memoriam tuam perfectissimis imaginibus ornatam; adoro, & benedico voluntatem tuā beatifico amore inflammatam, & infiniti valoris meritis, & satisfactionibus affluentem; deinde veniens ad corpus; adoro, & benedico sacrum caput tuum pro me pungentibus spinis coronatum; adoro, & benedico capillos capitis tui carnificum rabie sęuissime auulsos; adoro, & benedico pulcherrimos oculos ignominiosè velatos, & pro me multoties lachrymatos: adoro, & benedico aures tuas, quæ tot blasphemias, & opprobria audierunt: adoro, & benedico nasum tuum fœtorem patientem immundi illius loci, in quo malefactores cruciabantur; adoro, & benedico sacrum os tuum aceto, & fele amaricatum; adoro, & benedico linguam tuam catholicam doctrinam nos docentem, ac septem mirabilia verba in cruce loquentem; adoro, & benedico mentum, & barbam tuam, varijs iniurijs laceratam; adoro, & benedico venerandas tuas maxillas multis alapis percussas; adoro, & benedico collum tuum, non semel colaphizatum: adoro, & benedico speciosam faciem tuam varijs sputis fœdatam, in te enim mi Domine spuebant tanquam in locum immundum; adoro, & benedico terga, ventrem, & reliquas partes corporis tui, quę sæuissima flagella ad columnam pertulerunt; adoro, & benedico humeros tuos pondus grauissimæ crucis ad Montem Caluarium gestantes; adoro, & benedico brachia tua in cruce distenta; adoro, & benedico manus tuas clauis perforatas; adoro, & benedico pedes tuos clauorum cuspidibus terebratos; adoro, & benedico sacrum pectus tuum diro mucrone lanceæ apertum, ex quo manauit sanguis, & aqua; adoro, & benedico omnia interiora corporis tui, specialiter tamen sacratissimum cor tuum, quod pro me ab instanti tuæ cōceptionis, vsque ad mortem varijs doloribus fuit oppressum, necnō preciosissimum tuum sanguinem sæpe pro me effusum, ac tandem postquam in hunc modum gratias egeris Christo Domino in quantum Deo, & in quantum homini dic ei, vt impleat ipse, quod præcepit facere discipulis suis: tu Domine dixisti eis, *In quamcunque domum intraueritis, pri* Luc. 10.

mum

Lucæ 10. *mum dicite, Pax huic domui.* Insuper etiam eidem dixisti: *Curate infirmos, qui in illa sunt, & dicite eis, appropinquauit in vos regnum Dei.* Cum ergo tu mi Domine intraueris in domū meam dic, pax huic domui; nam sicut mundus factus est te dicente, fiat, ita etiam inter partem inferiorem & superiorem animæ meæ continuo erit pax, si tu dixeris pax tecum; deinde cum agnoscas me adeo infirmū, cura omnes infirmitates meas, & vt hoc Sacramentum sit pignus æternæ gloriæ, dic animæ meæ, *Appropinquauit in te regnum Dei*, Vt spe tanti boni corroboratus animus meus erigatur, & excitetur ad tibi incessanter seruiendum, colendum, & amandum in æternum, & vltra.

PRAXIS ORATIONIS MENTALIS.

Liber Quartus.

CIRCA COGNITIONEM DEI, & modum cognoſcendi illum.

ANgelicus Doctor D. Thomas, prima parte quæſt. 3. docet ex D.Dionyſio Areopagita duplicem eſſe viam ad cognitionem Dei, vnam vocat affirmationis;alteram negationis,viam affirmationis docuit D.Paulus ad Romanos 1.dum dixit: *Inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur*. Etenim mens conſiderans varias perfectiones creaturarum illas tribuit Creatori,quia tamen in illis ſunt admixtæ multis imperfectionibus, induſtria vtitur Artificis,quia ſicut ille ad ignem fornacis fundens aurum, terra, aut plumbo permixtum , inde mundum illud extrahit, vt pulchrum vas conficiat, ita mens noſtra ſeparans aurum perfectionum a terra,& plumbo imperfectionum,quas reperit in creaturis; eas ſic emundatas Deo Optimo Maximo tribuit. Viam autem negationis exercet fugiendo creaturas, nihil earum ei tribuendo, fatetur enim Deum non eſſe Cælum,non Solem,non Angelum, ſed aliquid aliud præſtantiſſimum bonum,bona omnia infinitè tranſcendens duplicem hanc viam manuali exemplo intelliges:in hoc differt ſtatuarius a pictore,quod ille, ex ligno affabre facit imaginem, ſemper aliquid ab eo detrhaens,è contra verò,pictor conficit ima

D.Thom.

Rom. 1.

ginem, semper aliquid vnius, vel alterius coloris addens, non secus quando cognoscimus Deum per viam negationis nihil eorum, quæ sunt in creaturis ei adscribimus, sed confitemur esse aliquid superexcellentius omnibus illis, quando verò eundem cognoscimus per viam affirmationis, tribuimus illi perfectiones omnes, quas cernimus in creaturis, præcisas tamen ab imperfectionibus, & næuis quibus in illis admixtæ sunt. Primo differemus de via affirmationis, deinde ad viam negationis sermonem dirigemus.

Apponitur materia copiosa cognoscendi Deum per creaturas innanimatas ex quibus mundi fabrica componitur. Cap. I.

CIRCA TERRAM.

§. I.

TErra, & si minimum sit elementorum, vberem nobis materiam subministrat agnoscendi creatorem, ac cælestia eius bona; terra quidem locus est in quo corpus humanum requiescit, cum alioquin, neque in aqua, neque in aere, neque in igne, quiescere possit; non dissimiliter in solo Deo anima quiescere potest, non in aere honoris mundani, non in igne carnalium voluptatum, non in aqua labili fluxibilium diuitiarum, his enim omnibus cum abundasset Salomon expertus est omnia esse vanissima, & ideo dixit, Eccl. 2. *Vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi*; Etenim cum anima sit capax fruendi Deo infinito bono, nihil preter illum vacuitatem eius implere potest. *Eccl. 2.*

Terra tanquam nutrix nostra fructibus suis nos alit, multaque subministrat in humanam vtilitatem, sanè nõ tam ipsa terra, quam Creator eius, hęc tibi largitur, & sic tanquam ab eo accepta ei gratiæ referendæ sunt: terra seruit suo creatori, varios fructus producens ad imperium eius: in hoc nobis imitanda est, vt fructus bonorum operum semper producamus maximè, quod licet aliquando deficiat pluuia terræ, ex cuius defectu sæpe non germinat, nobis tamen cælestis auxilij pluuia ad bene operandum nunquam deficit.

Terra æris, plumbi, argenti, & auri mettalla intra viscera sua continet, quam hæc omnia sint ad humanos vsus necessaria, nemo ignorat, in quo beneficentia Dei, ac singularis liberalitatis non parum

rum emicat,sed in eo magis resplendet,quod aurum Charitatis,argentum Castitatis,ferrum fortitudinis,ac prætiosas aliarum virtutum margaritas in anima producit, atque simili modo proprietates aliæ terræ sunt considerandæ, quas nunc breuiter assignabo. Etenim in primis terra dicitur, quia continuo territur animalium pedibus, dicitur humus, quia ab aqueis humorem imbibitum habet,dicitur tellus,quia ab ea tolluntur singulis annis fructus, dicitur ops,quia opes ab ea reportantur: terra est mater communis, quæ viuentes nos fouet, & mortuos gremio suo recipit, natura sua est sicca,& ideò ordinauit omnipotens,vt cælestibus imbribus rigaretur ad producendos suos fructus,multos tamen non germinat, nisi culturæ humanæ industria accedat: Terra aspectu est vilis,& despecta,interius verò locupletissima,tum virtute ad germinandum, tum prætiosis lapidibus, et mettallis in visceribus ejus absconditis: Terra inter omnia corpora summè a Cælo distat, figuram habet Sphericam,semper firma perseuerat,& ad imperium sui Creatoris manet semper immobilis: terra habet intra se triplicem sinum Purgatorium,Lymbum,& Infernum,in quo mirificè splendet Iustitia Dei:terra in hyeme spoliatur pulchritudine sua, quæ ab arboribus,& floribus mutuabat,sed adueniente vere renouatur,& iuuenescit: Terra est corpus oppacum,& obscurum terremotus fieri solent in ea propter ventos inclusos in visceribus eius,qui foris erumpere conantes terremotum ipsum causant.

CIRCA AQVAM.

§. II.

ELementum aquæ meditationis materiam copiosam similiter subministrat,est enim illa humida, & frigida, & ideo apta ad lauandum,ad abstergendas maculas,ad extinguendum ignem,ad refrigerandum corpus,ad temperandum ardorem sitis: quam profundè descendit, tam altè ascendit: ac denique multa inter se diuersa in vnum coniungit,sicut multa grana contrita in vnam massam reducit: hæc quidem vestigia Dei sunt: lauat Deus maculas spirituales animæ per Contritionem,per Confessionem,& alia Sacramenta,quæ ad id sunt ipsius Dei instrumenta. Solus est ipse, qui potest peccata delere, & nisi ipse deleat in æternum peccator manebit immundus: multę maculę sunt,quas nec virtus aquę,nec industria humana abstergere potest; Deus autem omnem maculam lauat,idque ita perfectè, vt sæpe etiam nullum eius vestigium relinquat in anima aqua lauat maculas naturales, Deus volunta-

rias,& ideo non lauat,nisi volentem,velle autem ipse dat,& perficere:deinde si aqua extinguit ignem,certè Deus aqua diuinæ gratiæ extinguit ignem carnalis concupiscentiæ, etenim licet multum iuuent ad libidinis flammas extinguendas ieiunia, vigiliæ,& aliæ macerationes carnis,sed si non adhibeantur, vt instrumenta diuinæ gratiæ,sola parum,vel nihil proderunt;aqua præterea sitim sedat, sola aqua cælestis gratiæ potest desiderijs cordis humani finem imponere,vt Christus Dominus dixit Ioan.4. *Qui biberit ex hac aqua sitiet iterum, qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei non sitiet in æternum*. Quod si aqua multa diuersa in vnum redigit, multo excellentius hoc præstat Charitas,quæ non solum homines inter se vnit, vt Act. 4. dicatur de primis illis fidelibus, quod *Erant cor vnum, & anima vna*, Sed quod excellentius est vnit creaturam cum Creatore, quæ vnitas adeò magna est, vt Paulus auderet dicere se non viuere per vitam propriam, sed per vitam ipsius Christi. *Viuo ego iam non ego, sed viuit in me Christus:* Aqua denique, tam alte ascendit,quam profundè descendit, id mirifice apparet in Deo nostro, qui in die Pentecostes de summo Cælo venit in terras, & in cuius corde recipitur,illud mirabile præstat,vt in eo fiat fons aquæ salientis in vitam æternam, vt dixit Dominus, Ioan. 4. apparet etiam in Christo Domino,qui quantum se humiliauit vsque ad inferiora terræ, tanto Pater illum exaltauit supra verticem supremi Cæli; atque ad eumdem modum considerandæ sunt aliæ eiusdem aquæ proprietates, nimirum, quod aqua est fæcundatiua terræ,est de se obscura,nisi solaribus radijs illuminetur,caret sapore,& colore,recipit tamen facilè has qualitates:dura emollit:est naturæ specularis, & ideo repræsentat imagines cum est clara, secus quando est turbida:res in aqua maiores apparent,quam sint in se ipsis:habitaculum est piscium, & adeò illis necessarium, vt extra ipsum pereant: aqua licet sit labilis non tamen diffundit se per totã terram, sed cõtinet se intra limites suos ad imperium Creatoris, ne terram inundet, & animalium destruat domicilium: aqua habet motum suum à centro ad circumferentiam,recipit figuram sui receptaculi quadram, triangularem, vel similem aliam omnibus se coaptans: herbas,& arbores vegetat,via est, & sustentaculum nauium, & triremium, permultos suffocando effecauit, & præter alias eius vtilitates, illa est singularis, quod circundans castra, velut aqueo muro mirum in modum illa fortificat.

Ioan.4. Act.4. Ad Gal. 2. Ioan.4.

Cæterum quia inter creaturas aqueas mare principem locum tenet, & quia abundè materiam subministrat ad cognoscendum Creatorem breuiter nonnullas eius proprietates hic aglomerabo: Mare quidem est congregatio aquarum ab illo secundum senten

tiam Aristotelis in Metheoris fontes, & flumina egrediuntur, ipsum verò à nullo recipit, quia quamuis flumina omnia in illud ingrediantur, sed prius ab illo egressa fuere: mare quandoque est pacificum, & nauigabile, quandoque tempestuosum, & innauigabile, sæpe periculosa est eius nauigatio, tum propter scylā, quę est saxum eminens ad quod collisæ naues naufragantur, tum propter Charybdim, quæ vorago est deglutiens nauem, tum propter Syrtim, quæ est inæqualitas fundi in mari, quia arena in cumulos inæqualiter congregata impedit transnatare: nauigatio per mare multis adminiculis indiget, prospero vento, victu, & potu, perito nauta, & alijs: mare aria producit animalia, ventos, & nubes; mare sequitur lunam; nauseam causat & vomitum, tollit appetitum vescēdi; corpora mortua a se expellit; mare est salsum, sed per industriam dulcis aqua potest extrahi ab illo vase bene obturato ex cera virginea confectum, vt tradit Aristoteles in Metheoris. Ad hæc quia inter opera Creatoris, quæ ad aquas pertinent valde mirabilia sunt flumina, quasdam eorum proprietates consideratione dignas hic adnectam. Flumen quidem ita nominatur, quia semper fluit nunquam otiatur, quia perænitatem habet in suo fluxu, flumen fæcundat circumuicina, nemini se denegat, sed indifferenter mundis, & immundis se exponit: ex flumine quantum quis vult aquæ tantundem absque precio potest haurire; quædam flumina alia sunt profunda, alia sine profunditate; aquę fluuiales sunt saniores, quædam sunt turbida, quædam clara quandoque continēt se intra albeum suum, quandoque egrediuntur, & tunc inundant, & deuastantur arbores, ac domos; omnia flumina intrant in mare, quandoq; fluentes eorum aquæ gelantur, & in glaciem vertuntur: vehendis mercibus valde deseruiunt; multum sunt vtilia, quia præter aquam tot vsibus necessariam, quā copiosè subministrant, ciuitates muniunt, illas cingentes, variaque sustinent molendina, quorum aquarum impetu rotas mouentia, grana conterunt, flumina quanto vlterius procedunt, & ab ortu suo elongantur, tanto maiora fiunt propter aquarum affluentiam; flumina nutriunt pisces, ac tandem quanto a ciuitatibus sunt remotiora tanto puriora, quia non participant fæces illarum. Multa mirabilia fecit Dominus in fluminibus, nā in veteri lege in solo Iordane hæc operatus est, corā filijs Israel; de Aegypto, & de deserto venientibus, se aperuit; ad ingressum terræ promissionis aditum eis dedit, & ad arcæ, & populi præsentiam se diuisit. In isto fluuio Naaman Syrus à lepra fuit sanatus, quando ibi septies lotus, sicut dicitur 4. Reg. 5. iste fluuius testimonium sanctitati Heliæ, & Elisei perhibuit, dum ad tactum pallij Heliæ ante eos se diuisit. 4. Reg. 2. Iste fluuius ferrum quod in fundo aquæ erat,

Aristot. *Aristot.* *Iosue 3.* *4. Reg. 5.* *4. Reg. 2.*

erat, ligno mediante subleuauit, Prophetæ quod perdiderat restau
4.Reg.6. rauit. 4.Reg.6. Præterea iste fluuius ex tactu carnis Christi vim regeneratiuam acquisiuit. Item in isto fluuio Ioanne baptizãte Christum cœli aperti sunt, & Spiritus sanctus ibidem reuelatus, sicut
Matth.3. dicitur Matth. & Luc. 3. in lege verò noua multa narrant Euange
Luc. 3. listę mirabilia à Domino patrata in fluuijs, vt de captura piscium, de vocatione quorundam Apostolorum, de Petro ambulante su-
Ioan.21. per aquas, de ventis sedatis, & alia huiusmodi.

CIRCA AEREM.

§ III.

AEr in primis multipliciter vtilis est, deseruit ad respirationem omnium animalium, & eorum vitam conseruat; oculis, auribus, & linguæ adeo pernecessarius est, vt eo deficiente quasi cęci, surdi, ac muti efficeremur, ac tandem adeo omnia animalia aere indigent, vt eo sublato omnis motus, omnes artes, imò omnia ferè opera etiam hominum cessarent, ita sanè se habet Deus respectu animæ, & diuina eius gratia, hac enim deficiente cæci, surdi, & muti efficeremur, imò & verè morimur, & nulla prorsus meritoria operatio exercer potest: corpus animalium eget continua respiratione, quoniam calor naturalis quo cor ęstuat ministerio pulmonis, aerem frigidum attrahentis, & calidum eijcientis, ita temperatur, vt vitam conseruet; non secus vt anima conseruetur spirituali vita gratiæ, indiget continua respiratione, quæ fit per orationem, & suspiria, per quæ attrahimus ipsum Spiritum sanctum, per aerem viuificantem significatum, & expellimus aerem infectum peccatorum, & terrenorum affectuum, ita quidem præstabat Dauid dum dicebat, *Os meum aperui, & attraxi spiritum*: Aer deinde medium est per quod ad oculos nostros perueniunt speties colorum, & ad aures speries sonituum. Illudque mirabile est, quod positis in aere innumerabilibus obiectis visibilibus, & totidem instrumentis sonantibus, ac cymbalis tynientibus, necnon auibus vociferantibus, in quacumque parte aeris inueniantur speties, seu imagines tot, ac tã diuersa obiecta representantes: aer eius proprietatis est, vt cũ scinditur, summa facilitate iterum continuetur, ac si diuisum nõ fuisset, adeoque vtilem se homini prebet, vt disrumpi se patiatur frequentissimè in commodum illius, videaturq; quodammodo datus in magistrum humilitatis, patientiæ, & charitatis, quæ omnia excellentiam Creatoris cum incredibili benignitate repræsentãt, sed & alias aeris proprietates accipe; aer talis naturæ est, ut nullus quo-

quocumque eat effugere illum potest, imò intra nos est, & ad interiora cordis penetrat, & nos vndique circundat, in quo mirificè representat immensitatem Dei, & Diuinam eius in omnibus præsentiã: aer subtilis est, mobilis, & facile alterabilis in varias qualitates diaphanus est, & ideo facilis ad lucẽ recipiendã, quę si deficiat, obscurus omnino redditur, aer est domiciliũ volucrum, à parte superiore contiguus est igni, a parte vero inferiori contiguus terræ: est valde sollicitus adimplendum vacua per suam substantiam, ad quod rarior redditur amittendo suam condensationem: aer quanto à terra remotior, & cœlo propinquior, tanto purior inuenitur; aer tandem leuis est, & in quadam eius parte generantur Methe rologicæ impressiones, grandines, niues, pluuiæ, & similia.

CIRCA IGNEM.

§. IV.

ADeo ignis egregia Dei imago esse perhibetur, vt in Sacra Scriptura Deus ignis nominetur, *Deus ignis consumens est.* Equidẽ ignis eius naturæ est, vt iuxta diuersitatẽ materiæ, cui applicatur omnino diuersos effectus producat, lignum continuò obsumit, aurum verò pulchrius reddit, ferrum quod natura sua nigrum, frigidum, & durum est, in lucidum, calidum, & molle commutat, nõ dissimiliter Deus noster impenitentes, & obstinatos ęternis pęnis consumit, penitentes verò ad se redeuntes, qui frigidi antea, tenebrosi, & duri erant, luce diuinarum illustrationum reddit luminosos, compunctione molles, Charitatis incendio calidos, nemo nisi solus Deus talia operari valet, generaliterque docemur, q̃ diuersa Deus operetur in pręscitis, & in p̄destinatis, in transgressoribus, & in obseruatorib diuinę legis. Similiter proprietates alię ignis sunt considerãdæ, nimirum quod res graues extenuat, & facilè sursum ferat, vim suam mirabilem attractiuam in illis manifestans: ipse in defectu solaris lucis noctem illuminat, ità vt verè dici possit, Sol noctis, sicut ille alius Sol diei: ignis omni pondere caret; est valde penetratiuus, etiam si materia sit durissima: ignis in sua sphæra non minoratur, neque crescit, neque decrescit, è contra vero extra sphęram suam, facile decrescit, & minoratur; ignis manet in multis rebus occultis: vt in saxis ex quibus collisis sæpe prodijt, ignis inter omnia elementa altiorem, & sublimiorem tenet locum: habet vim mirabilem purificandi, & purgandi mettalla, tam a terra, quam rubigine: fæcundat terras decoquit cibos, & sapidos illos reddit: cum deorsum compellitur esse violentatur: est

ad Hebr. 12

valde

valde communicatiuus, & actiuus: crescit in infinitum, nisi deficiat materia: mouet efficacissimè, vt videre est in instrumentis bellicis, per quæ globos ferreos in longissimum mittit, & arces, & ciuitates pænitus euertit: quædam vnit, alia discernit, & diuidit: ad pæne infinita artificiata deseruit, quam autem mirabilem vim habeat ad frigus expellendum, & ab eo præseruandum satis experientia notum est: tandem olim Deus dixit: *Ignis in altari meo semper ardebit*: Vt significaret in altari cordis humani semper charitatis ignem ardere debere, accidit autem, vt habetur Leuitici 10. quod quia duo filij Aaron, super illud altare ignem alienum posuerunt, igne cælesti perierunt, quo non obscurè docemur eos grauiter puniendos, qui in altari cordis, vbi diuinus Charitatis ignis ardet, apponunt ignem libidinis, cupiditatis diuitiarum, aut mundani honoris.

Leuit. 6.

Leuit. 10

CIRCA CAELOS.

§. V.

CAelum dicitur à cęlando, quia permulta bona abscondita habet ab hominum intuitu, ijs tamen præcipue abundat cælum Empyrreum, quod aula regia Dei est, & proprium Domicilium Beatorum fuit, hoc cælum valde necessarium ad complementum vniuersi, nam cum corpus infimum nempè terra, esset immobile, & oppacum, oportebat, vt supremum scilicet Empyrreum esset immobile, vt sic inter duo immobilia veluti intra duos cardines tota natura volueretur vniuersi, vt S. Basilius annotauit in Exameron. Inter cælos solum Empyreum est immobile, alia sunt mobilia, secus Deus stans semper immobilis dat cuncta moueri, non mouetur localiter, qui cum sit immensus omnem replet locum, nec mouetur motu alterationis, aut alio quocumque motu, vt enim ipse dixit Malach. 10. *Ego enim Dominus, & non mutor*: Cęlum igitur Empyreum semper quietum, & immotum, summam Dei quietem, & immutabilitatem perspicuè ostentat Cælum Empyrreum à nullo continetur, ipsum tamen sub se continet omnes cælos, omnia elementa, ac reliquas omnes creaturas, in quo præter quam emminentia Dei, qua continet omnia perspicuè satis repræsentatur infinita Dei magnitudo innotescit, quæ tantam, ac talem magnitudinem vni soli corpori potuit communicare, quia tamen hæc tanta Cæli Empyrei magnitudo, varias habet dimensiones latitudinis, longitudinis, altitudinis, & profunditatis, ex illis ascendere oportet mentem ad cognitionem diuinæ magnitudinis

S. Basil.

Malac. 3.

nis, ita enim faciendum monuit Diuus Paulus dum dicebat: *Vt possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum.* *Ad Eph. 3.* Si quis enim attentè consideret, inueniet profectò, nihil esse plenum, & solidum extra Deum, sed omnia angusta, breuia, humilia, & innania, vel superficialia: In Deo autem esse veram latitudinem, immensitatem, veram longitudinem æternitatem, veram altitudinem, naturæ sublimitatem, verum profundum sine fundo, incomprehensibilitatem, & rursus veram altitudinem, omnipotentiam, verum profundum infinitam sapientiam, veram latitudinem, plenissima viscera misericordiæ; veram longitudinem, seueram districtionem iudicij, idest plenam perfectamque iustitiam; sed ne rem tanti momenti leuiter attingam, meditari oportet in primis diuinæ essentiæ latitudinem, quæ tãta est, vt complectatur non solum perfectiones omnium rerum tam creatarum, quam possibilium creari, illasque sine aliqua imperfectione, aut limitatione: in Creaturis enim nulla illarum est bona absolutè, & simpliciter, sed cum additamento bonus equus, bona vestis, bonus homo, Deus autem est omne bonum, atque ad hoc discrimen respiciens Christus Dominus dixit: *Nemo bonus nisi vnus Deus*: *Marc. 10.* Perfectiones igitur Diuinæ, tam formaliter, quam eminenter contentæ, tot sunt, ac tam infinitæ, vt non solum sufficiant explere capacitatem humanam, & angelicam, sed etiam infinitam capacitatem ipsiusmet Dei. Considera o Anima quanto bono frueris in patria, si dilexeris Deum in via, & quanto bono priuaberis, si mandata Dei non seruaueris: est etiam latissima essentia Dei propter suam immensitatem, per quam verè, & substãtialiter vbique præsentissimus adest, & si singulis horis millia millium Mundorum crearet in omnibus illis adesset, nec solum in illis, sed in mentibus hominum, & Angelorum, & in omnibus eorum actibus, & vt vno verbo multa complectar, in omnibus quamcumque, & si minimam entitatem habentibus, quare necesse est omnia quæcumque sunt, esse repleta Gloria Dei, vnde Eccl. dixit: *Gloria Domini plenum est opus eius.* *Eccl. 42.* Deinde consideranda est longitudo essentiæ Diuinæ, eius scilicet æternitas, quæ durationis principio, & fine caret: omnis rerum duratio initium sui habuit, & quædam etiam finem habebunt, & licet Animæ, & Angeli non sint finem habituri, si placeret tamen Creatori suspendere concursum suum conseruatiuum, continuo in nihilum redigerentur. Inter æternitatem verò animæ, & Creatoris tui, duplex illud magnum interest discrimen, quod æternitas naturæ diuinæ, est æternitas per essentiam, animæ vero per gratuitam participationem ab illa, deinde quod æternitas Dei immutabilis est, quamuis enim Deus Mun-

Q dum

dum regat, in quo est penè infinita vicissitudo mutationum in omnibus creaturis, ipse tamen semper permanet in perpetua quiete, altissima pace fruens, nec est aliquid, quod comprehensiuam contemplationem sui ipsius, in qua sunt eius deliciæ sempiternæ perturbare possit, animæ vero æternitas non reddit illam immutabilem, quia præterquam, quod à corpore separata varijs cogitationũ, & affectuum mutationibus moueri poterit, certè dum est in corpore facilè mutatur de vitio ad virtutem, & ideo instanter precari debet Creatorem suum ne permittat tale genus mutationis in illa, sed quod imitetur eius stabilitatem in bono, in eo tamen nulla erit in anima mutatio, quod in eo statu in quo inuenta fuerit, in exitu à corpore in eodem iudicabitur, vel ad regnandum, & congaudendum in æternum cum Deo, vel ad tormenta æterna patienda cum Diabolo; Præterea consideranda est sublimitas Dei, ratione cuius ei dicimus tu solus Altissimus: hæc non est pensanda secundum locum, licet alioquin Deus in altissimis habitet, vt infra dicemus, sed secundum dignitatem, & nobilitatem suæ naturæ: equidem cum res tanto nobiliores, & dignitate altiores esse iudicentur, quanto sunt à materia magis abstractæ, & in se puriores, altior enim est intellectus, quam sensus, cum hic organo corporali vtatur ille vero non, & intellectus Angelicus sublimior est humano, cum iste egeat ministerio imaginationis, & phantasmatum, quo ille opus non habet, & inter Angelos illi sunt sublimiores, & altiores dignitate naturæ, qui per pauciores species intelligunt plura, cum ergo solus Deus sit purissimus actus, & nulla re indigeat extra se, neque organo, neque imaginatione, neque spetie, manifestè conuincitur naturam eius esse sublimissimã omnium, nec parem habere posse; verum neque hoc solummodo Deus est altissimus, sed & quia est prima causa omnium rerum infra se habens omnes alias causas, quæ tantam ab eo habent dependentiam, quæ nisi ab ipso reciperent virtutem operandi, nihil prorsus agerent, immo si post receptam virtutem eas non moueret ad operandum, & cum ijsdem concurreret ad suas operationes, nihil prorsus efficerent, non solum autem est prima causa efficiens, sed & exemplaris, & finalis, quia & quęcumque fecit operatus est secundum diuinas Idæas, quas in mente habet, & quia propter se, hoc est ad manife-
Prou.16 standam Gloriam suam omnia creauit, vt dixit Sapiens in Prouerbijs: ad hanc autem intrinsecam sublimitatem, & altitudinem Dei
Isa.6. consequitur, vt sedeat in altissimo Trhono Isaia dicente: *Vidi Deum super solium excelsum, & eleuatum*: Certè suprema sedes debetur Regibus, & Dominis, ipse autem est: *Rex Regum, & Dominus Dominan-*
Apoc.19 *tium*: vt dixit Diuus Ioannes. Deus autem Iudex est viuorum, &

mor-

mortuorum, vt fides Catholica docet in Symbolo Nycenno. Sed iam veniamus ad meditandam profunditatem essentiæ Diuinæ: si daremus fodinam, aut minerale auri, vsque adeo profundum, vt nunquam fodiendo exhauriri posset, certè eam ingentem profunditatem iudicaremus, non secus essentia diuina adeo incomprehensibilis est, vt magnitudinis, & excellentiæ eius, nullus prorsus sit finis, nec enim à mente creata ita perfectè cognosci potest, vt omnem eius cognoscibilitatem exhauriat, & fundum illius attingat, solus intellectus Dei, qui infinita virtute intelligendi pollet, comprehēdit profundum illius: est etiam alia profunditas in Deo, nempè eius inuisibilitas, vt enim dixit Dauid: *Tu es Deus absconditus*. Tantoque res minus videntur ab oculis nostris, quanto profundiores sunt: dicitur autem Deus inuisibilis, quia per facultatem naturæ videri non potest, sed solo lumine gloriæ. *Sym. Nycenno.*

Adhæc quadruplex illa mensura altitudinis, profunditatis, latitudinis, & longitudinis, non solum inuenitur in essentia diuina, sed etiam in diuinis attributis, etenim si mens contempletur Omnipotentiam Dei inueni, & tantam esse eius latitudinem, vt non solum se extendat ad omnia hucusque producta a minimo athomo vsque ad supremum Seraphinum, Ioanne dicente: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*. Sed etiam ad omnia quæ per totam æternitatem fient, ac tandem ad omnia possibilia, nec non ad anihilationem omnium rerum, quas sicut vno verbo creauit, vno solo verbo, summa facilitate in nihilum redigere potest: Longitudo deinde potentiæ diuinæ in eo elucet, quod Creaturas continuo conseruet, & cum omnibus, & singulis, ita semper cooperetur, ac si solum cum hac sola cooperaretur, & cum per tam lōgam durationem operetur, nulla tamen ratione eius potentia defatigatur, aut debilitatur: altitudo vero diuinæ potentiæ in duobus præcipue cernitur, quod solus ipse sine adminiculo, aut cooperatione Creaturarum, res omnium altissimas, tam loco, quam dignitate fecerit cælos scilicet Planetas, & Stellas, Angelos, & Animas hominum, & quod etiam penè innumera myracula patrauit, quæ superant omnem facultatem naturæ inter quæ præcipua sunt vnio hyppostatica cum verbo diuino, & existentia realis corporis Christi in Sacramento, cum alijs penè infinitis, quæ fides Catholica docet per Christum, & Sanctos a Deo facta: Profunditas autem diuinæ omnipotentiæ in modo consistit, quo Deus creaturas producit tum creans ex nihilo, cum alioquin Philosophi tanquam primum principium statuerint ex nihilo nihil fieri: Tum conuertens vnam substantiam in aliam, vt cum conuertit Vxorem Loth in statuam Salis, aquam fluminis in sanguinem, aquam *Ioan. 1.* *Gen. 19.* *Exod. 1.*

Ioan.2. in vinum, panem, & vinum in carnem, & sanguinem: quo-
Matt.26 modo hæc fiant abyssus profundissima est, quam comprehendere non valet mens creata, & quidem illud mirabile est ad commendationem profunditatis diuinæ omnipotentiæ, quod hanc magnam fabricam orbis myracula vniuersa tam naturæ, quam gratiæ, solo voluntatis imperio effecerit, sola interna voluntate, quæ extra volentem non est egressa, opera tam immensa, ac tam varia effecit, idque breuissima momenti duratione, cum alioquin omnes aliæ causæ longo tempore egeant ad perficienda sua opera, vt experientia constat tam in rebus naturalibus, quam in rebus artificialibus, ex quibus omnibus facilè colliget anima, quam permultum ei conferat Deum habere placatum, & amicū, nam si hostem iratum illum habeat, subito omnipotentia sua omnibus bonis illum expoliare potest tam naturalibus, quam supranaturalibus, & in infernum in æternum detrudere, nec vllus est, qui
Ad Heb. 10. possit ei resistere, vel ab eo fugere, ad quod respiciens D. Paulus dixit, *Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.* E contra vero, si placatum, & amicum habeas Deum præterquam in vita præsenti, protector tuus erit, in æterna te fęlicissimum faciet, gloriæque suæ participem.

Eodem persimili modo ex magnitudine corporali cęli Empyrei ascendere potest mens ad magnitudinem sapiētiæ diuinæ; equidem latitudo eius adeo se extendit, vt & Deum ipsum, & omnes Creaturas, à vermiculo vsque ad supremum Angelum perfectissimè agnoscat, non solum comprehendendo earum substantias, sed proprietates, & affectiones, & omnem aptitudinem, seu potentiam obedientialem, quam habēt vt ex illis, & per illas faciat Creator, quicquid sibi libuerit: cognoscit etiam omnes earum actiones quantumuis in corde occultas, ex cuius rei consideratione sollicita debet esse anima, ne quidpiam agat, aut cogitet, quod displiceat oculis eius, aut indignum sit in conspectu diuinæ maiestatis apparere.

Longitudo vero sapientiæ in cognitione futurorum se ostētat, hęc enim ita in longum se protendit, vt omnia, quę in tempore, & quę per totam ęternitatem futura sunt ab ęterno clarè videat id,
Psal.130. quod sibi volunt verba Dauidis, *Intellexisti cogitationes meas de longe.* & illa alia, *Tu cognouisti omnia nouissima, & antiqua*, idest omnia futura, & omnia pręterita.

Iam verò altitudo diuinę Sapientię in tribus præcipuè se manifestat, tum primo quo ad proportionatum eius obiectum sit Deus ipse, secundum omnem; & adæquatam suam cognoscibilitatem, tum secundo, nam si quo Angeli speciebus vtantur vniuersalioribus,

bus,& paucioribus,eo altiorem ſcientiam habere dicuntur, apertè conuincitur infinitam eſſe altitudinem ſapientiæ Dei,cum non alia ſpecie vtatur quàm vna,quæ eſt propria eius eſſentia ad cognitionem tam ſuæ,quàm omnium rerum creatarum,& creabilium: tum quia illa cenſetur nobilior, atque altior ſcientia,quæ paucioribus actibus plura penetrat,Deus autem vnico ſolum actu intellectus,tam ſe,quàm reliqua omnia comprehendit; reuertere anima ſi ſapis ad conſiderationem exiguitatis tuæ ſcientiæ, quæ mille diſcurſibus,non dum res aliquas perfectè agnoſcis: ſpera vero, & gaude futurum eſſe, vt ſcientiam illam increatam Dei participes, qua vnico actu viſionis beatificæ eodem ſemper permanente, Deum videas, & per multa alia cum ipſo: nunc humilia intellectum ad fidem obſcuram, vt exalteris ad viſionem Dei claram. Tandem profunditas diuinæ ſcientiæ, ac ſapientiæ in prouidentia conſiſtit in prędeſtinatione & iudicijs Dei,quia vt dixit Dauid: *Iudicia tua abyſſus multa.* *Pſal.* 35. Quod enim pauci ſint prædeſtinati,multi reprobi, quos Deus tot animas creet, quas certè agnoſcit perituras, quod ita proſperet res Turcarum, quod permittat tot hæreſes, tot mala fieri,cum alioquin facilè omnia illa vitare poſſit,ad inſcrutabilia iudicia Dei pertinet, & profunditatem ſcientiæ practicę Dei, manifeſtè ſpectat:ex quorum omnium conſideratione excitari debet anima,tum ad reuerendum,& colendum incomprehenſibilia Dei Iudicia, tum ad ſatagendum, vt certam faciat per bona opera vocationem ſuam, vt D. Petrus monet. itaque animæ hæc cura debet eſſe, *1. Petri.* vt declinet à malo, & faciat bonum, quare autem tot mala permittat Deus, iudicio illius relinquat,in quo certiſſimum eſt, iniquitatem cadere non poſſe.

Verum ad magnitudinem diuinæ Miſericordiæ nos conuertentes,latitudo illius in eo ſita eſt, quod omnes miſerias à nobis fugare poteſt,non ſolum corporales,vt famis,ſitis, & dolorum, & ſimilium,& quod excellentius eſt,etiam ſpirituales,vt cæcitatem mentis, conſcientiam erroneam, maculas peccatorum, habitus vitiorum,propenſionem in malum, ardorem concupiſcentiæ, pronitatem in res caducas,& temporales,inſidias Diaboli, & ſimilia,quod ſi Deus cum poſſit non omnes miſerias tollat à nobis, & maxime ab ijs, qui cupiunt ei placere, ſæpe procedit ex ſpeciali miſericordia eius, dum id facit, vt maiori miſericordiæ præparetur locus; longitudinem autem diuinæ miſericordiæ Dei, quis non videat longanimitatem eius eſſe, ſiue patientiam: hanc exercet Deus erga peccatores, aliquando ab initio pueritiæ vſque ad extremam ſenectutem tolerans violationem legis ſuæ, & lacerationem nominis ſui, & interim benefaciens eis, de cęlo dans pluuias, &

tem-

tempora fructifera replēs eos multis bonis, vt loquitur Apostolus: quis est inter homines Dn̄s, aut parens tam mitis, & facilis, qui si videat se contemni, & iniurijs affici à seruo, vel à filio, & longo tp̄e in hac puersitate eos pseuerare, qui tādē nō eos expellat de domo sua? At misericordia Dei nō vincitur à malitia hoīum, sed patienter agit, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti,
Sap. 11. vt S. Petrus affirmat in Epistola sua, & sapiens inquit, *Misereris omnium Domine dissimulans peccata propter pænitentiam.* Splendet etiā longanimitas diuinæ misericordiæ circa ingratos, qui cum à Deo fuerint misericorditer iustificati, iterum ad vomitum redeunt, & Deum suum deserentes, iterum cum turpitudine peccati Deum ipsum commutant & nihilominus illos inuitat ad veniam ab eo recipiendam, & si ex corde ad Deum conuertantur, tanquam filij prodigi à misericordiosissimo Patre recipiuntur ad osculum pacis, & ad vberiorem gratiam, quam antea possidebant. Deinde altitudo misericordiæ desumitur à causa mouente Deum, etenim homo sæpe miseretur alterius, quia indiget opera illius, ad eū certe modum miseretur canis, aut equi, quo opus habet: homo sæpe miseretur ratione consanguinitatis, vel amicitiæ, vel certè, quia proximus est, hoc est homo vt ipse; Deus autem miseretur nostri propter suam infinitam bonitatem impellentem illum ad se communicandum; erige ergo nunc anima oculos tuos ad fontem illum altissimum misericordiæ Dei tui, qui nullo proprij commodi intentione, sed propter suam bonitatem, misericordiam suam in te multipliciter fundit. Restat tandem profunditas diuinæ misericordiæ consideranda, quæ in operibus suis mirabiliter se manifestat, superficialis illa misericordia est, quæ ad sola verba se extendit, illa profundior, quæ non verbis tantum consolatorijs, sed etiam beneficijs miseros subleuat, & reficit. Illa profundissima, quę non solū loquendo, & donando, sed etiam patiendo, & labores, ac dolores subeundo miserabiles iuuat. Iam Deus noster, cuius misericordiæ non est numerus, omnibus modis misertus est nobis, etenim in primis literas consolatorias ad nos misit, quæ sunt scripturæ diui-
1. Macab. c. 12. næ, de quibus dicunt Machabæi, *Habemus solatium sanctos libros, qui sunt in manibus nostris.* Nec solis litteris, sed etiam sermonibus Prædicatorum, qui funguntur legatione pro Christo ad nostram peregrinationem, & inspirationibus internis ad nos loquitur Deus.

Deinde beneficia misericordię Dei contra multiplices miserias nostras, tum spirituales, tum temporales, tam multa sunt, vt numerari non possint, vbique enim coronat nos in misericordia, & miserationibus, idest vndique circundat nos beneficijs misericordiæ suæ. Tertiò descendit misericordia Dei per mysterium incarna-

tionis

tionis ad labores,& dolores,ad famem,& sitim, ad ignominiam,& opprobria,ad liuores,& vulnera,ad crucem, & mortem,vt nos redimeret ab omni iniquitate, & à sempiterna morte, quæ iniquitati debebatur.

Venio denique ad magnitudinem diuinæ Iustitiæ, in qua etiam relucet multiplex illa dimensio magnitudinis corporalis, etenim latitudo diuinæ iustitiæ tanta est, vt se extendat non solum ad Angelos,& homines,sed ad animalia,immo & ad innanimata, conferens singulis qualitates,& proprietates,iuxta exigentiam suæ naturæ,hoc enim non obscurè significauit Moyses. Nam vbi nostra vulgata legit, *Deus creauit cælum,& terram*, originale Hebræum dixit *Eloin*,(quod nomen est Iudicis) *creauit cęlum,& terram.* Longitudo autem Iustitiæ Dei in eo se manifestat,quod non solum protēditur ad præmianda,& castiganda bona,& mala verba, sed bonas, & malas cogitationes,& affectiones cordis.

Altitudo verò Iustitiæ Dei cernitur in eo, quod ostentationem suæ Iustitię,pene innumeros Angelos,& homines permisit desinere ab vltimo fine,antequam vel quidquam mali,uel boni agerent. Profunditas tandem diuinæ Iustitiæ in eo præcipuè sita est, quod minimum opus bonum elicitum,vel imperatum a charitate præmio vitæ æternę remunerat,quodlibet autem peccatum mortale, etiam sola cogitatione, & interno consensu commissum,æterna pœna damni,& sensus punit,quæ duo stimulare debent animam, tum ad bona opera exercenda,tum ad peccata vitāda, vt Iustitiam Dei mereatur habere remunerationem bonorum, & non vindicem malorum.

Hucusque considerauimus Cęlum Empyreum,qui semper perseuerat immotus,ex cuius magnitudine, & proprietatibus ostendimus,quomodo per illas mens nostra diuino auxilio suffulta ascendere possit ad cognitionem Creatoris: nunc idem nobis factitādū est de alijs cęlis,qui continuo mouētur. Hi præter proprium vnius cuiuscumque motum mouentur ad motum primi mobilis absq; reluctamine,& summa obedientia: hoc nobis ante oculos ponit efficaciam primi motoris ad rapiendos animos ad se, necnon, & obedientiam,quam ei præstare debemus, sinentes nos ferri quocumque diuina volūtas nos duxerit;ac tādem ostendit duo genera motus in nobis inueniri,quosdam proprios,cuiusmodi sunt omnes actus peccaminosi,hi enim in quantum tales, non sunt à Deo, sed solum à libero arbitrio,alij verò motus sunt boni,& supernaturales in quos impossibile est prorumpere, nisi prius moti a Deo, quia omne bonum de sursum est: illud tamen discrimen interest inter cęlos, & nos, quod cum diuina prouidentia sit sapientissima,

&

& vnumquodque agere sinat secundum exigentiam suæ naturę, certè cæli, quia agentia sunt naturalia, naturaliter mouentur ad motum primi mobilis, voluntas autem creata, quia libera est, & domina suarum actionum, liberè ad suas mouetur actiones, & nulla necessitate compellente efficaci Dei motioni paret, in quo mirabiliter splendet summa Dei omnipotentia, ac supremum dominium, quod habet super voluntate non tantum, vt natura est, sed vt libera: Cælum etiam secundum partes mutat locum, nunquam tamen secundum se totum mutat situm, sed in eodem velut in cardine semper perseuerans mouetur: cælum est incorruptibile, nec enim habet contrarium à quo destrui possit, & licet ipsum non sit generabile, est tamen principium omnis generationis, cælum est clarum, rotundum, diaphanum, magnitudine admirabile, & nonnulli existimarunt causare armonicam suauitatem: cælum multa bona influit in hæc inferiora: à nullo tamen inferiorum quidpiam accipit, habet altitudinem præminentem, ingentem fortitudinem, & stabilitatem, euiternam durationem, pulchritudinem tam in se, quam ex varijs stellis in eo corruscantibus mutuatam.

CIRCA SOLEM.

§. VI.

IN primis Sol pulcherrimus est, eiusque pulchritudo excellentior longè est omnium rerum inferiorum pulchritudine, cum hæc breuiter marcescant: Solis verò pulchritudo inextinguibilis sit, ex quibus facilè mens nostra ascendere potest, tam ad infinitam Dei pulchritudinem, quam ad infinitum excessum super omnem pulchritudinem creatam, vt hinc illam super omnia diligamus: hanc vero vilipendamus, & detestemur, vt potè nobis valde nociuam; Sol cum oritur non solum exhilarat, sed & flores aperit, & consternatas herbas exurgere facit, & auiculas ad suauem cantum excitat: hæc omnia quam mirabiliter Deus Sol iustitiæ operetur in anima, in qua spiritualiter nascitur, satis meditatione digna sunt: sicut autem Sol cum oritur alacritate ingerit, ita occasus eius męstitiam, quibus sanè fælicitas Beatorum, & infælicitas descendentium in Infernum mihi repræsentatur, cum enim Sol oritur per lumen gloriæ in mentibus iustorum, tunc indicibili gloriæ lætitia afficiuntur, è contra vero cum Sol in morte occidit peccatoribus sanè occasus illius ingentem mærorem, & tristitiam illis infert, certò agnoscentes in æternum fore cruciandos: Sol adeo velox est, vt mi-

mirum in modum excedat auium, saggitarum, & ventorum motum, adeo certè velox, vt viginti quattuor horis percurrat totum ambitum sui orbis, ambitus autem cuiuscumque orbis penè infinita magnitudine superat terram, cum alioquin hæc circiter viginti millia miliariorum complectatur, ex quo euidenter colligitur Solem singulis horis multa millia milliariorum currendo conficere immo singulis quadrantis, ac singulis horarum particulis: adde ijs, quod cum alioquin Sol sit tantæ molis, & tantæ velocitatis absque vlla intermissione, vel fatigatione id præstet, id quod mirifice conditoris potentiam commendare, non est qui non videat pariter, & admiretur. Sol virtutem habet attractiuam, vapores enim puros attrahit sursum, & ipsos postea per pluuias emittere consueuit: duo præcipue in Sole sunt nobis occulta, magnitudo eius, & motus, etenim cum sit longè maior terra, nostris tamen sensibus eius magnitudo non innotescit: insuper etiam motus eius a nobis non sentitur: non secus duo præcipue inter alia de Deo nostro nobis incognita sunt, scilicet magnitudo infinitæ suæ essentiæ, quam solus ipse comprehendit, & motus suæ sapientissimæ prouidentiæ, cum omnes nos occulta Dei iudicia lateant. Vnde Iob dixit: *Magnus Dominus, & uincens scientiam nostram.* Iob 36. Sol semper est fulgens, terminos Zodiaci nunquam transgreditur, neque vmquam retrogrède mouetur in Cælis. Sol est efficacissimus, illuminando, & calefaciendo, ac fæcundando, etenim in medio mundi positus omnes cælos, omnia sydera, omnem aerem, omnia maria, omnem terram collustrat, & calore suo vifico, omnia germina, omnes segetes, omnes arbores virere, ac fructus maturescere facit, immo per abscondita viscera terræ virtutem suam diffundit, omnis generis mettalla producit, quæ omnia mirifica Dei beneficia in peccatores, & iustos collata, apertissimè manifestant: illud vero maximum discrimen interest inter Solem materialem, & Deum solem iustitiæ, quod ille, vt totum mundum illuminet, & sine calore foueat, opus habet mouere localiter, Deus autem, cum vbique sit totus, transmutatione non indiget: Sol etiam hic corporeus quibusdam diē facit in hoc emispherio, quibusdam autem in alio noctem causat per suam absentiam, Deus autem a nulla suarum creaturarum, quandiu illas conseruat abesse potest: Sol deinde sæpe nubibus velatur, quandoque rubricatus apparet, aliquando ecclypsatur, frequenter fulgentissimum se ostendit, quibus profecto delineare mihi videntur Christi mysteria quattuor. Deus enim in Incarnatione, nouæ carnis nube fuit velatus, in Circuncisione purpureo sāguine rubricatus, in morte ecclypsatus, in Resurrectione gloriæ, & splendore refulgens: tandem Sol pater est luminum corpora-

lium, Deus etiam spiritualium, præcipue tamen luminis increati, qui est eius filius, iuxta illud Concilij Nyceni: *Lumen de lumine Deum verum de Deo vero*. Sol medium tenet inter planetas: Sol grandior est quam apparet, etenim quamuis palmaris videatur, septies, & septuagies maior est terra, vt Tholomeus docuit: Sol Pastores dormientes excitat, ortus eius ad iter arripiendum sollicitat: Sol oritur super bonos, & malos: Sol Horologgium est Mundi: Cælum secundum Isidorum dicitur: Quasi *Sol lucens*, & quod sit fons totius luminis, & incapax tenebrarum: Sol omnibus cæli illuminantibus maior est quantitate, dignitate, potestate, & virtute: Sol vt ait D. Ambrosius in Exameron, est oculus mundi, iucunditas diei, pulchritudo cæli, mensura temporum, virtus, & vigor omnium nascentium decor, Stellarum, Rex, & Dominus Planetarum: Sol secundum D. Dyonisium de diuinis nominibus renouat, nutrit, custodit, perficit, refouet, fæcundat, auget, mutat, collocat, plantat, & viuificat: Tantæ excellentiæ Sol esse perhibetur, vt Dauid dicat: Deum in Sole posuisse tabernaculum suum, etenim licet Deus impleat cælum, & terram, tamen, quia ibi magis habitare dicitur, vbi mirabiliora operando suam potentiam manifestat, idcirco in Sole dixit Deum constituisse tabernaculum suum.

Cõcilium Nycen. — *Isidor.* — *D. Amb.* — *D. Dyon.* — *Psal. 12.*

CIRCA LVNAM.

§. VII.

LVnæ mirabiles sunt proprietates, duæ tamen præcipuæ dignæ sunt meditatione; prior est, quod quo magis propinquat ad Solem, eo magis illustratur in parte superiore, qua respicit cælum, & obscuratur in parte inferiore, qua respicit terram; quando est omninò subiecta Soli, & cum eo omninò coniuncta tunc tota est lucida versus cælum, & obscura versus terram: è contra cum est opposita Soli, tota illustris cernitur ab ijs, qui terram incolunt, & nihil lucis habet in parte superiore, quam intuentur, qui incolunt cælum. Hæc Lunæ proprietas magnum esse potest documentum, vel exemplum mortalibus, vt intelligant, quam solliciti esse debeant propinquitatis, & subiectionis, & coniunctionis ad verum Patrem luminum Deum: Luna significat hominem, Sol Deum, quando Luna est opposita Soli, tunc lumine mutuato à Sole respicit solam terram, & terga quodam modo vertit cælo; vnde etiam tunc pulcherrima apparet habitantibus in terra, sed deformissima habitantibus in cælo; sic omninò mortales, quando longissimè recedunt a Deo, vt filius ille prodigus, quando recessit a Patre, & abijt

Luca 15.

abijt in regionem longinquam, tunc abutuntur lumine rationis, quod a Patre luminum acceperunt, & obliti Dei solam terram cogitant, solam terram amant, & in eis bonis adipiscendis toti occupantur, & tunc à filijs huius sæculi sapientes, & Beati prædicantur, sed ab ijs, qui degunt in cælo, pauperes, & nudi, & cæci, & deformes, & miseri, & miserabiles iudicantur; contra verò Luna cum Sole coniuncta illi perfectè subijcitur, tota lucet ex parte superiore, & cælum solum respicit, terræ vero terga quodammodo vertit, & ab humanis oculis penitus euanescit. Sic omninò cum impius ad pietatem reuertitur, & per conuersionem perfectam, Deo vero animarum Soli subijcitur, & illi coniungitur, tunc adimplet, quod Apostolus monet, vt quæ sursum sunt quærat, vbi Christus est in dextera Dei, & quæ sursum sunt sapiat, non quæ super terram, & tunc ab insipientibus contemnatur, & quasi mortuus reputetur, verè enim qui talis est Mundo mortuus est, & vita eius abscondita est cum Christo in Deo. Sed cum apparuerit Christus vita eius, tunc, & ipse apparebit cum Christo in gloria, vt idem Apostolus eodem loco subiungit.

Luna præest nocti, sicut Sol diei: Luna nunc magno lumine, nunc exiguo noctem illuminat, aliquando etiam nullo lumine noctis tenebras consolatur; sic Deus Beatos semper illuminat, & lætificat, viatores verò aliquando visitat, & illuminat, aliquando in tenebris desolationis relinquit, Luna, quam velociter ad coniunctionem cum Sole accedit, tam velociter a coniunctione recedit, tu autem si sapis acceptam semel gratiam noli deserere, nec enim certò scis, an iterum reuerti dabitur postquam ab eo discesseris. Tandem Luna est pulcherrima post Solem, decor noctis, mater roris, æmulatrix Solis, humoris ministra, sine quo terra fructum suum dare non potest, nec plantæ, & animalia viuere, Luna est dominatrix maris, causat in eo fluxum, & refluxum, lumen habet à Sole, non a se, cum crescit augmentat humida, cum decrescit minuit illa, quando interponitur inter nos, & Solem, causat Eclypsim Solis, & in Mundo obscuritatem, lucerna est viatoribus in media noctis caligine.

CIRCA STELLAS.

§. VIII.

STellas vocat Salomon ornamenta cælorum dum ait: *Species cæli, gloria Stellarum*: sed addit continuò: *Mundum illuminans in excelsis Dominus*: Quicquid enim decoris habent Stellæ, vt etiam *Eccl. 43.*

Sol, & Luna, totum à Patre luminum est, & non Sol per diem, nec Luna, ac Stellæ per noctem mundum illuminant, sed Dominus est, qui excelsis habitans, per Solem, & Lunam, & Stellas mun-
Baruc.3. dum illuminat. Ipse est enim, qui vt loquitur Prophæta Baruch: *Emmittit lumen, & uadit, & uocauit illud, & obedit illi cum tremore. Stellæ autem dederunt lumen in custodijs suis, & lætatæ sunt, uocatæ sunt, & dixerunt, adsumus, & luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas.* Quibus verbis significatur infinita potentia Dei, quæ incredibili facilitate, corpora tam vasta, & tam formosa momento producit, & ornat, & o-
Rom. 4. perari facit. Quod nobis est vocare, Deo est verbo creare, vocat enim ea, quæ non sunt, & vocando facit, vt sint, & stellis dicere: *Adsumus*, nihil est aliud, nisi continuo ad vocem imperrantis existere, & operari, lucere autem cum iucunditate ei, qui fecit illas, est ita promptè, & facilè obedire factori, ac si in obediendo, magna iucunditate, & gaudio afficerentur. Sed illud est omninò admirabile in Stellis, quod cum velocissimè moueantur, & numquam a cursu illo cessent, & aliæ tardius, aliæ celerius currant in orbem, tamen semper modum suum, & proportionem cum alijs ita seruant, vt inde concentus harmonicus, isque suauissimus, oriatur. De hoc concentu loquitur Deus in libro Iob, cum dicit: *Quis enarrabit cælorum rationem, & concentum, cæli quis dormire faciet?* Non est iste concentus vocum, aut sonorum, qui auribus corporis percipiatur, sed concentus proportionum in motibus syderum, qui cordis aure sentitur. Si quidem Stellæ firmamenti omnes simul eadem velocitate viginti quattuor horis totum cæli ambitum percurrunt; septem verò sydera, quæ planetæ siue errantia sydera dicuntur, varijs motibus, alia velocius, alia tardius incitantur, vt videantur Stellæ firmamenti Bassum imitari (vt vulgaribus nominibus vtamur) et planetæ quasi contra punctum perpetuum, suauissimum facere. Sed hæc supra nos sunt, & illis tantum iste concentus sonat, qui in cælo positi rationem motuum istorum intelligunt. Et quoniam Stellæ seruata proportione semper in orbem se conuertendo non fatigantur, videntur instar Virginum honestarum, & saltandi peritarum, in cælo semper choræas iucundissimas agere. Sed tu, Anima mea paulo altius ascende si potes, & a splendore maximo Solis, a pulchritudine Lunæ, a multitudine, & varietate luminum reliquorum, ab admirabili concentu cælorum, & a choreis iucundissimis Stellarum, cogita, quod erit supra cælum videre Deum, Solem videlicet, qui lucem habitat inaccessibilem, intueri Virginem illam, cæli Reginam, quæ pulchra, vt Luna, totam lætificat ciuitatem Dei, aspicere Choros, & ordines multorum millium Angelorum, qui Stellis omnibus plures, & luci-

lucidiores cælum cæli exornant, cernere animas Sanctorum hominum, Choris Angelorum insertas, quasi Planetas stellis firmamẽti admixtos, & quid erit cantica laudum audire, & illud perenne Alleluia consonis vocibus in plateis ciuitatis illius dulcissimè resonare. Sic enim fiet, vt nec ipsa cæli pulchritudo tibi magna videatur, & quæ infra cęlum sunt omninò perexigua, & penè nulla, ac per hoc contemnenda iudicentur.

Tandem hę Stellæ taliter adhęrent, & radicantnr in cęlo, quod nunquam euelli possunt ab eo: talis naturæ sunt, vt non nisi in cęlo residere possunt, habent facilem naturam penetrabilem à radijs Solis.

Stellæ sunt solidæ, splendidæ, & figuræ sphericæ sunt purissimæ altissimæ, re ipsa quantitatis maximę, quo ad apparentiam verò minimæ: numero penè infinita, actiuitate, & virtute mirabiles, quã per diuersos influxus in hac inferiora quotidie exercent.

Circa Creaturas animatas, tam insensibiles, quàm sensibiles. Caput II.

DE PLANETIS, ET ARBORIBVS.

§. I.

CVM arborum, & plantarum penè innumera sint genera, solum hic apponam, quæ omnibus illis sunt communia, ad quem modum vnusquisque poterit singulorum proprietates, & qualitates singulares meditari, vt ex illis ascendat ad cognitionem Creatoris, omnes arbores, & plantæ in hoc valde superant etiam ipsos cęlos, quod cæli vita carent, arbores verò vita gaudent, vegetatiua, per quam & viuunt, nutriuntur, ac crescunt, frondes proferunt, flores emittunt, ac fructus producunt, quibus omnibus carent, cum vita priuantur. Arbores ex semine in terram iacto generantur, oportet autem, vt semen moriatur, & putrescat, vt fiat arbor, & mirabile est, quod ex semine adeo exiguo cuiusmodi est pini, tam procera arbor prodeat; quidam arbores sunt syluestres, quibus inutilis est cultura, alij ea indigent, vt producant suos fructus, arbores vt diu conseruent vitam oportet radicatos esse in terra, vnde si ab illa euellantur producere desinunt suos fructus, sæpe destinantur ad ignem; arbores indigent pluuia, & cælesti influxu, tum dum viuunt vita vegetatiua, tum vt fructus suos producere valeant; permultum etiam interest

restad fructificandum, vt terra in qua sunt consitæ, sit fæcunda, ac solaribus radijs calefiant; arbores vt fructificent oportet suo tempore putari; quædam arbores non ferunt nisi frondes aspectui delectabiles: fructum verò nullum; alij verò sunt permultum fructiferi, & valde vtiles, non solum ad cibandum, sed ad medicandum; quædam arbores causant vmbram salutiferam, aliç verò nociuam: Arbores præbent copiosam materiam, vt ex eis, & Imagines sãctæ fiant, & Idola execrabilia, sunt humanis vsibus valde vtiles, hũc honorem Deus arboribus contulit, vt ex eorum natura prodiret lignum salutiferum Dominicç Crucis, in quo precium nostræ Redemptionis pependit, hæc & similia si attenta mente perpendantur, multiplicem materiam subministrant ad cognitionem creatoris, & ad varia documenta ex eis decerpenda in nostram spiritualem instructionem.

DE BRVTIS ANIMANTIBVS.

§. II.

SAnè si singularum specierum animalium proprietates in medium producere tentarem, rem impossibilem agrederer, cum & multæ illarũ sint ignotæ, & numero pene infinitç; Quare solũ illas referam, quæ omnibus animalibus sunt communes, ex quibus facilè quisq; colliget quomodo ex particularibus proprietatibus animalium sibi cognitis ascendere poterit ad cognitionem sui Creatoris, vt ex fortitudine leonis, ex prudentia serpentis, ex fidelitate canis, ex amore gallinæ, ex fraudolentia vulpis; equidem animalia ad tria genera reducuntur ad volatilia in aere, ad natalitia in aqua, ad gressibilia, & rectibilia in terra, animalia indigent nutrimẽto ad suam conseruationem, vt per illud restaurent, quidquid natiuus calor de substantia eorum sumit, quædam cibum quærunt in die sicut oues, quædam nocte sicut lupi, quædã syluestria vt vulpis, capri, & cerui, alia domestica vt canes, equi, & similia, sæpe tamen quædam illorum quantumuis syluestria, & ferocia, vsu, & industria domesticantur, animalia potentia gaudẽt imaginatiua, & memoria recordantur beneficiorum, & iniuriarum: Animalia generant sibi simile, aliquando verò dissimile monstruum, habent vultũ inclinatum ad terram tamquam ad suum principiũ originale, & finem ad quem reuersura sunt; è contra homo habet illum erectum sursum quasi respiciens Deum tãquam primum principium, & finem suum; animalia indigent somno, & quiete, quædam illorum sunt ad varios vsus multum hominib.

vti-

vtilia, vtimur eorum carnibus in cibum, lacte in potum, pelle in calceos, lana in vestimentum, aliis ad onera portanda, & vt ab illis vehamur: quædam verò animalia sunt hominibus valde nociua, quædam etiam videntur data in magisterium hominum vt formicæ, apes, & alia plura, in quibus mirabile, ac valde laudabiles proprietates experimur, vt in leone fortitudinem, in aquila generositatem, in serpente prudentiam, in columba simplicitatem, in agno mansuetudinem, in iumento patientiam, in cane fidelitatem, & sic de aliis.

Multa animalia augurantur mutationes temporum, & certis temporibus mutant loca quærentes sibi salubriora, vnde quod illis deficit rationis, & discursus, idque supplet Deus per instincta, quæ eis præbet, mouendo illa ad operationes, ad quas si ratione prædita essent, se ipsa mouerent; habent singulæ species animaliū diuersos cibos suæ naturæ proportionatos: agnoscunt vtiles, & nocinos, illis vtuntur, hos respuunt; animalia singula prædita sūt facultate, & industria ad quærendum suum victum, veste non indigent, quia cōditor illorum naturali vestiuit indumento, vel laneo, vel plumeo, vel certè dura pelle, aut solida schama. Animalia certis morbis aliquando vexantur, ad quos curandos instinctum eis dedit author naturæ ad cognoscendas, & sumēdas herbas sibi medicinales, quia tamen quædam naturaliter sunt aliis infæsta, & inimica, Creator illorum prouidit eis tum naturali instinctu, tum naturali antipathia, ad cognoscendum animal sibi inimicum, vnde agnus recens natus viso lupo, continuo fugit; singula animalia ita inclinantur ad conseruationem suæ speciei, vt nulla ex his omnibus, quas Deus creauit, perierit; habent animalia singularem amorem erga filios toto tempore, quo indigent filii ab illis nutriri, peracto autem tempore nutritionis, nulla cura est parentibus de filiis, nec è contra filiis de parentibus: hæc omnia non exiguam subministrant materiam, tum ad Dei prouidentiam, sapientiam, & potentiam contemplandam, tum ad multa capienda documenta ad informandos nostros mores, tum ad cognitionem nostræ miseriæ cū in multis excidemur a brutis animantibus.

Circa

Circa Creaturas Intellectuales. *Caput III.*

DE ANIMA RATIONALI.

§. I.

DVo genera sunt creaturarum intellectualium animarum, scilicet rationalium, & Angelorum, primum dicam de Anima, deinde de Angelis, vt sic perfectionis ordinem sequens, sicut sermo noster incepit a terra, quæ est inferior omnibus creaturis, ita desinat in Angelis, qui reliquis omnibus sunt natura perfectiores. Anima rationalis in primis tota est Spiritus, ita Deus est purissimus spiritus, absque mixtione alicuius materiæ: anima est tota in toto corpore, & tota in singulis eius partibus, sic Deus totus est in mundo, vbique præsens, & totus in singulis eius partibus, & etiam in minimis punctis anima cum sit vna in toto corpore, multa tamen valde diuersa per corpus operatur, videt per oculos, audit per auditum, & sic de reliquis potentijs, tam interioribus, quam exterioribus: ita Deus cum vnus sit, & simplicissimus, tam multiplex est virtute, vt cum penè infinitis agentibus, non solum numero, sed, & specie, & genere diuersis naturaliter, & supernaturaliter operetur, anima est immortalis, & in sua substantia independens a corpore, vnde illa pereunte, illa non perit, Deus immortalis est cum sit vita per essentiam, atque adeò indefectibilis, & omninò indepēdēs a creaturis, vnde quamuis illæ omnes pereant, ipse tamen semper permanet immutabilis, anima rationalis est vita corporis humani, qua si priuetur, manet mortuum, & impotens ad omnem operationem vitalem, non secus Deus superiori quadam ratione est vita animæ nostræ, sine qua manet mortua spiritualiter, deinde anima est vna in essentia, & trina in potentijs; per quod præfert imaginem Beatissimæ Trinitatis in vnitate essentiæ: Sed neque in hoc solum repræsentat Beatam Triadem, etenim mens eius intelligendo format verbum quoddam, & a mente, & a verbo procedit amor, vt quod agnoscitur à mente, & repræsentatur a verbo, vt bonum, continuo a voluntate ametur; virtus autem intelligendi animæ rationalis tanta est, vt non solum cognoscat sensibilia, & insensibilia, sed Angelos, & ipsum etiam Deum, capaxque sit illum videndi, amandi, & fruendi: anima libera est in suis operationibus, nec vlla ratione cogi potest, in quibus omnibus mirum in modum imitatur suum creatorem,

eo tamen excepto, tum quod anima est libera ad faciendum malum, voluntas autem diuina ita ab intrinseco est sancta, vt nequeat quidquam malum operari, tum quod anima in exercitio suæ libertatis verè mutatur, Deus vero quantumcumque liberè velit creaturas, immutatus semper manet. Anima rationalis dum est in corpore non videtur, sed in corpore latet abscondita, dum tamen est in illa omnia bona corpori tribuit, pulchritudine motum, sensum, & loquelam, quæ omnia ipsa separata a corpore continuò euanescunt, anima quamuis separetur à corpore propter peruersos humores, quæ destruunt debitam dispositionem ad existentiam animæ in illo, potest tamen ex diuina virtute iterum corpori reuniri, & consequenter corpus, quod turpe, deforme, & immotum ex recessu animæ in terra iacens remanserat, potest ex aduentu illius maiorem, quam antea pulchritudinem obtinere, quod non obscurè ob oculos ponit, id in quo ex Dei Misericordia animæ excedunt Angelos, quod illi semel amissa gratia non potuerunt ad eam se restituere, secus vero, anima rationalis cuius vnio cum Deo per gratiam licet per peccatum disoluatur, per penitentiam restauratur.

DE ANGELIS.

§. II.

CAeterum ad Angelos sermonem conuertens, quanto natura excellentiores sunt anima rationali, tanto vberiorem materiam ad Creatoris cognitionem nobis exhibent. Angeli sunt omninò spirituales, & immateriales, in quo excedunt homines, qui partim sunt spiritus, partim corpus, & hinc est, quod illi cognoscũt veritatem sine discursu, & sine dependentia a sensibus. Angeli naturæ dignitate sunt proximiores Deo, superiores illuminant inferiores, & illis principantur, magna est illorum potentia, cum vnus solus possit mouere totam molem cæli, idque efficit absque fatigatione, & summa facilitate: sũt velocissimi in suis operationibus, a cælo in terrã descendentes, & ascendentes in ictu oculi. Prouinciarum sunt, & hominum custodes, mandata Dei non procrastinant, sed continuò illa perficiunt: Angeli Beati quandoque assumunt corpora humana, vt constat ex Gen lib. 8. & 9. & lib. Tob. c. *Gen. 3 27*
12. non tamen indigent cibo, sed cibus illorum est clara visio Dei, *Tob. 12.*
vt dixit Raph. Angeli solo imperio voluntatis suæ corpora, quantumuis grauia, sursum ferunt quocumque libuerit, vt contigit Angelo, qui rapuit Abacuch, & breuissimo tempore tulit in Baby- *Dan. 14.*

lonem. Angeli absque armis, & tormentis bellicis, solo impetu sui spiritus, integrum exercitum facili negotio expugnant, sic enim
4. Re. 19. Angelus vnus, vt legimus 4. Regum, occidit octoginta quinque millia Assyriorum: Angelorum proprius locus est cælum Empyreum: Angeli propter solum vnum peccatum cogitationis, cælestia bona amiserunt, & in ignem æternum fuerunt detrusi: præcipuum munus Angelorum est assistere Deo quasi cubicularij aulæ cælestis; ex his omnibus facile mens ascendere potest, tum ad perfectiones diuinas, tum ad munera, quibus Deus nobiscum vtitur, tum ad cognitionem vilitatis nostræ, qui tanto Angelis impares sumus, tum ad colendos Angelos propter obsequia, quę continuò præstant Creatori, & propter ministeria, quæ in nostram vtilitatem exercent; Angelorum autem numerum adeo multi ingentem existimant, vt maiorem esse, quam numerus indiuiduorum rerum materialium opinati sint, ex sacris autem scriptoris colligimus esse multitudinem penè infinitam, cum sæpe dicatur millia millium
Iob 25. ministrare Deo, vnde Iob dixit: *Nunquid est numerus militum eius?* Ex ijsdem etiam scripturis habemus omnes diuidi in nouem cho-
Esa. 6. ros, quosdam enim vocat Seraphim, ex visione Esayæ Prophætæ,
Ezec. 10. alios Cherubim, ex Prophetia Ezechielis: alios Thronos, alios Do-
Ad Col. minationes, alios Principatus, alios Potestates ex Apostolo ad Co-
1. lossenses, item alios Virtutes ex eodem Apostolo ad Ephesios:
Ad Eph. alios Archangelos, ex eodem Apostolo, & ex Epistola Apostoli
1. Iudæ, alios denique Angelos, quorum frequentissima mentio fit
1. Thess. in omnibus libris sacris; quamuis autem omnes Angeli Beati, om-
4. nibus virtutibus decorati sint, tamen illi dicuntur Seraphim, qui Charitatis ardore præeminent, illi Cherubim, qui scientiæ splendore prælucent, illi Trhoni siue sedes, qui speciali tranquilitate contemplationis gaudent, illi Dominationes, qui vt summi Imperatoris administri mundo inferiori dominantur: illi virtutes qui omnipotentis Domini iussu signa, & prodigia patrant: illi potestates, qui super aereas potestates spirituum immundorum imperium obtinent, illi principatus, qui Regibus, ac Principibus mundi præsunt: illi Archangeli, qui Prælatis Ecclesiæ adhibiti sunt adiutores, illi denique Angeli, qui singulorum hominum, dum in terris viuunt, custodiam curamque suscipiunt.

Sunt præterea Beati hi spiritus imagines, aut specula magnitudinis Dei. Si quidem Seraphim ardore suo quasi quadam imagine, aut speculo representant infinitam charitatem Dei, qui solo amore impulsus Angelos ipsos, & homines, & reliqua omnia condit, & conseruat. Cherubim simili imagine, aut speculo, referunt infinitam Dei sapientiam, quæ omnia in numero, pondere, & men-

sura

sura constituit. Trhoni eodem modo, quasi in perfecta imagine demonstrant altissimam illam quietem, qua Deus sedens fruitur, cum immotus omnia mouet,& tranquillus omnia disponit, & regit. Dominationes similiter omnibus ostendunt Deum esse,qui verè,ac propriè solus rebus omnibus dominatur, cum ei soli liceat res omnes conseruare, vel ad nihilum redigere Virtutes quoque demonstrant omnibus, Deum solum esse, qui facit mirabilia magna solus,quique sibi reseruauit vni innouare signa,& multiplicare prodigia. Potestates verò,nomine suo præferunt,Deum esse solum potentem,absolutè, & verè, cui nihil sit impossibile, quippe in quo solo vera potentia locum habet. Principatus vexillo suo significant, Deum esse Principem Regum terræ, Regem Regum, & Dominum Dominantium. Archangeli Deum esse demonstrant verum,& summum Ecclesiarum omnium præsidem. Angeli denique Deum esse indicant verum patrem orphanorum, qui licet Angelos custodes singulis hominibus dederit, tamen ipse quoque singulis adest,singulos custodit singulos protegit: Nam ipse quoque Propheta, qui dixerat: *Angelis suis mandauit de te,ut custodiant te in omnibus uijs tuis*: Idem introducit Deum dicentem: *Cum ipso sum in tribulatione eripiam eum,& glorificabo eum.*

De cognitione Dei per eius benefitia,& opera supernaturalia. Caput IV.

DE BENEFITIO PRAEDESTINATIONIS.

§. I.

CVm vnusquisque nostrum speret vitam æternam consecuturum, & fide catholica credat nullum nisi prædestinatum illam fore adepturum,necesse est, vt pie opinetur se esse de numero prædestinatorum:hoc supposito duo in benefitio prædestinationis, ingenti admiratione, ac summa gratitudine dignissima cogita. Primum est,quod amor prædestinationis,cum sit idem quo Deus se amat, ita antiquus est in Deo, ac ille, quo se ipsum dilig t,atque adeo æternus: *Charitate perpetua dilexi te*. Ecce antequam esses in tempore, per Hier. 31
totam æternitatem Deus amabat te, & quamuis se naturaliter, te autem liberè,non tamen prius duratione reali se,quam te dilexit. Secundum est, quod cum te potuisset libere Deus reprobare, ad æternæ tamen suæ beatitudinis gloriam te elegit, vt eo fruaris, &

cum illo perpetuo conregnes, & quod singularissime mirabile est ad electionem hanc faciendam non impedierunt infinitam eius bonitatem peccata, quæ te commissurum & iniurias, quę ei illaturus eras, non ignorabat. Tandem cogita ex benefitio hoc prædestinationis prouenire, vt Deus propter immutabile, & æternum, & absolutum suum decretum conferendi tibi vitam æternam, consequenter conferat tibi in tempore omnia media necessaria ad efficaciter, & cum effectu illam obtinendam, in quo sane mirificè resplendent bonitas diuina, Sapientia, amor, prouidentia, & efficacitas diuinæ potentiæ. Verum, quia video nonnullos acriter vexari in materia prædestinationis, ea ratione ducti, quod nullus est hominum, qui ab æterno non sit a Deo prædestinatus, vel reprobatus, & cum decretum absolutum Dei sit immutabile, & efficacissimum, & non possit non sortiri effectum infallibiliter eueniet, quod prę-
Isa. 46. destinatus saluetur, & reprobus condemnetur, Deo per Isaiam dicente: *Consilium meum stabit, & voluntas mea fiet:* Ex qua catholica veritate perperam inferunt non multum sibi curandum esse de exercitio bonorum operum, sed licentiose viuere posse, quia si prædestinatus est, quantumcumque peccauerit, tandem, tandem faciet pænitentiam, & saluabitur, & si reprobus est, quantumcumque bona opera faciat, tandem, tandem deficiet, & incidet in peccatum, propter quod infallibiliter condemnabitur: in hoc discursu vertitur totus Cardo huius nociuæ valde tentationis in materia prædestinationis, sed his quæ sequuntur, nebulam hanc dissoluere poteris. Sanè Deus decreuit, & nouit te victurum per tot, vel tot, annos, & infallibiliter ita fiet, ad quid ergo cibum sumis? dices quia sine cibo moriar, cum alimētum iuuet, vt medium ad vitam conseruandam, sic ergo licet Deus decreuerit te vitam æternam consecuturum, id tamen non fiet nisi per media opera, a quibus si te abstineas condemnaberis: simile exemplum est de Agricola, de quo certum est Deum decreuisse illum collecturum, vel non collecturum copiosam frumenti messem, insipiens tamen esset si non seminasset triticum, cum id sit medium necessarium ad illum finem, simile etiam est de infirmo, qui diceret, Deus iam decreuit, vel me moriturum, vel superstitem futurum ex hac infirmitate, mādučabo ergo, & bibam, quæ mihi libuerint, nec medicinis vtar, quis non videat hanc meram esse stultitiam, at non minor, imo multo maior, ac deterior est, vt qui sub prætextu prædestinationis, aut reprobationis a bonis operibus se abstineat, & concupiscentijs suis auenas laxet, cum non aliter sit saluandus nisi medijs bonis operibus, nec aliter damnandus nisi mediantibus malis. Deinde vel credis prædestinationem, vel reprobationem imponere neces-

sita-

sitatẽ libero arbitrio ad benè, vel malè operandum, & sic incidis in pernitiosam hæresim à Sacris Concilijs damnatam, vel credis tanquam verus Catholicus non lædere libertatem, & tunc cum verè liber maneas; nonne summa demẽtia est, persuasum tibi habere in vanum laborare Dei mandata obseruans, cũ certissimũ sit nullum adultum saluari posse absq; bonis operibus; equidẽ prædestinatio amplectetur vnam completã rationẽ omnium mediorum, quibus perducitur prædestinatus ad Gloriã: inter hæc aũt pcipuè sunt bona opera, igitur summa oĩum insipiẽtia est, cessare a bonis operibus, & non se abstinere à malis, cũ illa sint media ad æternã salutẽ, hæc ad æternam perditionẽ, quare sicut Dæmon isto genere tẽtationis in materia prædestinationis nihil impẽsius curat, quã vt hominum auertat ab exercitio bonorum operũ, ita ad vincẽdã hanc grauissimam tẽtationẽ, nihil instantius curandum est, quã vacare exercitio illorum, tunc enim implebit, quod D. Petrus dixit, *Ut per bona opera certam vestram electionem faciatis*, tuncq; agnoscens bona opera esse media prædestinationis, continuò iudicabit se potius esse prædestinatum, quam reprobũ, cum ipse illa media apponat: Pręterea queãdmodum si quis iter faciẽs offẽdat vias duas, vnã ad dexteram, alteram ad sinistram, illa, quæ ducit ad patriam suam hæc ad hostes, sanè si arripuerit viã dexteram deueniet ad patriã, si verò ad sinistram in manus hostium incidet, nõ secus cũ duplex tibi pateat via, vna bonorum operum, quæ ducit ad patriam, alia malorum, quæ ducit ad gehennam, si illam arripueris peruenies ad illam, si verò hanc hæc te ducet in baratrum inferni. **D. Pet. I.**

Ad hæc seclusa Dei reuelatione nullum manifestius testimonium, nec clarius signum suæ prædestinationis, potest quis habere in hac vita, quam exercitium bonorum operum, cum ergo illud habere positum fuerit in tua libertate, ex eadem dependet possidere signum, & pignus æternæ prædestinationis, & quietam, ac pacatam in hoc genere prædestinationis habere conscientiam, prudenter iudicans te ex numero esse prædestinatorum, cum propria illorum opera exerceas; quod si quispiam vrgeat: ego sæpe incido, & reincido in diuersa peccata: in numero ergo sum reproborum: hunc ego rogo vtrum velit in illis perseuerare, an pænitere, & debitam confessionem facere, si vult perseuerare ipse praua sua voluntate liberè se constituit in numero reproborum, si vero vult pænitere, & debitam confessionem facere, etiam si millies cadat, dum toties per veram pęnitentiam resurgat, inepte se reputat reprobum, cum manifestius signum prædestinationis sit resurgere à peccato, quam reprobationis lapsus pręcedens in illud: Tandem demus ita esse vt tu opinaris, te ad numerum reproborũ pertinere

nere,adhuc tibi curandum esset in omnibus, & per omnia diuina implere mandata, vt his verbis dixit Insignis ille vir Lanspergius, *Quamquam te scires damnandum nihilo secius debes Deo seruire pro immensa ipsius bonitate*. Quibus ego addo etiam pro tua vtilitate, quę non vna,sed multiplex erit. Prima est, nam si miser futurus es carens Deo in futura vita,vtile tamen tibi erit illum possidere in presenti.Secunda,nam si in futura vita tibi non est dandus locus nec concedenda facultas,vt summum bonum ames, & illi inseruias, vtile tibi erit frui illo,quantum vita durauerit. Tertia, nam pœnę damnatorum sunt inæquales, secundum inæqualitatem peccatorum, erit ergo tibi vtile non addere peccata peccatis, alioquin addentur tibi tormenta tormentis; narrat ex vitis Patrum Ioannes Herolt Ordinis Prædicatorum serm.155 certum Monachum cuidam alteri dixisse sibi reuelatum fuisse à Deo illum esse reprobũ (reuelatio tamen fuerat a Dęmone transfigurato in Angelum lucis) cui ille respondit, ego sane propter hoc non desistam seruire Deo,faciat Deus quicquid sibi placitum fuerit de me, ego enim non seruio illi propter remunerationem gloriæ, nec propter timorem inferni,sed propter suam bonitatem,& vt meæ obligationi satisfaciam,contigit autem,vt eadem nocte Dominus mitteret verum Angelum suum ad Monachum,cui facta fuerat illa falsa reuelatio, qui certiorem illum fecit fratrem illum esse de numero prædestinatorum, & per responsionem illam, quam ei dederat, plus mæruisse apud Deum,quam illucusque mæruerat per totum vitæ suę curriculum.

Lansp. in Inchir.c. 11

De benefitio Creationis, & Conseruationis.

§. II.

COgita circa hoc benefitium, Deum te ex nihilo produxisse quantum ad animam,eamque non quamcumque,sed rationalem,& æternæ beatitudinis capacem tibi cõtulisse;cogita quod cum Deus alioquin infinitos homines a se producibiles, intra nihilum reliquerit,nolens eos in lucem prodere, te tamen dignatus est producere, idque fecit quamuis alias non ignorasset te sæpe, & grauissime illum fore offensurum, ac suis beneficijs ingratissimũ futurum;cogita magni momenti fuisse beneficium, te creasse inter fideles,& catholicos non inter gentiles, Iudæos, aut Hæreticos,inter quos si creatus fuisses, sicut vnus illorum extitisses, Idolatriæ, Iudaismi,aut hæresis peste infectus; Cogita Deum à primo instanti tuæ conceptionis,& creationis semper, & absque vlla intermissio-

termissione te conseruasse, ne perires, etiam cum actualiter illum offendebas, & cum talia patrabas, ob quæ mærebaris ab eo, vel annihilari, vel certè æternis ignis tormentis mancipari. Cogita tot, ac tam varia bona, Deum tibi subministrare quot sunt necessaria, nō solum ad tuæ vitæ conseruationem, sed partim ad recreationem, quæ si attente considerentur sunt absque numero, etiam circa solum victum, vestitum, & domicilium, necnon alia permulta, quæ per varios sensus percipimus; & nonnulla, quæ ex longissimis Regionibus asportantur, vt tu illis vtaris.

De benefitio vocationis post peccatum commissum, & sæpe reiteratū, ac de benefitio Conuersionis, & Iustificationis.

DE benefitio vocationis cogita quomodo Deus multis alijs peccatoribus neglectis, quos si efficaciter vocasset, melius te illi inseruissent, & multo magis illi gratos se exhibuissent, inter innumeros tamen illos te dignatus est vocare ad pænitentiam, & peccatorum detestationem; Cogita etiam te nunc vocasse, ac tui memorem fuisse, quando tu immemor magis illius eras, ac tuæ salutis, tunc Deum magis sollicitum se ostendisse, quando tu in offendendo illum sollicitiorem te exhibebas; cogita deinde, quod nisi te post lapsum Deus misericorditer, & efficaciter vocasset, semper in statu peccati permansisses, & in æternum perires; ad vocandum autem te nulla stringebatur obligatione, sed continuo ac peccasti poterat iustissimè in Infernum te detrudere: Cogita insuper, quam magna sit Dei misericordia erga te, vt cum propter quodcumque peccatum mortale mærueris, efficaci Dei auxilio te præueniente, omnino destitui, & in reprobum sensum tradi, Deus tamen ex infinita sua clementia, tuæ miseriæ misertus, ab ea te voluit efficaciter subleuare, vberem tibi auxilij gratiam conferens, vt ad illum te conuerteres.

De benefitio autem iustificationis cogita, quod cum inimicus esses Dei, consortem tamen te fecit Deus diuinæ suæ naturæ, & in filium te adoptauit, & consequenter hæredem æternæ beatitudinis constituit, vt per totam æternitatem cum illo conregnes, *nam si filij, & hæredes*, vt loquitur D. Paulus: pondera excellentiam huius benefitij, quam facilè deprehendes ex consideratione termini à quo, & ad quem, quia te eduxit de morte peccati, & de captiuitate diaboli, & transtulit ad vitam gratiæ, & in seruitutem suam te redegit, imò ad amicitiam euexit, quæ est supremus honor, quo creatura rationalis cohonestari potest à Creatore suo.

De

De benefitio præseruationis à malis.

§. III.

COgita à tot malis, tam tēporalibus, quam spiritualibus Deum te præseruasse, quot sunt mala, tam spiritualia, quam corporalia, in quæ reliqui homines inciderunt, cum nullum eorum sit in quod tu incidere non potuisses: quod autem non cecideris singularis præseruationis Dei benefitio tribuendum est, qui ab æterno decreuit ab eis te præliberare: Cogita deinde spetialiter si aliqua peccata cōmisisti, quæ si Deus manifestari permisisset, vel publice a Iudice punireris, vel honorem, & reputationem pænitus amitteres, & abiectam, ac infamem vitam perpetuo ageres: Cogita inquam, quomodo Deus benignè tuo honori consulens, voluerit illa esse hominibus occulta, vt a pæna, & infamia quam sustineres te præseruaret, ac pariter etiam in memoriam reuoca, quam multum tuis peccatis diuinum honorem læseris, cum alioquin, Deus tui honoris, & famæ zelantissimus fuerit, his addenda est consideratio benefitiorum spetialium, quę quisque a Deo recepit, vt esse Religiosum, Præsbyterum, celibem vitam agere, vel alicui ministerio famulatus diuini esse addictum, & sic de reliquis tam spiritualibus, quam temporalibus bonis, quæ diuina largitas in eum contulit.

De benefitio Incarnationis.

§. IIII.

COgita quam mirificè se manifestent diuina attributa in mysterio Incarnationis.

Primo. Effulget in hoc mysterio infinita Dei bonitas, nam cum conditio boni sit esse diffusiuum, & communicatiuum sui, certe quò aliquid fuerit magis communicatiuum, conuincetur esse magis bonum, equidem Deus manifestauit suam bonitatem communicando se creaturis intra ordinem naturæ, sed sublimius communicando se illis intra ordinem supernaturalem diuitias suę gratiæ, ac cælestium donorum illis largiens, excellentius tamen communicans naturam suam, ac eius attributa, & personalitatem filij sui humanitati Christi, tunc enim homo ille cum non sit filius adoptiuus, sed naturalis necesse est Deum per mysterium Incarnationis communicasse illi diuinam naturam, & omnia attributa, & per-

perfectiones quæ diuinitati eius conueniunt pariterq. personam ipsam verbi, qua. suppositat naturam humanam.

Secundo. Effulget in mysterio Incarnationis diuina sapientia, nam cum alioquin personæ diuinæ sint incommunicabiles ad intra, adinuenit modum diuina Sapientia, quo possent communicari ad extra, sicut de facto communicatum est verbum diuinum humanitati Christi; in eo etiam innotescit diuina Sapientia in hoc mysterio, quod cum dæmon ab initio conditionis humanæ procurasset inficere naturam humanam, & de facto illam infecit peccato originali, vt sic videns Deus eius turpitudinem, recusaret illam sibi vnire, humanam carnem assumens, Deus tamen ex veneno, Antydotum faciens, medio, quod Diabolus ad impediendum consilium Incarnationis vsurpauit, ipse vt eam exequeretur visus est, cum ipsamet peccati calamitas Deum attrhaxerit, vt ad eam reparandam Incarnationem filij sui in carne mortali decerneret, quare eisdem armis quibus Diabolus tentauit hominem perdere, eisdem Deus lucratus est illum, occasionem sumens ab ipso peccato ad Incarnationis benefitium nobis conferendum; elucet etiam diuina Sapientia, quod modum inuenit ad coniungendam misericordiam cum Iustitia, temperans vtramque, vt neutri fieret iniuria, Dei misericordia postulabat subleuari naturam humanam à miseria in quam ceciderat per peccatum, diuina vero Iustitia exigebat vindictam, & satisfactionem, per incarnationem autem verbi, vtriusque votis satisfactum est, nam Christus Dominus venit populum suum saluum facere a peccatis, quod summum opus misericordiæ fuit, & pariter venit ad satisfaciendum Patri ad æqualitatem, imo, & superabundãter pro iniurijs omnibus ei illatis, quod vtrumque perfectissimè impleuit, non solum per sanguinem, & passionem suam, sed per quodcumque eius opus liberum, etiam minimum, vt per sumptionem cibi, aut potus, nam cum huiusmodi operationes essēt theandricæ, hoc est, Dei hominis, infiniti erãt valoris, & pretij, & infinitè Deo acceptæ.

Tertio. Effulget in hoc mysterio diuina omnipotentia, tum quod res adeo distantes, ac diuersæ conditionis cuiusmodi sunt diuinitas, & humanitas in vnam coniungeret personam, quis non videat multum potentiam se insinuare in dissimilium rerum confœderatione, ac placida adeò vnione, vt nunquam mutuo se destruant. Deinde si in nullo magis potẽtia Dei ad intra elucet, quam quod Pater possit producere Deum filium, consequens est, vt in nullo operum Dei magis ad extra se manifestet omnipotentia Dei quam in eo, quod faciat hominem Deum, ac verè, & proprie filium eius naturalem.

T Effulget

Effulget tandem in eo diuina omnipotentia, quod cum nihil potuerit diuidere Deum ab homine nisi peccatum, per unionem tamen verbi cum humanitate factum est, vt Deus strictius vniretur, quam ab eo fuerat separatus homo per culpam, nam per eam tantum homo amisit vnionem per gratiam habitualem, per vnionem autem carnis facta est realis, & personalis vnio, itaut eadem persona sit Deus, & homo, ex quo necesse est deducere varia prædicata, tam sublimia, quam humilia, quæ vtramque naturam concomitantur, nam si ille homo est Deus, erit æternus, incomprehensibilis, omnipotens, si vero homo erit mortalis subditus fami, & siti, &c. ex quo etiam constat, quam multum Deus maiestatem suam depresserit, & quam multum humilitatem naturæ humanæ

Phil. 2. exaltauerit: certe maiestas Dei adeo se depressit, vt Paulus de eo dixit: *Exinaniuit semetipsum formam serui accipiens*: Naturam autem humanam ita Deus exaltauit, vt ad vnionem cum persona filij illam eueheret.

Quarto. Effulget in hoc mysterio mirum in modum diuina liberalitas, dum Deus conferens nobis Christum, in eo nobis donauit Redemptorem, Pastorem, Ducem, Magistrum, Summum Sacerdotem, Medicum, Medicinam, Cibum, infinitum Thesaurum sui sanguinis, & suorum meritorum, ita ut veraciter dicere possimus omnia bona nobis venerant pariter cum illo.

Quinto. Amor mirificè effulget in mysterio Incarnationis, vt

Ioan. 5. perspicuè ostendunt verba D. Ioannis: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret*: Hæc verba ignita sunt, & potentissima si intelligantur ad extorquendum nobis ardentissimum amorem, in primis ait Ioannes: *Sic Deus dilexit*; Sane obiectum amoris bonum est, quis ergo non stupeat Deum, in quo omnium bonorum

Iob 7. cumulus est, amare velle creaturam aliquam extra se vnde, Iob dicebat. *Quid est homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum?* & quidem si amor iste Dei necessarius esset in illo, non foret tanta admiratione dignus, quia natura compellente diligeret: at certe amor ille non necessarius, sed voluntarius est, vt Diuus Iaco-

Iacob. 1. bus dixit: *Voluntarie genuit nos verbo veritatis*: Insuper etiam ex eo, quod ille amet nos, nihil vtilitatis percipit ipse, sed in nos solum omnis vtilitas redundat: insuper ait D. Ioann. *Dilexit mundum*: Certe mundus peccatis scatebat, & nihilominus Deus eum tanto amore prosecutus est, vt cum ab eo grauissime offenderetur, tum dignatus est beneficium Incarnationis verbi diuini ei impendere,

Ad Ro. 5 atque hoc est, quod extollit D. Paulus dicens: *Commendat Deus Charitatem suam in nobis, quoniam cum inimici essemus, reconciliati sumus*: Ne autem quispiam imprudẽtem arguat amorem Dei, qui indignum,

&

& ingratum Mundum tali amore amauerit, aduertat quod licet ex parte ingrati Mundi nihil sit, quod diuinam mæreretur dilectionem, adest tamen ex parte Dei vrgens motiuum ad diligendum illum, nimirum suæ bonitatis pondus, quod diuinam impulit bonitatem, vt tanto beneuolentiæ amore illum prosequeretur, vt filium suum illi donaret, in quo detegitur adhuc clarius diuinus amor, nam ex magnitudine doni facilè innotescit magnitudo amoris, nihil autem excellentius potuit nobis dare, quam filium suum. Vrget etiam amplius, quod non dedit filium adoptiuum, sed naturalem, & sibi consubstantialem, & ideo addidit: *Filium suum*: Adeo certè suum, vt nullus Patrum possit gloriari, tam propriè aliquem esse filium suum quam Pater æternus, nam Patres humani non conferunt filijs suis animam, sed illa creatur à solo Deo, omnem autem substantiam, quam habet filius Dei, contulit ei Pater, insuper nullus filius, ita filius Patris sui est, vt eamdem naturam, intellectum, & voluntatem habeat, quam ille, filius autem Dei cum non habeat distinctam naturam à Patre, nec alio intellectu, & voluntate potiatur, quam illè magis ille est filius Patris æterni, quam quilibet nostrum sui parentis, quod autem addit filium suum vnigenitum eamdem Dei Charitatem vehementer ostentat, nam si Deus multos genuisset filios, non adeo eius innotuisset amor, si vnum illorum nobis donasset, verum quod cum vnicum solum habeat, illum nobis dederit, id sane summæ dilectionis indicium est, concludit dicens: *Vt filium suum unigenitum daret*: Non dicit venderet, quia rectè sciebat Deus, nos nullo prætio posse emere beneficium Incarnationis filij Dei, sed consulto ait, *daret*, hoc est, gratis donaret, finis autem quam Deus habuit in hac donatione ille certè fuit, vt nos faceret filios suos adoptiuos, vt dixit Apostolus: *Misit Deus filium suum, ut adoptionem filiorum reciperemus.* *Ad Gal. 4.*

Sexto. Splendet Iustitia omnibus quidem supplicijs Mundo inflictis nunquam diuinæ Iustitiæ ad æqualitatem satisfactum fuerat, assumens tamen verbum diuinum naturam humanam homo ille satisfecit plene pro peccatis nostris, vnde D. Anselmus dixit satisfactionem non potest facere nisi Deus, nec debet nisi homo, necesse ergo est, vt eam faciat Deus homo, sic enim pro compensanda infinita malitia offensæ diuinæ obtulit opera multa infiniti valoris. *Lib. Cur. Deus homo.*

Septimo. Effulget misericordia, inter alia requisita ad misericordiam vnum est, vt quis alienæ miseriæ tristetur, & compatiatur, videns autem Deus in eum tristitiam cadere non posse, voluit se hominem facere, vt sic cor humanum habens, tristari, & compati posset nostris miserijs, ad quod respiciens Diuus Pau-

Ad Heb. 4. lus dixit: *Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris.*

De benefitio institutionis Eucharistiæ.

§. V.

PRimo. Cogita excessiuam Dei Charitatem in hoc Sacramento mirum in modum splendentem, cum non contentus se dimisisse, nostram naturam humanam multis miserijs obnoxiam assumendo, vt inter homines conuersaretur, & eos erudiret, & non contentus etiam sanguinem, & vitam profudisse acerbissima tormenta sustinens, insuper etiam se ipsum, corpus scilicet, & sanguinem in cibum, & potum nobis largitur, conferens simul animam suam sanctissimam, cum omnibus suis meritis, vt per illa obtineamus a Deo, quæ ad sancta nostra desideria implenda, ac vitam æternam consequendam efficacissime iuuant.

Secundo. Cogita finem, & scopum institutionis huius diuini Sacramenti illum præcipue esse, vt vniaris cum Christo, & in eum transformeris, ad id enim significandum consulto se nobis præbet sub spetie cibi, & potus, nam sicut ex comedente, & cibo fit vnum, ita Christus Dominus præbens se tibi in cibum desiderat, vt fias vnum cum illo.

Tertio. Cogita quam multum splendeat in institutione huius diuini Sacramenti sapientia, bonitas, & potentia Dei, Sapientia quidem in inueniendo modum per quem Christus Dominus non recedens a Cælo maneat in terra, bonitas vero in communicatione sui ipsius conferens nobis diuinitatem, & humanitatem suam cum omnibus diuitijs vtriusque huius naturæ, in qua communicatione nullum habens respectum ad propriam vtilitatem, cum nullam inde ipse accipiat, solum nostris commodis prospicit, vt verus Pater, verus Sponsus, verus Pastor, ac fidelis Amicus.

Tandem compara hoc Sacramentũ cum Thesauro abscondito cum ligno vitæ cum manna cæleste cum agno Paschali, & cum sacrificijs veteris legis, in quibus omnibus copiosam inuenies materiam ad meditationem huius diuini Sacramenti. Ad extremum considera varias virtutes, quas Christus Dominus docet in hoc augustissimo Sacramento, de quibus, & multis alijs ad illud spectantibus consideratione dignissimis supra egimus ex professo lib. 3. § 5.

De

De Meditatione Vitæ Sanctorum, & præcipuè Beatæ Virginis.

§. VI.

CVm Deus sit mirabilior in Sanctis suis, quam in omnib. alijs operibus naturæ etiam Angelis, sanè via regia est, consideratio vitæ, & mortis illorum ad cognitionem Dei, etenim in illis omnia Dei attributa splendent, misericordia, inuocatione cum erant peccatis immersi, Charitas, & bonitas in tam multiplici donorum communicatione, potentia, in fortitudine qua tot difficultates superarunt, tot hostes profligarunt, ac tot portentosa, & myraculosa opera patrarunt, liberalitas in varijs beneficijs, quibus eos cumulauit, insignia merita illis conferens, martyrij, Virginitatis, & similiū, Iustitia in excellentissimo pręmio, quo illos nunc in cælo remunerat se ipsum illis conferens clarè visum in mercedem suorum laborum.

Secundo cogita hæroicas virtutes, quibus Sancti præcelluerūt, de quorum singulis canit Ecclesia, *non est inuentus similis illi*, specialiter humilitatem, fidem, spem, & fiduciam, charitatem, & misericordiam, patientiam, pęnitentiam, Religionem, ac perseuerātiam, & eorum exemplo excitare ad has virtutes amplectendas illud certissimè tibi persuadens, quod si viam in qua illi ambularunt non ingrediaris, præmio quo illi fruuntur nunquam gaudebis. *de cōmuni cōfess. pontif.*

Tertio, Considera ob quam breue tribulationis, & pænitentiæ tempus æternam gloriam sancti fuerint consecuti, & ab eis importunis precibus efflagita, vt suis intercessionibus tam diu te prosequantur, quam diu in hoc turbulento mari vexeris, nunquam cessantes te protegere, vsquequo ad portum ęternę beatitudinis peruenias.

Quarto, Hæc omnia quæ dicta sunt de Sanctis, adaptari possunt in meditatione de B. Virgine, exceptis illis, quæ pręsupponunt, vel concernunt peccatum, cum ipsa immaculata semper extiterit, specialiter tamen meditanda sunt, quæ hic continuò apponam singularissima dona, & priuilegia.

Primum, Quod electio, & prædestinatio eius longè superet omnium Sanctorum electionem. Secundum, Quod Patribus cælitus fuerit promissa mysticis præfigurata miraculis, oraculis sit prænunciata propheticis: quin etiam à sibyllis honorificè fuerit prædicata. Tertium, Quod Dei beneficio ex parentibus sterilibus, qui ex voto nascituram prolem Deo dicarunt, sit orta, Angelo eius nati-

uita-

nitatem parentibus præsignificante; id quod de nulla alia muliere in sacris litteris legitur. Dei enim perfecta sunt opera; quare cum sobolem sterili concedebat, masculinam tribuere solebat, si hanc Virginem Beatissimam excipias, quæ ad altissimam maternitatis Dei dignitatem erat euehenda. Quartum, quod ex generosa stirpe, quadruplici semine Patriarchali, Prophetali, Sacerdotali, atq; Regio decorata fuerit progenita. Quintum, quod sola inter filios Adæ, qui per seminalem rationem, vt Theologi loquuntur, ab eo descendunt, originalis peccati singulari priuilegio fuerit immunis. Sextum, Quod in suæ immaculatæ Conceptionis exordio, ita sit confirmata in gratia, vt omnis noxæ actualis, etiam venialis semper fuerit expers. Septimum, Quod vel fomite caruerit, vel semper extinctum habuerit, nec vnquam sæuientem membrorum legé, vel inferioris partis rebellionem senserit. Octauum, Quod in sua Conceptione rationis vsum acceperit, votumque virginitatis Deo nuncuparit, ab eoque instanti mereri inceperit, eiusque meritum ne somno quidem interceptum fuerit. Nonum, Quod in eadem sua Conceptione omnibus virtutibus Theologicis, & Cardinalibus, ijsque heroicis, atque præclarissimis, gratijs item gratis datis fuerit exornata. Decimum, Quod trimula in templo Deo ex voto consecrata, ibique sanctissimè educata fuerit, quindecimque scalas ascenderit nullo iam iuuante. Vndecimum, Quod Benedicta inter mulieres, omnis maledictionis spiritualis, cui genus humanũ per peccatum Adæ erat obnoxium, expers fuerit. Duodecimũ, Quod gratia plena sancto spiritu obumbrata filium Dei conceperit facta vera Dei Mater, quæ est quædam dignitas infinita, quem cæli capere non poterant suo gremio portauerit. Decimumtertiũ, Quod Mater simul, & Virgo perpetua, ante partum, in partu, & post partum, Virginumque primiceria sit, suoque exemplo innumerabilium vtriusque sexus virginum mater extiterit. Decimumquartũ, Quod sola, inquit Bernardus, sermone signum magnum, prægnantium tædium non senserit, quæ sine libidinis voluptate cõceperat pariterque nutrix fuerit Christi Domini lactando, pannis inuoluendo, blandiendo, & alia nutricis officia ei exhibẽdo. Decimum quintum, Quod Deum virgineo partu absque dolore enixa, eius
Sap. 8. conuictu, qui Sap. 8. *Non habet tædium, nec amaritudinem, sed miram dulcedinem, atque utilitatẽ*, totos triginta tres annos sit vsa, quare merito
Sap. 8. Sap. 8. *Generositatem eius glorificat conturbenium habens Dei.* Decimumsextum, Quod corpus Dominicum in Sanctissima Eucharistia exhibitum ex eius sanguinibus sit formatum in eius virgineo vtero,
Cantic. 7. qui propterea Cant. 7. dicitur. *Sicut aceruus tritici uallatus lilijs.* Decimumseptimum, Quod multis modis singulariter ad nostram salu

tem

tem sit cooperata. Decimumoctauum, Quod passionis Christi fructus singulari modo ei sit communicatus, & iuxta Crucem filij fortiter astans doloris gladio sit transfixa; quem Bernardus sermone signum magnum, martyrium cordis appositissimo vocabulo nominat. quare & omnium prima, maxima animi lætitia Christũ vidit resurgentem, eademque lætitia est perfusa in filij ascensione, & in aduentu Spiritus sancti in die Pentecostes, quo die ingẽtem gratiæ cumulum est adepta. Decimumnonum, Quod Apostolorũ, & Magistrorum Ecclesiæ magistra extiterit. Vigesimum, quod mortua fuerit Christo Domino ei adstante non ex aliquo morbo corporali, sed ex vehementia amoris ardentissimi, & quod post obitum corpus eius non viderit corruptionem, sed ante communẽ resurrectionem innixa super dilectum corpore, & anima in cælum assumpta supra omnes Angelorum choros, & Sanctorum ordines ad dexteram filij collocata, chorum supra omnes faciat cum Christo, & plus gloriæ ipsa vna obtineat, quàm reliqui Sancti, & Angeli simul, consequenterque habuit omne genus aureolæ, quæ dari solet Sanctis, vnde Angeli eius præstantiam in assumptione videntes valde admirati sint dicentes: *Quæ est ista, quæ descendit de deserto deliciis affluens innixa super dilectum.* Can. 8. & illud cap. 6. *Quæ est ista, quæ progreditur, qua si aurora consurgens, pulchra vt Luna.* Vigesimumprimum, quod eius præsentia beatis magnum gaudium accidentale afferat in cælo. Vigesimumsecundum, Quod Regina cælorum, omniumque Angelorum, ac Sanctorum sit Domina. Vigesimumtertium, Quod communis peccatorum, & omnium Aduocata, Mater Misericordiæ, Mediatrix ad intercedendum, Mater item sit viuentium, omniumque salutem promoueat. Vigesimumquartum, Quod cum Dæmones multitudine, & viribus adeo valeant, vt Iob 40. de Satana sub typo leuiatan dicat: *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei, qui factus est, ut nullum timeret:* *Iob 40.* Iis tamen vsque adeo pauenda sit, atque terribilis, vt ad eius nomen, ne dum ad imperium illico diffugiant, eorumque caput potenter contriuerit. Vigesimumquintum, Quod gratiæ, & prærogatiuæ omnes, quæ in alijs Sanctis sunt dispersæ, in ipsa longe perfectiori modo vnitæ inueniantur. Vltimum, Quod ad declarandam excellentiam Beatæ Virginis vtitur Sacra Scriptura varijs figuris, *In Letan. B.V.* vt Templi Domini, Tabernaculi Fæderis, Sanctuarij Dei, Altaris Sthimiamatis, Solij gloriæ Dei, Vrnæ aureæ manna plenę propitiatori Arcæ Testamenti, Arcæ Noë, Scalæ Iacob, Portę cæli, Rubi ardentis imcombusti. Virgæ Aron, Ciuitatis refugij, Veleris Gedeonis, Virgæ Iesse, Turris Dauidica, Throni Salomonis, Ferculi eiusdem, Ciuitatis Dei, Domus sapientiæ, Thalami Sponsi, Cæli,

Stellæ,

Stellæ, Maris, Arci cælestis, Nubis leuis, Paradisi Voluptatis, Ligni vitæ, Fontis vniuersam terram irrigantis, Horti conclusi, Fontis signati, Putei aquarum viuentium, Aquæductus cælestium gratiarum, Nauis institoris de longe portantis panem, Speculi sine macula, & similia. Ad extremum copiosam materiam inuenies ad meditationem de Beatissima Virgine si consideres verba, quæ Sacri Euangelistæ narrant protulisse.

Lucæ 1. Primum est, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Secun-
Ibidem dum, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Tertium,
Ibidem *Magnificat anima mea Dominum*, cum reliquis illius Cantici. Quartum, *Fili, Quid fecisti nobis hic? Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.*
Lucæ 2. Quintum. *Fili, vinum non habent.* Sextum, *Quodcumque dixerint vo-*
Ioan. 2. *bis facite:* Inuenies etiam non minus vberem materiam ad eãdem
Ibidem Virginis meditationem si in memoriam reuoces verba, quæ ijdẽ Sacri Euangelistæ ad illam dicta referunt. Primum est, Verbum
Lucæ 1. Angelicum, *Aue gratia plena Dominus tecum.* Secundum, *Spiritus san-*
Ibidem *ctus superueniet in te, & uirtus altissimi obumbrabit tibi.* Tertium est,
Lucæ 1. *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus uentris tui, & vnde hoc mihi, vt ueniat Mater Domini mei ad me? Ecce enim vt facta est uox salutationis tuæ in auribus meis exultauit in gaudio Infans in vtero meo, & beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino.* Quar-
Lucæ 2. tum est sermo Simeonis ad Virginem, *Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum, cui contradicetur, & tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut reuelentur ex multis cordibus cogitationes.* Quintum, *Beatus venter, qui te portauit, & ubera, quæ suxisti.* Sextum, *Quid mihi, & tibi mulier, nondum uenit hora mea.* Septimũ. *Mulier ecce filius tuus.* Ac tandẽ copiosam materiam subministrant, tum prophetiæ verba omnia de B. Virgine, cuiusmodi sunt illa
Gen. 3. Genesis, *Ipsa conteret caput tuum.* Et illa Isaiæ, *Ecce Virgo concipiet*, &
Isa. 7. similia: tum etiam omnia illa, quæ Sacri Euangelistæ referunt de B. Virgine, quamuis non loquantur cum ea, cuiusmodi sunt illa,
Lucæ 2. *Ascendit autem & Ioseph cum Maria desponsata sibi vxore prægnante:* Et
Matt. 2. illa, *Peperit filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in Præsepio*, & multa alia similia in quibus expressè fit sermo de Beatissima Virgine; ex meditatione autem hac curandum est varios affectus elicere tum amoris erga matrem, & filium, tum spetialis doloris de peccatis, nõ solum, quia offenderis filium Dei, sed etiam filium Virginis, tum congratulationis, & gaudij de Priuilegijs, & prærogatiuis Beatæ Virgini concessis, spetialiter quod fuerit concepta sine peccato originali, semper placuerit Deo in omnibus suis actionibus, quod Deigenitrix sit, quod ipsa Christo Domino dederit corpus, & sanguinem precium nostræ redẽptio-
nis

nis, quod filius Dei vtilis magis nobis prodierit ex ventre eius, quā dum ex mēte patris, nam à Virgine processit filius Dei incarnatus in tēpore, à Patre verò absque carne ab æterno: manifestum autem est, nobis magis vtilem esse filium Dei carne indutum, quā absq; illa, quod Virgo semper permāserit, & post partum virginitas eius clarior, & illustrior facta fuerit, quod plenissima sit gratia sup omnes creaturas, & quod super omnes Beatos clarius videat Beatissimam Trinitatem, & ardentius illam amet, & ea fruatur; ac tādem exerceri debet affectus spei, & fiduciæ in intercessione Beatæ Virginis, tibi persuadens consecuturum vitam æternam per intercessionem illius, cuius potentia ad id adeo magna est, vt sicut Pater; vt ait D. Ioannes: *Filio omnia dedit ei in manus*: Ita filius omnia dederit in manus matris suæ. Vnde ipsa est quæ inter omnes puras Creaturas magis participat omnipotentiam Dei cum reuera ita sit omnipotens deprecatiue, vt sicut ad imperium Dei quicquid sibi placet continuo fit, ita ad deprecationem Beatæ Virginis, quicquid sibi libet confestim efficiatur. *Ioan. 13.*

Circa cognitionem Dei per viam negationis vbi de ministerio Trinitatis in vnitate essentiæ, ac de diuinis attributis cognoscendis, materia, & modus apponitur.

Caput V.

HVcusque assignauimus materiam, & modum docuimus ad cognitionem Dei via affirmationis, colligendo eius perfectiones ex perfectionibus omnium creaturarum, nunc excellentiorem aliam viam ingrediētes, ad viam negationis sermonem conuertimus: per hanc viam tendimus ad cognitionem Dei sub caligine fidei diuinę, per quam credimus nihil eorum, quæ sunt in creaturis tribuendum esse Deo asserendo ea inesse illi formaliter, nam cum omnia in illis sint varijs imperfectionibus permixta, sacrilegum esset illa ei tribuere, è contra verò Religiosum, & Dei honore dignum ea ab eo remouere, & illi negare, atque hunc modum cognoscendi Deum video in sacris Scripturis edoceri, tum quia dicunt illum habitare in nebula, & Moysem ingressum in eam, vt cum Deo loqueretur, tum quia sæpe vocant Deum infinitum, æternum, immutabilem incomprehensibilem, ineffabilem, inaccessibilem, & similia, per quæ mens nostra cognoscit, quod Deus habet esse omnibus modis illimitatum, & omnis imperfectionis expers, caret principio, & fine durationis, *3. Reg. 8.* *Exod. 2.*

non coartatur loco, cum vbique sit; eius sapientia, & potentia terminum non habet, non tot diuitias tam spirituales, quam materiales potest effundere, quin plures, & plures possit absque præfixo termino, non potest pati augumētum, vel minutionem in aliqua suarum perfectionum, à nulla creatura potest cognosci, quantum cognoscibilis est, nec desiderari, nec amari, quantum amabilis est, & multo minus declarari quātus ipse sit. Eundem etiam modum cognoscendi Deum per negationem docuisse mihi videtur Christus Dominus, nam cum quidam existimans illum esse purum hominem vocasset illum, *bonum*, ipse ei respondit, *quid me dicis bonum, nemo bonus nisi solus Deus:* Certè si bonitas, quæ est in creaturis, eadem vel similis esset in Deo, non dixisset Christus Dominus solum Deum esse bonum, cum alia gaudeant simili bonitate; iudicauit ergo bonitatem creaturarum remouendam esse a Creatore, ita vt nec sit bonitas, lucis Solis, neque Angeli, neque alicuius alterius creaturæ, sed bonitatem super omnem bonitatem, substantiam super omnem substantiam, sapientiam super omnem sapientiam, pulchritudinem super omnem pulchritudinem, atque vnicum ens adeo excellens, vt infinita intercapedine superet omne creabile, atque hac sancta, & sapienti ignorantia excellentius cognoscimus Deum, quam per viam affirmationis, tribuendo ei perfectiones creaturarum seclusis imperfectionibus illarum, ampliusque Deum honoramus, & magnificamus, sublimiter adeo de illo cogitātes, vt iudicemus, nihil esse eorū quæ intellectus creatus capere potest, sed aliquid super excellentissimum, & eleuatissimum, super omnia intelligibilia, cuius comprehensiua cognitio solum diuino intellectui reseruatur, qui æqualem infinitatem habet cum eius natura. Modus autem exercendi cognitionem Dei per viam hanc negationis hic erit, vt locum obscurum, & solitarium eligens claudas omnia ostia animæ tuæ: claude ostium sensuum ad omnia exteriora sentienda, claude ostium imaginatiuæ compescendo illam, ne imagines, & figuras rerum corporalium efformet, ne per alia vagari cogant: ac tandem claude ostium intellectus, ne locum prębeat varietati, & multiplicitati discursuū: deinde breuissima ratiocinatione, aut simplici quadam notitia fidei diuinę conijce mentis oculos in infinitatem, & immensitatem Beatissimæ Trinitatis tibi assistentis, intra te habitantis, & te vndique circundantis, & quadruplici genuflexione illam adora. Prima ad confitendam, & venerandam eius vnitatem, tres verò aliæ, singulæ ad singulas tres personas ad Trinitatem illarum adorandam, post modum aciem mentis conuerte ad infinitè perfectam Dei naturam, ad eius vnitatem, vel Trinitatem personarum, vel ad aliquod, vel aliqua eius attri-

Mar. 10.

tri-

tributa, ad quorum faciliorem contemplationem sequentes tibi suppedito meditationes, quæ circa hæc omnia vberem tibi materiam præstabunt ad cognoscendum intime Deum tuum diuino eius tibi fauente numine: semper tamen adnitendum tibi est, vt pelagum infinitæ bonitatis, & pulchritudinis diuinæ, aut alterius attributi considerans excites in te, diuino spiritu afflante, ardentissimum illius amorem, etenim sicut tunc mens nostra incogniti Dei per viam negationis, non inuenit in quo sistat, sed solum agnoscit esse Deum quandam bonitatem super omnem bonitatem, quandam pulchritudinem super omnem pulchritudinem, maiorem, & maiorem absque vllo termino, ita huic cognitioni correspondere debet proportionatus quidam amor, quo voluntas desideret Deum prosequi amore quodam seraphico absque vllo limite, vt ardentius, & ardentius illum diligat, vt impensius, & impensius illi seruiat, vt magis, ac magis illi placere satagat: hanc esuriem præmiat Deus illam augens in hac vita, & illam saturans in futura iuxta verba Domini: *Beati qui esuriunt iustitiam quoniam ipsi consolabuntur.* *Matth. 5*

Circa vnitatem essentiæ diuinæ.

§. I.

PRimo. Considera ratione naturali conuinci amentissimum fuisse illum de quo refert Dauid: *Dixit insipiens in corde suo non est Deus*: Nam cum creaturæ non potuerint se ipsas creare, opus est ab alijs fuisse creatas, qui cum ab alio creari non possit, alioquin ipse etiam esset creatura, & ille alius creator, necesse est, ne procederemus in infinitum, sistere in aliquo, qui a nemine creetur, & omnium sit Creator. *Psa. 13*

Secundo. Considera hunc Deum ita vnum esse in essentia, vt impossibile sit duos esse Deos, nam cum vnicuique sua esset voluntas propria, vno volente aliquid facere circa creaturas alius posset abnuere, & sic esset inter eos discordia, vel certe oporteret, vt quod vnus vellet necesse alius amplecteretur, & sic secundus non libere, sed coactè operaretur. Deinde nam cum Deus sit summum bonum, & omnem perfectionem necessario continere debeat, certè si duo essent Dij alter alterius perfectionibus careret, ex qua ratiocinatione continuo accendi debet ardentissimum desiderium seruiendi huic vnico summo bono, & fruendi illo in æternum.

Tertio. Considera te hanc vnitatem Dei grauiter offendisse, quia licet mente, & voce vnum Deum confitearis, factis tamen tot Deos adorasti, quot lethalia peccata commisisti, etenim per

Ad Phil. 3. intemperantiam ventrem Deum constituisti, vt loquitur D. Paulus: *Quorum Deus venter est*; Per auaritiam diuitias, & ideo ipse vocauit illam Idolorum seruitutem, ac tandem per libidinem, & voluptatem carnis eam tibi Deum proposuisti, illam ipsi Deo præferens: oportet igitur, vt si vni huic Deo inseruire decreuisti, omnes hos falsos Deos abneges, & vnum solum mente, & amplectaris, & opere confitearis.

Ad Gal. 5.

Quarto. Considera vnitatem Dei, Deo esse valde gloriosam, & tibi valde vtilem, cædit enim in magnam gloriam Dei ita esse excellens bonum, vt nullum alium sibi parem Deum habeat, & quod sit supremum ens super omnia entia, & tamquam caput omnium, super omnes principetur monarchico regimine, quod ad vnum supremum principantem reducitur: tibi autem valde esse vtilem Dei vnitatem ex eo apertè constat, quod cum iuxta sententiam Christi Domini: *Nemo possit duobus Dominis seruire*: Sæpe oporteret placendo vni illorum Deorum, displicere alteri, etenim constituendo tibi vnum illorum & vltimum finem, oporteret te auerti ab alio, vt ab vltimo fine, cum duo vltimi fines totales esse non possint: est etiam vnitas Dei ex alia ratione tibi valde vtilis, ne scilicet mens, & voluntas distrahantur in multa, sed ad vnum semper tendant, quia vt Christus Dominus dixit: *Porrò vnum est necessarium*; Hoc est vnico Deo inseruire, & placere. Gaude tandem, quod Deus sit vnus in se, nec parem habeat, & canta cum Dauid: *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat.*

Matth. 6

Luc. 10.

Psal. 112.

Quinto. Considera cum Deus sit vnus, consequenter vnum esse omnium Patrem, & omnium conditorem, ex quo excitari debes ad amorem erga proximos, cum omnes tanquam fratres respicere debeas, ad eandem nobiscum æternam hæreditatem adeundam vocatis.

Sexto. Aduerte valde tibi timendum esse hunc Deum offendere, & ad iram illum contra te prouocare, nam si ille te abijciat, non est alius qui te suscipiat, & si ille te condemnet, non est alius qui te liberet, tandem considera magnitudinem misericordiæ Diuinæ, qua Deus tecum vsus est, quod creauerit te, non inter gentiles, vbi plures, & falsos Deos coleres, sed inter Catholicos inter quos fidei lumine prælucente vnitatem Dei colis, & pluralitatem execraris, Deus tuus Deus vnus est.

Circa Trinitatem Personarum.

§. II.

PRimo firmissime crede, quod licet Deus sit vnus in essentia, est trinus tamen in personis, & age illi immensas gratias, tũ quod hoc abditissimum cordis sui Arcanum dignatus fuerit per fidem Catholicam manifestare, tum quod cum alioquin sit obscurissimum, & omnium mysteriorum difficillimum creditu, tibi in assentiendo illi magnam facilitatem præbuerit, cum tamen penè infinitis illam non præstiterit, quin & ab ea deficere permiserit.

Secundo. Considera necessario in Deo esse pluralitatem personarum, nam cum Deus sit summum bonum, necesse est esse summe communicatiuum, communicatio autem pluralitatem importat, scilicet communicantis, & ei cui communicatur, tum quia cũ generare sibi simile prout inuenitur in Creaturis longe a Deo remouendum sit cum in illis inueniatur admixtum multis imperfectionibus, & cum ex alia parte generatio substantialis, vt sic nullã inuoluat imperfectionem fateri tenemur, in Deo esse formaliter, atque adeo verè Deum generare ad intra, & consequenter eius generationem esse super omnem generationem, Paternitatem sup omnem Paternitatem, filiationem super omnem filiationem, cum autem Pater, & filius mutuo se diligant, talis amor est Spiritus sanctus tertia persona Sanctissimæ Trinitatis. Admirare potentiam Patris, quæ talem, ac tantum generare potuit filium sibi consubstantialem; admirare potentiam Patris, & Filij, qui Spiritum sanctum producere potuerunt omnium bonorum fontem, & scaturiginem, & gaude pariter de mutua complacentia quam tres personæ diuinæ inter se habent.

Tertio. Considera, quod cum productio filij, & Spiritus sancti sit ita æterna, vt principio, & fine careat, semper Pater actualiter generat filium, & semper Pater, & Filius se mutuo amantes actualiter producunt Spiritum Sanctum. itaque nunquam Pater, & Filius cessant ab his operationibus ad intra, sed in eis cum summo gaudio perseuerant.

Quarto. Considera has tres diuinas personas concordi voluntate, eadem semper velle, & operari absque vlla contentione, aduerteque in hoc omnis tuæ fælicitatis cardinem verti, vt tua voluntas nunquam à concordi hac diuinarum personarum voluntate dissideat, gaude tandem, & congratulare diuinis personis, quod infinita polleant bonitate, infinita sapientia, infinita potentia, pulchritudine, maiestate, pace, & consensione.

Circa

Circa Dei attributa, seu diuinas Perfectiones, nimirum independentiam, vitam increatam, aeternitatem, simplicitatem, immutabilitatem, infinitatem, potentiam ad intra, & ad extra, supremum dominum, vitam, sapientiam, bonitatem, prouidentiam, Beatitudinem, sanctitatem, amabilitatem, pulchritudinem, amorem, misericordiam, liberalitatem, magnificentiam, iustitiam, incomprehensibilitatem, inuisibilitatem, ineffabilitatem, & affabilitatem, ac tandem immensitatem.

§. III.

Circa summam Dei indepentiam ab omnibus rebus, mentis aciem conuerte in Deum optimum maximum antequam quidquam creasset, & sic manifestius tibi patebit summa Dei tui independentia, tunc enim Beata Trinitas gaudebat eadem bonitate, eadem potentia, ac sapientia, eademque essentiali Beatitudine, qua nunc potitur, tunc autem, cum non essent creaturæ, manifestissimum est, nullam ab illis habuisse dependentiam, quod autē quando sunt, nec illam habeat, ex eo euidenter constat, quia cum Deus semper immutabilis permaneat, non possunt eius perfectiones ab aliquo pendere in conseruari, aut ab eo augeri, vel minui, ad quod alludens Dauid dixit, *Deus meus es tu, quia bonorum meorū non eges.* Gaude ergo talem, ac tam excellentem esse Dei tui naturam,
Psal. 15. vt sibi sufficientissimus sit, nec aliquo indigeat extra se, vt summa fælicitate fruatur, & in hoc gaudio siste quantum cum diuina gratia potueris.

De Dei æternitate considera hanc esse sibi essentialem, ita vt ab intrinseco Dei natura postulet, tam fine durationis, quàm principio carere: mēte finge centena millia, & decies cētena millia retro annorum, ac totidem millies replicata; ac plura, & plura: certè ante tot imaginarios annos erat Deus, cogita etiam tantundem durationis in futurum & multiplica, & replica annos in quantumcumque ingenti numero, certè amplius, & amplius vendicat sibi essentialiter natura Dei durare, quod solum proprium est Dei, quia sicut de nullius rei creatæ essentia est existere, ita neque durare, cū duratio præsupponat existentiam, cogita huius æternitatis à parte post, te participem factum, & quantum tibi intersit æternam vitam consequi, ac mortem æternam vitare, impossibile autē est quin in alterutrum istorum non incidas: cogita omnium rerum durationem si cum æternitate Dei comparentur esse breuissimā,

&

& fugacissimam, vt inde discas ab omnium terrestrium rerum cupiditate, vt diuitijs, voluptatibus, & honoribus, animum auocare, & ad bona æterna illum conuertere, quę enim tanta est tua dementia, vt fluxibilem, & breuem voluptatem auide quæras ęternas delitias amittens?

De Dei simplicitate primo cogita, quod cum Deus sit purissimus actus, et omne compositum necessario debeat componi ex actu, & potentia, consequens est, Deum debere esse simplicissimũ.

Secũdo. Cogita, quod cum omne compositum habeat causam intra se ipsum adunantem ea, ex quibus componitur, & in Deo nihil sit causatum, sed omnia sint increata, necesse est omnis compositionis esse expertem.

Tertio. Cogita omnino necessariũ, vt Deus sit simplicissimus, cum nulla prorsus in eo inueniatur compositio, nec enim componitur ex esse, & essentia, nec ex supposito, & natura, nec ex genere, & differentia, nec ex subiecto, & accidenti, nec tandem partibus quantitatiuis, hæc enim omnia, cum intrinsecè sint limitata, vt potè certis terminis circumscripta, longè à Deo sunt releganda, ac tandem, cum omne compositum sit posterius natura suis componentibus, Deus autem sit per naturam primum omnium ens, omninò repugnat esse aliquid compositum.

De Dei immutabilitate cogita, quod cum ille sit simplicissimus & purissimus actus, atque adeò omni potentialitate carens, necesse est esse immutabilem, nam mutari est aliter se habere, quam antea, aliquid recipiendo, vel amittendo, quod summæ simplicitati, & infinitæ actualitati omninò repugnat: cogita, quod cum Deus sit immutabilis nihil potest ei summam quietem, & fælicitatem eius perturbare: nihil mali ei accidere, è contra verò perpende tuã miserabilem mutabilitatem, quod ex iusto fieri possis peccator, & de Deo dilecto, Deo odiosus, & enixe pete à Deo constantiam, & & immutabilitatem in bono, vt cum Paulo dicere possis, *Quis nos separabit à charitate Christi?* *ad Ro. 8.*

De Dei infinitate cogita, quod cum Deus sit essentialiter illimitatus, & infinitus, consequenter omnia eius attributa infinitate gaudent, alioquin si finita fuissent minimè diuinæ naturæ consentanea, & proportionata esse possent: ex quo fit, quod omnia creata elementa, cæli, Angeli, etiam ipsa anima Christi: immo & si mente concipiamus omnia creabilia à Deo actu esse producta in rerũ natura, in comparatione infinitæ substantiæ Dei sint velut nihil, vt loquitur Isaias, *Quasi non sint, sic sunt coram eo quasi nihilum, & inane reputatæ sunt:* vnde sicut Christus Dominus dixit, *Nemo bonus nisi vnus Deus;* quia ipse solus adeò est infinitè bonus, vt in eius comparatione *Isa. 40.* *Marc. 10.*

ratione

ratione nihil mæreatur bonum nominari. ita in eodem sensu veraciter dicimus, nemo iustus nisi solus Deus: nemo sapiens, nisi solus, immo, & nemo ens nisi solus Deus, admirare hanc Dei infinitatem omnia eius attributa, & perfectiones transcendentem, gratulare ei de illa, & gaude, quod illam habeat inamissibilẽ, & quod illius te participem facere velit, se ipsum tibi præbens cum infinitis suis perfectionibus in hac vita per gratiam tanquam Patrem beneuolum, & in futura præclaram visionem, & sui amorem in præmium.

De vita Dei. Primo cogita, quod cum rem vitam habere consistat in eo, quod in se habeat principium intrinsecum suæ operationis immanentis, proprijssime conuenit Deo viuere, quia ipsi soli conuenit ex se ipso, & non moto ab aliquo alio, operari per intellectum, & voluntatem.

Secundo. Cogita, quod actio vitalis Dei est sua vita & essentia, in quo maximè eius vita transcendit, ac in infinitum excedit omnia viuentia, nam præterquam illa non ita se mouent ad operationem quin id præstent cum dependentia ab alio, reuera nulla operatio vitalis eorum, est ipsorum vita essentialis, sed principium illis.

Tertio. Cogita Deum non solum esse essentialiter ipsam vitam, sed & fontem etiam totius esse vitalis, ab eo enim dimanat vita vegetatiua, sensitiuà, & rationalis, ab eo dimanat vita supernaturalis gratiæ, & Charitatis Angelos, & animam supernaturaliter viuificantis, ab eo tandem dimanat vita gloriosa qua viuunt Beati.

Quarto. Cogita liberalitatem Dei erga te qui te participem fecerit huius multiplicis vitæ, tam naturalis, quam supernaturalis, & spem dederit assequendi vitam illam gloriosam, & æternam, ad quam obtinendam Deus ipse se constituit in anima tua tanquam vitam illam viuificantem, & anhelare facientem ad vitam beatam. Tandem cogita, quam diligenter tibi curandum sit non amittere hanc tam preciosam vitam, cum ex eius præsentia æterna tua salus dependeat.

De diuina Sapientia, & Prouidentia, cogita illam Deum habere a se, nunquamque illa caruisse, vt contingit Creaturis, adeoquè esse infinitam, vt non solum cognoscat omnes Creaturas creatas, & creabiles, etiam intima cordis, sed & ipsum Deum nobilissimũ omnium obiectum perfectissimè comprehendat, omnem eius cognoscibilitatem cognitioné sua exhauriens, & adæquans cogita per eandem comprehensiuam cognitionem sui, Deum esse Beatum, cogita Deum nulla re indigere extra se, vt contingit in nobis ad cognitionem, & visionem omnium rerum certè intellectus humanus, vt iudicet de coloribus, oportet illos vidisse, vt videat autem

item eget obiecto idest corpore colorato extra se posito, eget lumine Solis, aut alicuius alterius corporis luminosi, eget medio, idest corpore perspicuo, eget specie sensibili, quæ ab obiecto ad oculos deferatur, eget organo corporali idest oculo, varijs humoribus, & tunicis carneis instructo, eget spiritibus sensitiuis, & neruis opticis, per quos spiritus illi transeant, eget distantia proportionata, eget applicatione potentiæ; Ecce quantis adminiculis indigent homines, & animantia cætera, vt actionem vnam vitæ possint implere. Deus autem ipse sibi est sufficiētissimus ad cognitionem omnium rerum, nam pariter sua essentia est sibi potentia obiectum species, & cætera omnia.

De mira Dei potentia. Cogita in Deo triplicem potētiam productiuam inueniri, duplicem personalem, vnam essentialem, personalis est potentia generatiua, quæ soli Patri conuenit, potentia etiam productiua, seu spiratiua Spiritus Sancti, quæ communis est soli Patri, & filio, essentialis verò est potētia productiua creaturarum, quæ omnibus diuinis personis communis est; illa duplex potentia personalis adeo excellēs est, vt Pater per generatiuam producat verbum diuinum secundam personam Sanctissimæ Trinitatis, Pater vero, & filius per espiratiuam producant Spiritum Sanctum tertiam eius personam: quid autē excellētius excogitari potest intra latitudinem potentiæ, quam posse producere Deum: *Deum verum de Deo uero:* vt habetur in Symbolo Nycenno; poten- *Symbol.* tia autē productiua Creaturarum adeo late patet, vt ad omnia pro- *Nycen.* ducibilia se extendat, illa Mundum creauit solo verbo, & eadem facilitate eum potest annihilare: illa potest iustificare remmittere peccata, ab hostibus liberare, & ex proprijs tuis peccatis multa bona educere, illa tandē potest te beare, quæ omnia cum summa facilitate efficere potest, nec enim ei est difficilius mille Mundos simul, quam vermiculum vnum creare, neque in his omnibus producendis quidpiam defatigatur, sed potius cum summo gaudio, & delectatione operatur: considera Deum suo influxu quæcumq; existunt in rerum natura conseruare: causas secundas mouere, & ad tam diuersas operationes, tam naturales, quam supernaturales cum illis cooperari, ac si soli vni attēderet: huius autē omnipotentiæ Dei influxus adeo necessarius est, vt eo deficiēte non solum causæ omnes ab omni operatione cessarēt, sed & ipse continuo in nihilum redigerentur: Cogita quam hæc omnipotētia sit Deo gloriosa, & tibi proficua, & auge spem, & fiduciam obtinendi a Deo omnia quæ ad tuam salutem æternam desideras, & confidēter dic cum Apostolo: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Etenim si amas Deum, verè Deus tuus est, & consequēter eius omnipotentia tua

X est:

est: quem igitur non exhilaret, & in Deo exultare faciat hæc cogitatio: atque ad hoc sine dubio respiciebat Christus Dominus cum dixit: *Omnia possibilia sunt credenti.* *Marci 9.*

De Dei bonitate; & sanctitate: Cogita hanc esse essentialem Deo, & omnino necessariam: creaturis verò contigentē, adeoque illam esse infinitam, vt quicquid bonitatis, & sāctitatis extra illum inuenitur, guttæ quædam minutissimæ sint ab eo decidentes, nihil tamen minuētes inexhaustum pelagum suæ bonitatis, & sanctitatis: Cogita, quod cum bonū natura sua sit diffusiuum, & communicatiuum sui, necesse est infinitam Dei bonitatem esse infinitè sui communicatiuam: sanè intra ipsum Deum, Pater suam naturam cum omnibus suis perfectionibus absolutis communicat filio, & vterque illam eamdem communicant Spiritui Sancto: ad extra verò penè innumeris modis se diffundit in varias creaturas, tam cælestes, quam terrestres, quia tamen singulis finito modo se communicauerat, non eo contenta diuina bonitas, communicauit se infinitè humanitati Christi Domini vniendo illi verbum diuinum, vt eam supposìtaret, ita vt eadem persona sit verè Deus, & homo; adhuc tamen non contenta, quia hæc communicatio arctabatur ad solam humanam Christi naturā communicauit se nobis per SacroSanctum mysterium Eucharistiæ, per quam se præbens in alimentum animæ, totam suam bonitatem cum reliquis eius attributis singulari modo communicat omnibus digne illam sumentibus. Cogita hanc profusissimam suæ bonitatis communicationem, non coactè, sed liberè Deum fecisse, non sui, sed nostri commodi causa, etenim ipse nō minus Beatus, ac gloriosus esset, etiam si nihil creasset, aut alicui se communicasset ad extra, vnde discas oportet instar boni filij Deo potius seruire propter se ipsum, quam instar Mercenarij tuæ vtilitatis prætextu: discas etiam proximo benefacere absque proprij tui commodi lucro, vt sic diuinam Patris tui bonitatem imiteris, qui nulla spectata eius vtilitate, se in omnes creaturas liberaliter diffundit, solemque suum oriri facit super bonos, & malos: Cogita diligenter quantum diuina bonitas, tam secundum bona naturalia, quam supernaturalia in te se effuderit, & ad infinitas ei gratias reddendas te excita: pariterq; mirare diuinam munificentiam, qui tot bona ingratissimo peccatori conferre non fuerit dedignata. Cogita, quod cum omnis bonitas sit amabilis, & quo maior, & amabilior, certè quæ infinita fuerit, amorem promærebitur infinitum. Hunc autem cum reddere Deo non valeamus, saltem nobis vehementissimè conādum est, vt infinitam Dei bonitatem propter se ipsam ardentissime diligamus, doleamusque, quod in hoc amore tepidi adeo simus, gauden-

dentes tamen, quod defectum huius nostri amoris suppleant in patria Beati, tam homines, quam Angeli, suppleat Beata Virgo, suppleat Sanctissima anima Christi,& quod incomparabiliter maius est, suppleat increata Dei voluntas, infinitam bonitatem Dei diligens quantum in se ipsa diligibilis est: Cogita tandem, quam grauiter Deum offenderis cum infinitam eius bonitatem post posueris bonitati Creaturarũ,quibus inordinatè adhæsisti,& ex nunc incipe nouo feruore Dei bonitatem omnibus rebus creatis anteponere,& præferre, & cum illa arctissimo amoris vinculo coniungi, vt per huiusmodi adhæsionem in eam transformeris.

De diuina pulchritudine. Cogita adeo esse super omnem creatam pulchritudinem,etiam creabilem,aut excogitabilem,vt omnis creata pulchritudo in comparatione illius, quasi turpitudo censeri debeat: Cogita adeo esse excellentem, vt solum eius clara visio videntes Beatos reddat, vltimumque esse finem intellectualis creaturæ, in cuius assecutione tota eius fælicitas posita est, non solum autem eius visio beat Angelos, & homines, sed & ipsum Deum: Cogita tam vehementer attrahere diuinam pulchritudinem ad se amandam, vt necessitet voluntatem eam videntis ad diligendum illam sine intermissione per totam æternitatem,est tamen adeo casta,& pura Dei pulchritudo,vt amãtem se clare visam impeccabilem reddat, & vt multa vno verbo dicam, talis, ac tanta esse perhibetur diuinæ naturæ pulchritudo vt satiet, ac plene expleat capacissimam ipsius Dei voluntatem, quæ solum, illam amare potest quantum amabilis est: inflammetur in te desiderium hanc tantam pulchritudinem videndi,simulque excitetur in te summum odium aduersus peccatum, quod tanto bono impedit frui,ac tandem ne obliuiscaris amarè flere, & dolere, quod Dei tui infinitæ pulchritudini futilem, ac fugacissimam creaturæ pulchritudinem præferre non erubueris,quam turpiter amasti.

De diuina Misericordia,& liberalitate: Cogita adeo esse infinitam, vt omnia scelera hominum, etiam si millies, & millies sine termino crescerent, tam intensiue, quam extensiue, instar puncti esse ad circumferetiam totius orbis,multoque magis ab eo excedi, quam minutissima gutta vna ab Oceano. Cogita tantam esse Dei Misericordiam,vt ad illi satisfaciendum oportuerit Deum filium suum nobis dare, & morti turpissimæ illum tradere,quo nihil mirabilius excogitari potest ad commendationem diuinæ largitatis. Cogita, quod cum alioquin in Deo æque infinita sit Iustitia, ac eius Misericordia, frequentius tamen vtitur hac, illam vero continet, quia vtrumque cædit in maius nostrum commo-

dum: Cogita quam mirificè in institutione septem Sacramentorum Dei Misericordia se ostentauerit, cum in baptismo nos regeneret, a Diaboli seruitute educens, & ad adoptiuam filiationem nos recipiens; in confirmatione imbecillitatem nostram corroboret ad profitendam fidē Catholicam: in confessione peccatorum vulnera sanet, in Eucharistia cibo regali nutriat, in matrimonio benedictionis filios pariat, & concupiscentię remedium adhibeat; in ordine Sacerdotes instituat, qui & ministri sint Sacramentorum, & pro nobis sacrificia quotidie offerant ad placandam Dei contra nos conceptam iram: Cogita Dei liberalitatem, & misericordiam talem, vt nullum dandi, & benefaciendi finem faciat, etenim omni die, omni hora, immo, & singulis momentis opes suas effundit, multa bona producens, vel conseruans in nostram vtilitatem, & absque vllo suo lucro, vehementerque gaudet occasionem nancisci ad illa nobis communicanda: Cogita Deum, ex vna parte te innumeris beneficijs cumulare, & ab infinitis malis præseruantem etiam æternis pænis, quas non semel commæruisti; ex alia vero parte inspice te ab offensis contra liberalissimum benefactorem tuum nunquam cessantem: Cogita ad spem errigendam, hanc Dei misericordiam, & liberalitatem coniunctam esse cum omnipotētia, & hāc illi esse æqualem, quod nisi ita esset, exiguum præsidium in Dei Misericordia haberes, etenim indigentē misericordia sola parum iuuare potest, nisi cum illa simul adsit iuuandi facultas: Tandem cogita, quod si in hac vita diuina Misericordia tibi ad miserendum promptissima abutaris, consequens est, vt in futura omni dubio procul in manus vindicatiuæ Dei iustitiæ misere incidas, quam autem tremendum hoc malum sit palam docuit
Ad Heb. 10. D. Paulus dicens: *Horrendum est incidere in manus Dei.*

De Iustitia Dei: Cogita primum remuneratiuam Iustitiam bonorum operum, tam excellentem esse in Deo, vt danti solum po-
Matt. 10 tum aquæ frigidæ ob eius amorem vitam æternā promiserit: quid quæso faciet heroica alia virtutum opera exercenti, vindicatiuam vero cōsideratalem esse, vt nullum minimum peccatum vltricem eius manum effugere possit, nisi illud comisisse dolueris, & pro eodem satisfeceris: peccatum autē mortale solo corde commissum absque eo, quod in externum opus prodeat, æterna pæna sensus punit, & quod terribilius est perpetua pæna damni, quæ in priuatione Dei clare visi vltimi finis intellectualis Creaturæ consistit, quæ duplex pæna adeo grauis, & horribilis est, vt quemadmodum D. Pau-
1. Cor. 2. lus ad declarādā magnitudinem gloriæ dixit: *Oculus non uidit, nec auris audiuit, neque in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se.* Sic omninò oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis

minis

minis ascendit, quæ Deus supplicia præparauit peccantibus in illū. Cogita tandem toties diuinam iustitiam potuisse iustissimè te in Inferni baratrum detrudere, & ad perpetuam damni, & sensus pœnam, damnasse, quoties in peccatum aliquod mortale prolapsus es, & infinitas gratias age Patri misericordiarum, qui ita dignatus fuerit, gladium diuinæ Iustitiæ in vagina suæ misericordiæ continere, vt summæ tuæ miseriæ consuleret ne in æternum, summo, & infinito tuo bono priuareris, & æternis flammis addictus æternos cruciatus sustineres.

De Dei amore erga nos. Cogita primo, in eo valde splendere ardentem Dei amorem erga te, quod quando actualiter eras eius inimicus, propter peccata lethalia à te cōmissa, ipse nihilominus, non solum multis beneficijs naturalibus, sed quod mirabilius est, etiam supernaturalibus te cumulauit, etenim præter quam in te conseruauit fidem, & spem, in quibus alios iacturam facere permisit, & super naturales Caracteres animæ impressos custodiuit, sæpe mentem tuam illustrauit, & voluntatem inspirauit ad conuersionē, & auxilia efficacia, quæ alijs propter pauciora peccata denegauit, tibi liberaliter concessit: insuper etiam sustinuit te in multa patientia cum facile potuisset ad æternas flammas te mittere, passusq; fuit se multifariam multisque modis à te grauiter offendi tēpus tuæ conuersionis clemēter expectans: Cogita amorē Dei erga te excedere amorem Patris ad filios, sponsi ad sponsam, amici ad amicum, & quęcumque alium amorem creatum, ita vt nec tu ipse tantum te diligas, quātum ipse te amat, cuius euidēs signū est, cum numquam tu talia sustinueris pro tua salute, qualia ipse sustulit pro ea: Cogita deinde magnitudinem diuini amoris facilè innotescere ex magnitudine beneficiorum, quæ tibi contulit prædestinationis, vocationis, iustificationis, incarnationis, passionis, & ignominiosæ mortis, Eucharistię, & aliorum Sacramentorum, nec non aliorum specialium beneficiorum, absque numero, quæ tibi soli contulit maximæ præseruationis à multis peccatis, in quę alios cadere permisit, necnon à morte æterna quam sæpe meruisti: Cogita insuper quam fæcundus sit Dei amor: noster autem tam infęcundus, vt bonum illud quod volumus alicui sæpe non valeamus ei impendere: Dei autem amor quodcumque bonum absoluta voluntate vult alicui, continuò illud efficaciter præstat ei: imitetur ergo amor tuus amorem diuinum, vt sicut ille generosus, & fæcundus est in beneficijs tibi conferendis, ita & tuus liberalis sit in bonis operibus, Deo, & proximo incessanter exhibendis: Cogita præterea amorem diuinum esse causam omnium rerum, ipse autē à nemine est causatus, vnde necesse est, vt omnia bona, tam ordinis

nis

nis naturalis, quam supernaturalis tamquam eorum origini, & au-ctori ei tribuantur, tandem exerce varios actus amoris rependens amorem huius Dei amore cordis tui: iustum est enim vt te prius amantem redames, & vt Deo cor suum tibi donanti integrũ, cor tuum illi redones.

De Dei inuisibilitate, incomprehensibilitate, ineffabilitate, & affabilitate hæc in mentem reuoca. Primo cogita de eius inuisibilitate Deum tuum excellentem adeo, & eleuatum esse habere, vt a nulla creatura quantumcumque pespicacissimi intellectus videri possit, nisi ipse dignetur illam eleuare mentem eius confortans, & vigorem præbens, vt illum clarè prospicere possit, sicuti est in in se, atque propter hanc præcipuè rationem Deus vocatur absconditus, & dicitur lucem habitare inaccessibilem, quia à nulla Creatura quantumcunque magno mentis acumine polleat virtute sua naturali videri potest: Cogita, quod quamuis Deus intellectum creatum intensissimo lumine gloriæ perfundat, adhuc ab eo comprehendi nequiret, quia diuina natura vt comprehẽdatur postulat intellectum infinitæ perfectionis, & infinitum adhibere conatum ad totaliter adæquandam, & exhauriendam omnem Dei cognoscibilitatem, quod soli Deo conuenire potest: Cogita hinc oriri Deum esse ineffabilem, quia cum mente, quantumcumque etiam diuinitus eleuata, non possit comprehendi, consequens est, nec verbis quẽpiam ea pro dignitate effari posse: solus ergo Deus, sicut infinitam suam perfectionem comprehẽdit, ita solus eãdem plenè effari potuit, non tamen verbo creato, sed increato, p quod semel locutus est ad intra: Tandem cogita, quod quamuis Deus alioquin sit ineffabilis, vt diximus, est tamẽ summè affabilis, eiusq. affabilitas ex multiplici capite deprehendi potest. Primo, quia ille censetur affabilis, qui alios ad se frequenter colloquendum inuitat; Deus autem per filium suum docuit nos illum orare, & ad col-

Lucæ 18. loquendum cum ipso nos hortatur, dicens, *Oportet semper orare, & nunquam deficere.* Qui autem fieri potest, vt non sit multum affabilis cui placet, vt semper cum illo colloquamur: deinde nullus vnquam Princeps adeo se affabilem præbuit suis subditis, vt omni tempore, & omni hora pateat eis aditus ad loquendum cum illo: etenim quantumuis quis affabilissimus sit, certè cum dormit, uel cum vigilans impensè alicui negotio vacat, omnino impeditus est, vt quispiam cum illo colloqui possit, Deus autem cum somni sit incapax, & vigilans non impediatur multitudine negotiorum, quominus æquè attendat ad singulorum verba, & petitiones ac si vnus solus cum eo loqueretur, certè nullum est momentum, in quo non liceat cum Deo per orationem effari: deinde

tunc

tunc censetur Rex maximè affabilis erga aliquem aulicum, cum illi clauem auream credit, qua liberè possit omni tempore Ianuã Regij cubiculi aperire, vt cum eo familiariter agat: sanè hoc genus affabilitatis non desideratur in Deo nostro, cum nobis omnibus auream clauem orationis dederit, per quam omni tempore nullo excepto possumus cælos aperire, & cum Deo colloqui, neque adsunt Ianitores, aut cubicularij, qui ingressum ad eum tibi impediant, sicut frequenter accidit in domibus principum huius sæculi: Tandem inauditum est, Principem aliquem ita affabilem suis subditis se exhibuisse, vt accedentes omnes ad colloquendum cum illo toties eos beneficijs cumulet, quoties cum illo confabulantur: Dei autem nostri affabilitas adeo excellens est, vt toties iustos gratiæ, & charitatis augmento remuneret, quoties cum illo per orationem confabulantur; hæc si alta mente perpenderis, fieri non poterit quin ex vna parte vehementer doleas, quod tot occasiones omiseris, in quibus, si cura tibi fuisset non amittendi tempus, potuisses cum Deo frequenter colloquutum fuisse, magnosque ex confabulatione cum illo fructus percepisse: & ex alia summopere gaudeas, ita Deum se tibi affabilem exhibere, vt familiaritate tua vti velit, & ad illam te inuitet, & omni tempore aditus tibi pateat ad confabulandum cum Deo suo. Et ex alia tãdem erubescas, & confundaris, quod cum alioquin longa cum hominibus confabulatio breuis esse tibi videatur, breue tamen vnius horæ spatium in oratione consumptum lõgissimum tibi fiat, dulcius & gratius ducens cum Creaturis, quam cum Creatore amicabiliter confabulari.

De supremo Dei dominio. Cogita quantum differat diuinum dominium ab humano, hoc creatum, illud increatum, hoc aduentitium per hæreditatem, electionem, emptionem, vel pugnam, illud omnino naturale: istud dependẽs multiplici depẽdentia, tum a Creatore, tum à Creaturis, illud omnino indepẽdens ab alio, hoc superiorem recognoscens, scilicet Deum vt minimum: illud cum sit supremum nullum recognoscit supra se, nec æquale sibi: istud corruptibile cum morte finiatur, illud vero sempiternum, hoc defectibile, illud indefectibile. Cogita deinde nullum adeo supremũ Dominium in Creaturis inueniri posse, in cuius libertate sit, dominium suum augere quantum velit, Deus autem sicut liberè potest sine numero plures, & plures Mundos creare sine termino, ita potest absque limite suum actuale dominium augere. Cogita quam multum intersit, inter seruire Deo supremo Domino, & seruire Dominis creatis, cum seruire Deo regnare sit, hominibus vero remigare. Cogita etiam quam inæqualis sit horum dominorũ

libera-

liberalitas, patientia, & præmij largitio pro seruitute sibi facta, & inde facilè conijcies, quam fælix sit sors eorum, qui huic supremo
Psal. 15. Domino famulari desiderāt, dic Domino, quod Dauid: *Seruus tuus sum ego.* Multiplici titulo tu Dominus meus es, te solū supremum meum Dominum recognosco, tibi soli inseruiam per totam ęternitatem, vehementerque doleo, quod cum semper potuissem tuę seruituti subesse, ita degeneraui, & insaniui, vt seruituti vitiorum me adigerem, & te supremo Domino neglecto, tot Dominos mihi elegi, quot vitia in me dominata sunt: doleo tandem summam meam dementiam, quod elegerim potius esse sub Dominio, & possessione Diaboli infæstissimi hostis generis humani, quam sub Dominio dulcissimo Dei Creatoris mei.

De immensitate Dei, vbi de memoria diuinæ præsentiæ.

§. IV.

DE Dei immensitate cogita. Primo Deum ratione illius, ita esse vbique, vt contradictionem implicet, rem aliquam esse in rerum natura, & Deum intime non exister in illa per suā propriā substātiam, in te ergo adest præsens diuina Dei natura, adsunt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: itaque intra te ipsum habes infinitam Dei bonitatem, infinitā pulchritudinem, infinitā Sapientiā, & Potentiam: Et quocumque te conuerteris, aut contuleris ibi
Ps. 138. adest Deus tuus, vnde Dauid dicebat: *Quo ibo a spiritu tuo? & quo a facie tua fugiam? si ascendero in cælum tu illic es, si descendero in infernum ades, si sumpsero pēnas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me manus dextera tua*: Considera deinde, quod cum Deus vbique sit, vbique respicit omnes nostras operationes, vnde impossibile est bonum aliquod, vel malum operari, quod subterfugiat diuinum eius conspectum Daui-
Ps. 118. de dicente: *Omnes viæ meæ in conspectu tuo.* Vnde Salomon ait. *In om-*
Prou. 15 *ni loco oculi Domini contemplantur bonos, & malos*: Veritas hæc si altamente perpendatur sufficere deberet ad terrendum homines ab omni genere peccati, cum indignum sit, vt id, quod in conspectu alterius hominis non faceres, in diuinæ tamen maiestatis conspectu efficere non erubescas; cæterum quia ex memoria diuinæ pręsentię magna ex parte dependet reformatio animę peccatricis, & profectus eius spiritualis, ac facilior vsus orationis mentalis, qui pręcipuus scopus est huius opusculi: placet longius in ea immorari; & quidem, vt ad hoc Sanctum exercitium semper ambulandi in conspectu Dei animos illiciam, mirabiles eius fructus ante oculos

los

los prius ponam, deinde varios modos assignabo ad facilius conseruandam hanc Dei præsentiam, tam tempore orationis, quam extra illud. Primus fructus est, quod Dei præsentia infrænat peccatorem ne audeat quidquam obscænum in oculis Dei committere, coercet concupiscentiam, sensus, & membra compescit ne contra Deum insurgāt. Susanna, Dan. 5. sola recordatione diuinæ præsentiæ corroborata, grauissimam lapsus carnis tentationem vicit, & Dauid ea munitus multa peccata vitabat: *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper quoniam à dextris est mihi ne commouear:* Non solum autem opera mala, sed & cogitationes prauas memoria præsentiæ Dei longè fugat, vt enim dixit D. Ephrem lib. de virtute tom. 2. cap. 10. Nihil peius grauiusque est quam ipsius Dei obliuionem capere. Continua enim Dei recordatione turpes animæ passiones recedunt, instar maleficorum Prætore accedente, vnde & mundum Spiritus Sancti habitaculum efficitur. Vbi vero memoria Dei ab est, ibi tenebræ cum fœtore dominantur, omnisq; res improba exercetur. Secundus est, quod incutit timorem displicendi diuinę maiestati, nam quis non timeat coram suo Iudice delinquere, quem nouit simile peccatum ęterna pęna punire solitum. Tertius est, quod componit totum hominem interiorem, & exteriorem, nam cum quis cogitat summam Dei Maiestatem sibi adesse pręsentem in omni tempore, continuò modestè, & compositè se gerere curat; Sicut è contra defectus huius diuinę præsentiæ liberiorem reddit hominem ad peccandum, vt adnotauit Dauid Psal. 9. *Non est Deus in conspectu eius, inclinatæ sunt uiæ eius.* Vnde D. Thom. opusc. 58. cap. 2. *Si Dominum præsentem, & omnia uidentem, & iudicantem semper haberemus, aut uix, aut nunquam peccaremus.* Quartus est, quod memoria diuinæ præsentiæ excitat animam ad sanctas cogitationes, & inflammatos affectus, vt ad colendum illum, inuocandum, amandum, & cum eo colloquendum. Quintus fructus est, quia hoc ipso, quod quis Deum habet præsentem in omnibus suis vijs infallibiliter Deus diriget eum in omnibus illis, ne aberret ab vltimo fine, vt ipse per Salomonem promisit: *In omnibus tuis vijs cogita illum, & diriget gressus tuos.* Sextus est, quod mirum in modum diuina præsentia animam recreat, vt dicitur 2. Machabæ. 2. cap. vltimo: *Præsentia Dei magnificè delectati:* Idque frequenter experiuntur, qui sollicitè huic sancto exercitio vacāt. Tertius est, quod vehementer excitat animam Dei præsentia, vt bona opera ab ea fiant exactè, & cum omnibus debitis circunstantijs, etenim ad placendum hominibus, qui non vident nisi superficiem, sola apparentia sufficere potest, ad placendum tamen Deo, qui perfectissime penetrat valorem operum, & intima cordis, oportet non admisce-

Psal. 9.
D. Thom.
Prou. 3.
2. Mach. 2. c. ult.

re cum illis imperfectiones, quæ displicent diuinis oculis, & in vniuersum, ex diuina præsentia virtutes omnes animantur, & quasi nouas vires recuperant ad Heroica opera exercenda, præcipuè tamen recta intentio exercetur, operando, non in conspectu hominum applausum eorum captando, sed in conspectu Dei cui soli placere satagis, & a quo solum præmium expectas. Octauus est, quod diuinæ præsentiæ recordatio vires, & fortitudinem præbet ad debellandos hostes non solum spirituales, sed & temporales;
Iud. 7. etenim Gedeon, vt legimus Iudicum 7. Dei præsentia multiplici signo confirmatus Madianitas fæliciter debellauit, eademque co-
2. *Mach.* gitatione armatus Iudas Machabæus, vt habetur Machabæ. 15.
15. clarissimam de potentissimo Nicanore retulit victoriam. Nonus fructus est, quod est compendium ad perfectionem aquirendam; vnde Deus Abrahæ ad eam obtinendam, non aliud ei patefecit,
Genes. 17 quam diuinæ præsentiæ memoriam: *Ambula coram me, & esto per-*
Prou. 3. *fectus*: Ad id ipsum etiam omnes nos hortatur: *In omnibus tuis uijs co-*
Ad Heb. *gita illum*: Et D. Paulus laudans Moysem dixit ad Heb. 11. *Inuisibilem*
11. *Deum tanquam uidens sustinuit.* Et Tobias consilium hoc tanquam
Tob. 4. rem magni momenti in hæreditatem reliquit filio suo dicens ei: *Omnibus autem diebus uitæ tuæ in mentem habeto Deum.* Vnde D. Gregorius Nazianzenus oratione de cura pauperibus præstanda dixit: *Non tam sæpe respirare oportet, quam Dei meminisse. Deus enim perpetuò, & continenter nobis benefacit, in esse conseruare, & necessaria ministrans. Nam si, uel minimo momento oculos a nobis remoueret in nihilum redigeremur, sicut imago nostri in speculo apparens in nihilum redigitur, quam primum nos loco mouemus: & sicut calor ab aqua recedit, quoties ab igne, uel Sole remouetur. Ut corpus animæ, rami arboris trunco solares radij soli uniti, ut ab illis uirtutem suam trahant, esse debent: ita mente semper Deo uniti esse deberemus: Accedite ad eum*, ait Prophæta, *& illuminamini, & facies uestræ non confundentur.* S. Bernardus in Epist. ad fratres de Monte Dei exponens verba illa Apostoli ad Thimotheum: *Exerce te ipsum ad pietatem, nam corporalis exercitatio ad medicum utilis est: pietas autem ad omnia utilis est. Pietas*, inquit, *hæc est ingis Dei memoria continua intentionis actio ad intelligentiam eius, indefessa affectio in amorem eius, ut nulla unquam inueniat seruum Dei, non dicam dies, sed hora, nisi uel in exercitij labore, & proficiendi studio, uel in experientiæ dulcedine, uel fruendi gaudio.* Hactenus ille. Vltimus est, quod præsentia Dei beatificat homines ea Beatitudine, quam patitur terrena hæc inhabitatio, nam si
3. *Reg.* 10 Regina Sabba veniens ad Salomonem cuius faciem videre desiderabat, omnis terra cum primum coram illo astitit dixit: *Beati serui tui, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam.* Quanto beatiores, & fæliciores se existimare debent, qui adstant in conspectu

sui

sui Creatoris, eius dulci præsentia fruentes.

Cæterum, vt ad varios modos diuinæ præsentiæ veniam, cogita quinque modis Deum adesse præsentem homini. Primus est communis cunctis creaturis, in quibus omnibus, & singulis adest per essentiam, hoc est per propriam substantiam omninò indistantem ab ipsa creatura, per præsentiam, quatenus clare intuetur illam, & quicquid illa operatur, per potentiam, tandem conseruando illam, ac mouendo, & cooperando cum illa, quoties aliquid agit.

Secundus modus communis est omnibus iustis, & solis illis in quibus inhabitat per inhærentem gratiam, & Charitatem, ita quidem, vt si per impossibile intelligeremus ante infusionem gratiæ Deum non adesse homini ex tui tamen infusionis talis gratiæ, & Charitatis reuera adesset iuxta promissionem Christi: *Si quis diligit* *Ioan.* 14. *me, diligetur a Patre meo, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.*

Tertius modus diuinæ præsentiæ est, quando Deus aliquem singularem diuinæ suæ gratiæ fauorem animæ impertitur, eius mentem illustrando, voluntatem inflammando, tunc enim intelligitur Deus visitare animam, & ratione illius de nouo fieri illi præsens.

Quartus modus diuinæ presentiæ est per Incarnationem verbi Diuini, etenim licet per illam verbum diuinum cum sola humanitate Christi suppositaliter se vniuerit, Christus tamen Dominus ex Empyreo cælo clara, & intuitiua cognitione, etiam in quātum homo, nos omnes intuetur, & nostras operationes sibi præsentissimas habet, nec cessat nobis assistere, tanquam Aduocatus apud Patrem, tanquam Magister, Gubernator, Medicus, Pater, & Protector. Vltimus tandem modus diuinæ præsentiæ erga homines est per mysterium Eucharistiæ, de quo Christus Dominus dixit. *Ecce vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.* *Matt.* 28

Ad fouendam igitur, & continuandam, quantum humana fragilitas Dei auxilio suffulta patitur memoriam diuinæ præsentiæ, oportet in varios actus: tam intellectus, quam voluntatis prorrumpere, quos vt facilius exercere possis eos hic appono.

In primis, quoad intellectum spectat, reuoca frequenter in memoria aliquem ex quinque modis supra tactis quibus Deus adest nobis: exerce actus, fidei, quibus firmissime credas Deum tibi esse præsentissimum, & quod quemadmodum anima inuisibilis dat esse corpori, vitam, & operationes: ita Deus adest tibi, dans esse, potentias, & operationes iuxta illud Pauli: *In ipso enim uiuimus, & mouemur, & sumus.* *Act.* 17. Et illud Senecæ alioquin Ethnici, qui Epist. ad Lucillum dixit: *Prope Deus est, tecum, est bonorum, & malorum nostro-* *Seneca.*

rum obseruator est, meditationi si animã assuefeceris, oẽs creaturæ, & oẽs earũ virtutes, & actiones, excitabũt te ad memoriã tui Creatoris. Tertius est, vt cogites Deũ te vndique circundare, vt dixit Da-
Ps. 124. uid: *Dominus in circuitu Populi sui.* Vnde necesse est, te semper intra Deum viuere ad eum modum, quo pisces in mari nascuntur, sustentantur, & mouentur absque eo, quod ab illo egrediãtur, egressus enim ab eo interitum eis parit: ita, & homines intra immensum mare viuunt, conseruantur, aluntur, & mouentur, extra illum autem necesse est pereant. Cogita te intra Deum, instar infantis, intra maternum vterum, hac enim comparatione vsus est Dominus per Isaiam: *Qui portamini ab vulma mea ego ferram, ego portabo usque ad senectam, & senium.* Vnde sicut infans intra matris vterum delitescẽns, recipit ab ea esse cui tam, nutrimentum, & augmentum, & mater est velut ferculum illius, baiulans eum in varias partes, & venter eius se habet instar muri, & scuti infantem protegentis, vt nullus illi nocumentum inferre possit, quin prius matrem offendat, ita & nos intra Deum commoramur, & intra ipsum quiescimus, vigilamus, mouemur, laboramus, & dormimus, & aduersus nostros hostes instar muri fortissimi se opponit, adeò, vt dicat:
Zach. 2. *Qui uos tangit, tangit pupillam oculi mei.* Quarto. Cogita Dei præsentiam ita se habere respectu tui, ac aqua respectu Spongiæ, vt loquitur Augustinus, in illam immissæ, sicut enim Spongia non solũ circuitur vndequaque ab aqua, sed intra se tota plena est aqua: ita non solum Dei Maiestas, vndique nos circuit, sed intra nos reuera inhabitat, & penetralia animæ, & corporis, ingreditur, & in eis permanenter habitat: Cogita quinto. Animam tuam esse velut
D. Paul. templum Dei, vt loquitur D. Paulus, cor tuum trhonum illius, in
1. Cor. 3. quo ipse gaudet inhabitare, ipso dicente: *Delitiæ meæ esse cum filijs*
Prou. 3. *hominum*: Ex quo euidenter colliges Deum tuum intra te quærendum, quis enim insignem magistrum, aut peritissimum Medicum domi secum habens, foras illum quærit. Cogita sexto, quam indignum est, vt cum Deus tui perpetuo recordetur, tu illius semper obliuiscaris, cum & alioquin ipse nihil tui indigeat, tu autem multum per omnem modum illius egeas. Quod vero attinet ad actus voluntatis hi præcipue sunt frequentandi. Primus est inuocatio diuini adiutorij, colloquendo cum Deo, nunc vt Patri, nunc vt amico, nunc vt Domino, vt continuo te protegere dignetur, &
D. Aug. non auertat oculos suos a te, atque hinc est, quod orationes iacula-
epist. 102 toriæ, vt loquitur D. Augustinus, quæ instar sagittæ feriunt cor di-
ad Prob. uinum, mirum in modum laudantur a Sanctis Patribus, & præser-
Cassian. tim à Cassiano in Collationibus lib. 2. cap. 2. & 14. vbi multa æneo
Psal. 64 mia adducit illius versiculi: *Deus in adiutorium meum intende, Domine*

ad

ad adiuuandum me festina. Secundus affectus est desiderium ardens ambulandi semper coram Deo, & nunquam obliuiscendi diuinam eius præsentiam, nam, vt dixit Diuus Augustinus, sicut nullum momentum est, in quo non gaudeat anima diuina liberalitate, tam in bonis, quæ conseruat, quam in malis, a quibus præseruat: ita nullum momentum præterire deberet, in quo huius tam frequentis benefactoris sui obliuisceretur. Tertius affectus est vnitiuus voluntatis, cum Deo, quem præsentem intuetur gaudens simul, & admirans de vniuersali Dei præsentia in omnibus rebus, gaudens insuper, quod possideat suum Creatorem, & illum coniunctissimum sibi habeat. Quartus affectus est desiderium summæ puritatis, qualem decet habitationem Sanctissimæ Trinitatis in te commorantis. Quintus est, contemptus ex corde omnium creaturarum cum intra te Deum possideas in quo sunt omnia, & qui est super omnia, & à quo omnia bona velut à perenne fonte dimanant. Sextus hicque valde familiaris, & frequens esse debet, adorare, & reuereri vbique Sanctissimam Trinitatem, quam fide diuina præstantissimam esse credo. Septimus gratiarum actio, nam sicut vbique beneficia Dei recipimus à Deo Optimo Maximo, ita verè dignum, & iustum est, ei semper gratias agere, vt canit Ecclesia in Præfatio. Vltimus est multiplex petitio nunc, vt illuminet mentem, nunc vt inflammet voluntatem, nunc vt ab imminenti malo retrahat, nunc vt carnis petulantiam compescat, & similia, prout necessitas postulauerit: remedia autem ad continuandam memoriam diuinæ præsentiæ multa adhibent perfectionis Magistri: Ego nullum efficacius reperio, quam feruentem erga Christum amorem, nam si verum est, quod anima amans, magis est vbi amat, quam vbi animat, eo ipso, quod anima feruēter amet Christum, magis erit in illo, quam in corpore: maximè, quod si Christo Domino dicente: *Vbi est Thesaurus tuus, ibi erit cor tuum*: Necesse est, vt, qui præ amoris magnitudine totum suum Thesaurum putat esse Christum, circa illum occupetur cor eius, de illo cogitans, illum amans, illum totis suis præcordijs amplectens, quia tamen pauci hoc ardente amore erga Christum flagramus, opus est fragilitati nostræ aliqua subsidia ministrare, vt diuinæ præsentiæ memoriæ facilè assuescat: inter hæc Primum est, vt quoties quodcumque Cymbalum pulsari audit, illud accipiat, vt signū, & imperium diuinum, vt recordetur Creatoris sui: quidam vtuntur annulo, aut aliquo alio familiari extrinseco signo destinato ad excitandam mentē, vt recordetur Dei sui, habetque hoc remedium fundamentum in verbis ipsius Dei, qui Deuteron. 6. commendās continuam memoriam suorum mandatorum dixit: *Ligabis ea quasi si-*

D. Aug. in Man. c. 29.

Matt. 21

Deut. 6

si si-

si signum in manu tua, eruntque, & mouebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine, et ostijs domus tuæ. & num. 15. Deus ipse ita locutus est ad Moysem: *loquere filijs Israel, & dices ad illos ut faciant sibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vittas iacyntinas, quas cum uiderint recordentur omnium mandatorum Domini, nec sequantur cogitationes suas.*

Alij illud remedium adhibent, mysteria vitæ, & passionis Christi per dies, vel per horas distribuunt, considerantes Christum Dominum velut infantem in cunabulis, velut puerum parentibus subditum, vel fatigatum ex itinere, vel ad populum concionantem, vel aliquid ex his, quæ narrant Euangelia operantem, vel certè in Horto orantem cum tristitia, & ingenti agonia sudorem sanguineum emittentem, vel captum tanquam latronem, vel ad varia Tribunalia ductum, vel alapam, & alias iniurias sustinentem, vel flagellatum, vel spinis coronatum, vel crucem baiulantem, vel ex crucis ligno pendentem, viuum, deinde mortuum, vel tandem è sepulchro resurgentem, & super verticem supremi cæli, cum summa gloria ad dexteram Patris considentem, vel ad eumdem in varijs hostijs consecratis mirabili, ac ineffabili modo realiter præsentem, vt faciebat Seraphicus noster Pater Franciscus.

Alij illo vtuntur remedio, vt ex operationibus suis, vel alienis ansam sumant ad eleuationem mentis in Deum, vnde deuotissimus Lanspergius in Inquiridione cap. 10. dixit: *Ex omnibus, quæ uides, quæve audis, disce orandi sumere occasionem*, vt exempli gratia, cum te induis vestimentis, postula à Domino, vt nudam animam tuam, diuinæ gratiæ, & virtutum vestibus te induere dignetur: cum expolias te indumentis tuis, reuoca in mentem Christū Dominum, quando expoliarunt illum, non vt iret dormitum ad quiescendum in molli lectulo, sed vt iaceret in ligno Crucis, vel postula ab eo, vt expoliet te vitijs, & concupiscentijs tuis: cum etiam abluis manus deprecare Deum emundet cor tuum, *Laua me ab iniquitate mea, uel cor mundum crea in me Deus:* Cum ades prandio postula à Deo, vt sicut corpus reficit, ita mentem cibet, vel in mentem reduc cibum illum, quo cibantur Beati in mensa Dei, sicut faciebat Abbas Isydus, qui cum ad mensam acumbens ploraret, interrogatus de causa sui fletus respondit, *Ploro, quia corruptibili cibo utor, qui creatus sum ad cælestem Angelorum cibum manducandū:* vel certè cum cibum sumis gratias age Deo, qui te alit, & omnia, quæ tibi apponuntur in vtilitatem tuam ipse tibi creauit, ita monet D. Augustinus dicens: *Si quid manducas, & bibis, & Deo gratias agis, tunc tuus cibus, & potus laudant Dominum:* Si tempore hyemis

Lansper. *Psal. 50.* *Refert Blosius i reg. sper. cap. 28* *Aug. de verb. Do.*

ad

ad ignem accedis, certè cogitans te calefaciendi, & frigus expellendi causa ad illum appropinquare, facilè conijcies multum per omnem modum, & oportere ad Deum, qui ignis consumens approximari, vt te calore sui amoris accendat, & peccatorum tuorum glaciem dissoluat: hoc exercitio vtebatus Sanctus Fulgentius, de quo narrat Surius, quod cum venisset Romam, videns pōpam, apparatum, & splendorem, Senatus Romani, conuersus ad socios dixit, *Quid quęso fratres erit cęlestem Hierusalem uidere, si huius Senatus gloria ita oculos recreat*? Et, vt vno verbo dicam, nulla ita abiecta operatio exerceri potest ab homine iusto, à qua non liceat mētem in Deum eleuare, nam etiam cum quis honesto ludo recreatur, si perdat, facilè ad Deum conuerti potest dicens, parum refert Domine omnia perdere, si te lucrifaciam, si vero gaudens lucratur, recordetur, quam excellentius gaudium, & quam eleuatior, ac purior recreatio erit illa cum lucratus fuerit præmium æternū sibi promissum, atque hinc est, quod extaticus ille vir Beatus Pater Fattor ordinis nostri ita memoriæ diuinæ præsentiæ continuo vacabat, vt etiam intrans quemdam immundum locum, auditus fuerit dicere, *etiam tu Domine ades hic?* Alij illud vsurpant remediū, vt nullum opus facere incipiant, quod non referant in Deum tanquam in vltimum finem, rectificando intentionem suam, uolentes illud facere, vt pure placeant Diuinæ Maiestati, etiam si nullū præmium expectarent, aut propter omissionem puniendi non essent; finito vero opere, si quid laudabile operati sunt, id Deo tribuunt, defectus verò admixtos sibi adscribūt, & in conspectu Dei verecundantur, & confunduntur, quod nihil vsquequaque dignū eius conspectu operentur; ac tandem quidam spirituales viri ex omnibus, quæ operantur, & per sensus percipiunt tria eruunt confusionem, gratiarum actionem, & petitionem, estque facillimū hoc exercitium, & vtilissimum, verum quia multi impossibilem arbitrantur continuam hanc Dei memoriam, dicentes sæpe non esse compossibilem cum multis actionibus humanis: nam cum quis alicui studio vacans speculatur, vel cum quis negotia alioquin licita tractat, & cum hominibus sermonem inijt, vel concionatur, vel legit, vel disputat, non potest simul colloqui cum Deo, huic obiectioni in hunc modum satisfacio: operari opera nostra in conspectu Dei, & continuam habere eius præsentiam fit, vt supra diximus, per actus intellectus, & voluntatis, quamuis ergo vacans prædictis occupationibus interioribus, vel exterioribus non possit simul discurrere circa Deum, & varios actus amoris circa ipsum exercere, potest tamen simplici quadam notitia fidei absque vllo discursu, cogitare sibi præsentem Deum, in cuius conspectu

Fulgent.

Sur. to. 1

ſpectu operatur: poteſt etiam ſimul illa opera operari ex impe-rio charitatis, & ex formali relatione in Deum, vt nuper dicebam, & ſic cenſebitur coram Deo, non ceſſare ab eius amore, nec diſcedere ab eius præſentia, in quo ſenſu apte intelligi poſſe au-
Lucæ 18: tumo verba Chriſti Domini, *Oportet ſemper orare, & numquam deficere:* Qui enim ſemper bene operatur ex imperio Charitatis, hic proculdubio cenſetur ſemper orare, & numquam deficere.

PRAXIS ORATIONIS MENTALIS.

Liber Quintus.

De modo exercendi in Oratione varios actus virtutum, seu excitandi in voluntate multiplices earum affectus.

CVm hucusque de actibus ad intellectum pertinentibus egerim modum discurrendi in omnibus materijs spiritualibus per causas practicè tradens, hoc est efficientem, formalem, materialem, & finalem, deinde per proprietates ex natura rei dimanantes, per accidentia illam concomitantia, per varios illius effectus, ac tandem per circunstantias loci, temporis, & similium, quibus obiectũ meditationis circundatur, reliquum est vt de actibus, seu affectibus voluntatis, & de praxi, & modo illos exercendi sermonem instituam cum reuera isti sint præcipua pars orationis, vel certè vt verius iudico tota eius substantia, quia tamen multi vel ex hæbetudine intellectus nesciunt discurrere, vel ex speciali dono Dei non indigent discursibus ad hoc vt in varios affectus prorũpant, sed ad id contenti sunt simplici rerum supernaturalium cognitione, qualis habetur per fidem diuinam, vt enim dixit Christus Dominus Ioan. 7. *Qui credit in me flumina de ventre eius fluent*, idest varij affectus ex voluntate: etenim queẽadmodum cum ex sylice ferro percusso prosillit scintilla, siccam inflammat escam, ita cum mysteria fidei nostræ instar sylicis, non terrenum, sed cæleste ignẽ

abſconditum contineant, ſufficit per firmam fidem fortiter illa contingere, vt inde flammigeri affectus ſcintilla proſilliens, ſiccam voluntatem continuò accendat, vt orationi vacantes quotidiè experiuntur. Atque idcircò oportebit, vt prius, quam de affectibus agamus, non nihil de actibus fidei diuinæ per compendium diſſeramus, vt ad præſens inſtitutum ſpectat, maximè cum neceſſarium ſit prius Deo credere, quam illum amare, & per legis diuinæ cuſtodiam eius mandatis obſecundare; Aduertendum tamen eſt hos omnes affectus, quos hic apponemus, quamuis non poſſint quoties quis vacat orationi exerceri, eligendos tamen eos eſſe, qui magis congruunt myſterio erga quod verſatur oratio ipſa mentalis.

De Actibus Fidei Diuinæ.

§. I.

ANtequam proprios actus fidei diuinæ apponam, oportet præmmittere varia adminicula ad facilius, & promptius credendum omnibus, & ſingulis miſterijs fidei catholicæ: hęc ſunt prædicationes, ſeu vaticinia Prophætarum, multitudo myraculorum, quæ in confirmationem fidei diuinæ patrata ſunt, teſtimonium Sāctorum Martyrum, qui pro illorum confeſſione libenter mortui ſunt, puritas, & ſinceritas legis Euangelicæ, mirabilis eius cum ratione concordia, myſteriorum omnium, quæ continet doctrina Chriſti Domini, ſumm. conſenſio, mundi conuerſio per tam varias totius orbis regiones, propagatio fidei per Apoſtolos ignobiles, & inermes, mira fidei efficacia in afficiendis, & mutandis animis, ſanctitas, & doctrina illorum, qui fidem nobis tradiderunt, vita illibata eorum, qui eam recipientes, eius mandatis ſe coaptarunt, ſumma ſtabilitas Eccleſiæ inter perſecutiones, iacturæ variæ eorum, qui eam expugnare ſatagerunt, ac tandem antiquitas ſacrorum librorum: ſanè ad hęc quicumque reſpexerit admirans dicet illud Dauidis: *Teſtimonia tua Domine credibilia facta ſunt nimis.* Quia tamen non ſufficit agnoſcere credibilitatem myſteriorum fidei, ſed actu illis aſſentiri, quia reuelata ſunt à Deo prima veritate, quæ eſt formalis ratio fidei diuinæ, idcircò aſſuefieri debet orationi vacans actus fidei exercere circa myſteria, quæ ſpectant ad diuinitatem, & humanitatem Chriſti Domini, & ſimilia alia, vt ſi quis exempli gratia velit orationem habere circa myſterium Incarnationis verbi diuini, in principio orationis exerceat hũc actum, firmiſſimè credo Domine, quia tu ita reuelaſti, & quia

Pſal. 92.

Eccle-

Ecclesia Catholica, quæ propter assistentiam Spiritus Sancti, nec fallit, nec fallere potest, credo inquā verbum diuinum humanam carnem sumpsisse ex Virgine Matre, atque adeo duo extrema, tam distantia, qualia sunt Creator, & creatura, diuinitas, & humanitas, in eandem personam Verbi conuenisse: huic veritati ita tenaciter adhæreo, vt certior illa mihi sit quam sit certum adesse, quod oculis video, etenim visio oculorum decipi potest, fides autem nullam pati potest deceptionem, quia primæ veritati reuelanti omninò nititur, quare non dubitabo pro confessione, & defensione huius veritatis sanguinem profundere, & mortem subire, & quoscumq; acerbissimos Martyrum cruciatus tua adiuuante gratia sustinere: potest etiam exerceri actus fidei in hunc modum, submitto cum tota simplicitate, & humilitate cordis mei, mentem meam Deo Optimo Maximo, per Scripturam, per Ecclesiam, per tradditiones, & per Pontificum Romanorum decreta hoc mysterium mihi reuelanti, & proponenti tanquam infallibiliter verum, & omnes errores in contrarium huius veritatis execror, detestor, ac deliria esse plane iudico, atque hac ratione proportionaliter exercendi sunt actus fidei circa mysterium Trinitatis, Passionis Christi, Eucharistiæ, & similium.

De affectu spei, & fiduciæ.

§. II.

CVm spes sit virtus Theologica necesse est immediatè, & principaliter versari circa Deum, respicit autem illum, vt est obiectum Beatitudinis nostræ, ita docet D. Thomas 2. Secundæ quest. 17. art. 2. in corpore vbi hæc summa consideratione digna, tam subtiliter, quam sancte scripsit: *Dicendum quod spes attingit Deum innitens eius auxilio ad consequendum bonum speratum, oportet autem effectum esse causæ proportionatum, & ideo bonum, quod propriè, & principaliter à Deo sperare debemus, est bonum infinitum, quod proportionatur uirtuti Dei adiuuantis, nam infinitæ uirtutis est proprium ad infinitum bonum perducere, hoc autem bonum est uita æterna, quæ in fruitione ipsius Dei consistit, non enim minus aliquid ab eo sperandum est, quam sit ipse cum non sit minor eius bonitas, per quam bona creaturæ communicat, quam eius essentia.* Hæc ille; minus tamen principaliter etiam versatur spes circa omnia, quæ ordinantur ad consequendum ipsum vltimum finem nostrum, seu vitam æternam: semper autem spes hæc debet inniti diuino auxilio, nec non bonitati, largitati, & omnipotentiæ Dei, & meritis Christi, Sacramentis, & intercessioni Sanctorum, & præ- *D. Thom.*

D.Thom. vbi sup. cipue Beatæ Virginis, vnde idem Angelicus Doctor præcitato loco ad secundum ait: *Spes quidem principaliter respicit beatitudinem æternam, alia verò, quæ petuntur a Deo respicit secundario in ordine ad beatitudinem æternam, sicut & fides, principaliter quidem respicit Deum, & secundario respicit ea quę ad Deum ordinantur.* Hactenus D. Thomas: non solum autem per virtutem spei possumus nobis sperare vitam ęternam, & media ad illam obtinendam, sed etiam proximis, vt docuit D.Thom. vbi sup. D.Thomas præcitato loco artic.3. in corpore vbi inquit: *Præsupposita unione amoris ad alterum iam aliquis potest sperare, & desiderare alteri uitam æternam in quantum est ei unitus per amorem, & sicut est eadem uirtus Charitatis, qua quis diligit Deum, se ipsum, & proximum, ita etiam est eadem uirtus spei, quà quis sperat sibi, ipsi, & alijs.* Quamuis vero nonnulli opinentur fiduciam virtutem esse distinctam a spe falluntur, D.Thom. 2. 2. qu. 129.ar.6 vt tradit ipse D.Thomas 2. Secundæ, quæst.129. art.6. vbi ait fiduciam nihil aliud esse quam spem magis corroboratam, ad quod Seneca Ep.st.16. alludens Seneca ad Lucillum scribens dixit: *De te spem habeo, nondum fiduciam*: His ergo sic prælibatis actus spei, qui in oratione exerceri debent, sunt isti: Quamuis multoties Deus meus infernum mæruerim, fretus tamen infinita tua misericordia, ac benignitate, tuæque omnipotentiæ innitens firmissimè spero consecuturum te vltimum finem meum, pulchritudinem tuam clare videndo, te incessanter amando te perpetuo fruendo, te per totam æternitatem possidendo, ac in te tanquam in centro meo semper quiescendo, ad hoc enim me creasti, proprio tuo sanguine me redemisti, & in Ecclesia Catholica me constituisti, & à penè infinitis malis tam spiritualibus, quam temporalibus benignè me liberasti, nec enim mihi persuadeo hęc te fecisse, vt perderes me, quin potius confido, quod inceptum hoc opus ad finem vsque perduces. Secundus actus spei, & fiducię exerceri debet in hunc modum, non solum Domine spero a te beatitudinem animę, sed etiam corporis: nimirum, quod corpus hoc corruptibile, postquam interierit resurget incorruptibile, & immortale, impassibilitate, claritate, agilitate, & subtilitate, vestitum quibus donis nunquam priuabitur, pariterque spero mansionem illam ęternam in cęlesti patria in consortio humanitatis Christi, Beatę Virginis, & omnium Sanctorum, & Angelorum, cum quibus a diuinis laudibus nunquam cessabo. Tertius actus est, spero eidem benignitati, & omnipotentię tuę, ac meritis Christi Domini innitens, obtinere a te integram remissionem peccatorum meorum, extinctionem vitiorum, mortificationem passionum, victoriam tentationum, possessionem virtutum, ac intimam cum te ipso familiaritatem, quę omnia confido a te mihi elargienda quatenus necessaria agnoscis ad consequēdum

gra-

gradum beatitudinis,ad quem ex mera,ac infinita tua largitate me prędestinasti. Quartus actus est: cum ex vna parte Deus meus promiseris mihi dare vitam ęternam,& media ad eam obtinendam,& ex alia parte Christus Dominus dixerit, quod dabis nobis quicquid petierimus in nomine eius, ego certè innitens tuæ infallibili promissioni,& meritis Christi Domini spero,quod ad illum respiciens,& ad sanguinem quem pro me effudit,non negabis mihi cęlestia hæc dona, quæ desidero, maximè, quod licet mihi illa non debeas,debes tamen illa Christo Domino, cum ex iustitia illa a te promæruerit, quomodo autem difidam te voliturum præmiare merita infiniti valoris filij tui. Vltimus actus exerceri potest in hunc modum. Domine quantumcumque me tribules interius affligas exterius,quantumcumque me repellas a te,quãtumcumque permiseris efficacia auxilia tua mihi defficere, ita, vt in varia lapsus fuerim peccata,etiam si millies me occidas in te sperabo restaurandum, vt enim dixit amicus tuus Tobias percutis, & sanas, humilias,& subleuas,deducis ab inferos,& reducis.

Vt autem exciteris ad hos actus spei cum magno feruore elliciendos hæc accipe incitamenta. Primum est,quod Deus omnibus sperantibus in illum promisit præsentissimum auxilium conferre ad obtinenda,quæ sperant,vnde Ecclesiasticus dixit: *Respicite filij nationes hominum,& scitote quia nullus sperauit in Domino, & confusus est*: Et Dauid: *In te sperauerunt Patres nostri,sperauerunt,& liberasti eos,ad te clamauerunt,& salui facti sunt,in te sperauerunt,& non sunt confusi*, & illud Psal.90. *Quoniam in me sperauit liberabo eum,protegam eum,quoniam cognouit nomen meum*. Secundum incitamentum est, quod Christus Dominus victoriam tulit de mundo, vt ipse dixit, *Confidite ego uici mundum*, nomine autem mundi omne peccati genus comprehendit, quod impedit, vel retardat adeptionem beatitudinis, cum ergo Christus Dominus hostes nostros vicerit non est cur profligatis hostibus de Victoria desperemus. Tertium incitamentum est infinitæ bonitatis,& misericordiæ Dei consideratio,qua voluit nobis dare Christum in stabulo natum, circuncisum,flagellatum,& crucifixum, quæ considerans D. Augustinus ipsum Christum vocabat spem suam,etenim exponens verba illa: *Deduxisti me quia factus es spes mea*, sic loquitur: *Si nostra spes factus non esset; non nos deduceret. Deducit tanquam dux, & in se ducit tanquam uia,& ad se perducit tanquam patria. Deducit ergo nos. Unde? quia factus est spes nostra. Quid enim nobis dicimus, quando hæc legimus? Non enim perdet nos Deus propter quos filium suum misit tentari,crucifigi,mori,resurgere. Non enim uerè nos despicit Deus,propter quos filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, sic ergo factus est spes nostra. In illo uides*

Eccl. c.2. Psal. 21. Psal. 72. Psal. 60.

des, & laborem tuum, & mercedem tuam, laborem in passione, mercedem in resurrectione, sic ergo factus est spes nostra. Quartum incitamentum debet esse, quod quanto magis firmius speramus in Domino magna bona ab eo consecuturos tanto maiorem honorem ei deferimus, iudicando esse infinitè bonum ad nobis communicandum bona, quæ speramus, ac infinitè liberalem, nec non infinitè potentem ad largiendum quæcumque velit. Vltimum incitamentum est, multiplex fructus virtutis spei. Primus, quod qui sperat in Domino inuictum robur animi accipit ad vincendas omnes diffi-
Psal. 25. cultates Dauide dicente: *In Domino sperans non infirmabor*, & Isaias:
Isai. 40. *Qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assument pēnas sicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient:* Secundus, quod
Cass. coll. spes preseruat à peccatis, vt Cassianus sapienter obseruauit Collat.
9. cap. 6. 11. vbi ait. *Tria sunt, quæ faciunt homines à uitijs temperare, id est aut metus gehennæ, siue præsentium legum, aut spes atque desiderium Regni cælorum, aut affectus boni ipsius, amorque uirtutum. Nam timor mali contagium legitur execrari. Timor Domini odit malitiam, spes etiam uitiorum omnium excludit incursum. Non enim delinquent omnes, qui sperant in eum:* Hęc ille. Tertius fructus est, ingens lætitia, & consolatio animæ, Apo-
ad Heb. 6 stolo dicente ad Heb. *Fortissimum solatium habemus, qui confugimus ad tenendam propositam spem*, & ad Rom. ait: *Spe gaudentes in tribulatione*
Psal. 18. *patientes*; & Dauid: *Lætentur omnes, qui sperant in te Domine.* Quartus tandem fructus est, quod nos Beatos reddat in hac vita beatitudine quadam incohata, ac tandem in æternum nos saluet, vnde
Psal. 39. Dauid dicebat: *Beatus uir cuius est nomen Domini spes eius;* & Isaias:
Isai. 20. *Beati omnes, qui expectant Dominum;* & Salomon in Prouerb. *Qui*
Prou. 16 *sperat in Domino beatus est*, & alibi, *qui sperat in Domino saluabitur.* Ad-
Prou. 28 uertere tamen oportet nullum aliud medium efficacius esse ad fouendam, & augendam spem, & fiduciam obtinendi cælestia charismata ipsam vitam æternam, quam bona conscientia D. Ioanne dicente: *Si cor nostrum non reprehenderit nos fiduciam habemus ad Deum, & quicquid petierimus accipiemus ab eo;* atque ad hoc respiciens
D. Aug. D. Augustinus dixit: *Ille sperat, qui bonam conscientiam gerit, quem*
in præfa. *uero pungit mala conscientia retrahit se à spe, & non sibi sperat nisi damna-*
ps. 31. *tionem, ut ergo speret regnum habeat bonam conscientiam, & ut habeat bonam conscientiam credat, & operetur, quia, quod credit fidei est.* Est etiam aliud efficacissimum medium huic simile ad habendam firmissimam spem exercitium multiplex bonorum operum, vt satis nobis
Psal. 17. docuerunt duo illi Reges Dauid, & Ezechias, ille enim dicebat: *Retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam, & secundum puritatem manuum mearum, retribuet mihi quia custodiui uias Domini, nec impie gessi*
Ezec. 48 *a Deo meo.* Hic verò sic loquebatur cum Deo: *Obsecro Domine* me-

memento quaeso quomodo ambulauerim coram te in ueritate, & corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim, hoc idem probè agnoscēs D. Cyprianus serm. de elem. inquit, *Praeclara, & diuina res salutaris operatio, solatium grande credentium, securitatis nostrae salubre praesidium, munimentum spei, tutela fidei, medela peccati.* *Cyp. ser. de elem.*

De actu charitatis, seu diuini, & supernaturalis amoris in Deum.

§. III.

Mihi de charitate, seu supernaturali Dei amore perfectissima omnium virtutum, sermonem instituenti, operae precium duxi, antequam varios actus amoris Dei apponā, varia incitamenta hic aglomerare, quae sint diuini amoris acutissimi stimuli. Primum incitamētum desumo ex varijs affectibus, & fructibus, quos assiduum exercitium actuum diuini amoris in anima parit, illos sapienter adeo in vnum congessit D. Augustinus in Manuali, vt non ab alio, quam ab hoc tanto Doctore mutuandum cēsuerim, sic ibi loquitur: *Amor vbi uenerit, caeteros in se omnes traducit, & captiuat affectus. Amor per se sufficit, per se placet, & propter se. Ipse meritum, ipse praemium, ipse causa, ipse fructus, ipse usus: per amorem enim coniungimur Deo. Amor facit vnum spiritum de duobus, amor facit idem uelle, & idem nolle. Amor facit prius mores componere postmodum omnia, quae adsunt, tanquam non adsint considerare, tertio vero loco munda cordis acie superna, & interna conspicere. Per amorem primum in saeculo bene geruntur honesta, postmodum etiam honesta saeculi despiciuntur, ad extremum etiam Dei intima conspiciuntur. Deus pater charitas est, Deus filius dilectio est, Spiritus sanctus amor Patris, & Filij est. Haec charitas, & haec dilectio aliquod simile requirit in nobis, scilicet charitatem, qua uelut quadam affinitate consanguinitatis ei sociemur, & coniungamur. Qui amat Deum per se ipsum fiducialiter accedit ad Deum, familiariterque loquitur ei, nihil timens, nihil haesitans. Perdit quod uiuit, qui non diligit: qui autem diligit, oculos suos semper habet ad Deum, quem diligit, quem desiderat, in quo meditatur, in quo delectatur, in quo pascitur, in quo impinguatur. Iste talis sic deuotus, ita constat, ita legit, & in omnibus operibus suis sic est prouidus, & circumspectus, quasi Deus adsit praesens ante oculos eius, sicut reuera adest. Ita orat quasi sit assumptus, & praesentatus ante faciem maiestatis in excelso Throno, ubi millia millium ministrant ei, & decies centena millia assistunt ei. Animam quam uisitat amor expergefacit dormientem, monet, & emollit eā, & vulnerat cor eius, tenebrosa illuminat, clausa reserat, frigida inflammat, mentem asperam, & irascibilem, & impatientem mitigat, uitia fugat, carnales affe-* *D. Aug. in Manu. c. 18. 19.*

affectus comprimit, & mores emendat, reformat, & innouat spiritum, lubricæ ætatis motus, æstusque lenes correct. Hæc omnia facit amor. Hactenus D. Augustinus, quia tamen inter omnes hos affectus principalior est
1. Ioan. 4 copulare Deum cum homine, iuxta illud Ioan. *Qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo.* Oportet vt explicemus in quo consistat hic mirabilis effectus, vt iustus maneat in Deo, & Deus in eo, commune proloquium Philosophorum est, quod vsurpauit D.
D. Dion. Dionysius de cælesti Ierarchia, *Anima magis est ubi amat, quam ubi animat.* Ex quo necessario efficitur, vt dum creatura amat Creatorem, maneat in Creatore, & dum Creator amat creaturam, maneat in creatura, quomodo quæso amans est in amato, non aliter quam per intellectum, & voluntatem; per intellectum quidem, quia sui oblitus amans semper meditatur, quæ pertinent ad amatum, ea cogitat in eis discurrit, nec cogitãs fastidit, per voluntatem etiam est anima in amato, quia quæ amati sunt amat, & contraria illi odio habet, quæ autem desiderat, & ipse desiderat, & quæ illa fugit, fugit ipsa, ac tandem in quibus gaudet, gaudet & ipsa, & in quibus tristatur condolet etiam, si quis igitur qui Deum amat, in eo manet per intellectum illum cogitans, & quæ illi placent libẽter me-
Psal. 1. moria euoluens, iuxta illud Dauidis, *Oculi mei semper ad Dominum*, per voluntatem similiter manet in Deo quatenus nihil aliud vult
Psal. 1. nisi quod placita illi sunt semper, eodem Dauide dicente, *In lege Domini uoluntas eius*, atque hinc intelliges, qũo in homine iusto maneat Deus, manet quidem per intellectum iuxta illud, *Oculi Domini super iustos*, indesinenter attendens quid iusto conducat, id enim præsefert particula illa, *super*, sicut enim Pictor postquam pulcherrimam Imaginem depinxit super singulas eius partes reflectitur omnia, & singula minuta perlustrans, vt videat si quid desit illi, & continuo suppleat sic Deus conditor noster vultum amabilem super iustum, tanquam super imaginem sui pulcherrimam defert, quid illi opus sit obseruans, vt omnibus necessarijs ei prouideat,
D. Bern. vnde D. Bernardus explicans verba Cant. 2. *Dilectus meus mihi, & ego illi*, dixit, *ita ne sponsæ suæ intenta est illa maiestas, cui gubernatio incumbit vniuersi, vt ad eam solam transferantur negotia eius? ita plane, prouidentiam cæteris non negamus, curam verò sponsam uendicat sibi*, Atque in his consistit, vt qui manet in charitate in Deo maneat, & Deus in eo.

Secundum incitamentum ad assiduum Dei amorem est, quod nihil ipse ardentius desideret, & impensius à nobis postulet, quam
Matt. 22 vt illum diligamus ex toto corde, vnde Matth. 22. *Diliges Dominũ ex toto corde tuo.* Sanè Deus cum nihil magis à nobis velit quã amorem cordialem, hinc est, quod si rem altius perpendamus, inueniemus

niemus nullius rei maiorem curam habere, quam cordis nostri, etenim instar amantis si respicit in cor nostrũ oculos dirigit suos, *Deus autem intuetur cor*, si examinat, & scrutans aliquid, attentè cir- *1.Reg.16.* cunspicit id cor nostrum est, *scrutans corda, & renes Deus*, si familia- *7.* riter agere vult cum corde nostro, sic agit, *Ducam eam in solitudine, &* *Ps.7.10* *loquar ad cor eius*, si mutationem aliquam in nobis requirit ex pleni *Os.2.14.* tudine cordis hanc requirit: *Conuertimini ad me ex toto corde uestro*. *Ioel 2.12* Hæc autem conuersio quia Dei gratiam requirit, promittit Deus auxilium gratiæ suæ cordi: *Auferam à uobis cor lapideum, & dabo uo-* *Ezec.36* *bis cor carneum*, idest suaue; si aliquid à nobis exigit, cor est, *Fili præ-* *28* *be cor tuum*, & vt obtineat instat: *Ecce ego sto ad ostium, & pulso*. Deni- *Prou.23* que si amari à nobis postulat, non ex parte, sed *Diliges*, inquit, *Domi-* *26* *num Deum tuum ex toto corde tuo*: & quidem aliarum rerum diuisio- *Apoc.3.* nem facilè patietur, ex diuitijs potes partem amicis, partem con- *20* sanguineis, partemque tibi reseruare, & partem tribuere Deo, ex *Matt.22* corde vero nullã diuisionẽ admittit, sed integrum sibi postulat il- *37* lud. Iubebat olim Deus thymiama valde odoriferum cremari co ram se in honorem suum, pariterque interdicebat, ne in alios vsus cremaretur, thymiama cor nostrum significabat, quod sibi Deus igne amoris concremari iussit, quia tamen sibi displicet in alios v- sus detrahi, quia totum amorem sibi vendicat, ideo notanter tibi præcipit, vt diligas eum ex toto corde tuo, ex pecunijs partem po- teris in vtilitatem tuam consumere, partem in pauperes, tempus poteris partiri partim Deo vacans, partim negotijs attendens, ac tandem vitam tuam diuidere poteris, ita vt pars destinetur, quædam ad Dei obsequium, quædam ad proximi vtilitatem, quędam ad tui commoditatem, cor autem, & amorem non li- cet tibi diuidere, quia Deus propter suam infinitam bonita- tem meretur amari toto corde, & si quidpiam aliud præter ipsum ametur propter ipsum Deum diligatur; atque hinc est, *D. Bern.* quod Diuus Bernardus ardentem Dei amorem comparauit vir- *serm. de* gæ Moysis versæ in serpentem, & amores omnium rerum *Ascēsio-* mundanarum virgis Magorum in colubros versis, quia sicut *ne Dom.* serpens Moysis deuorauit alios serpentes virgarum, ita amor Dei instar voracissimi serpentis deuorat amores rerum omnium mundanarum, ab hoc autem amore ex toto corde nemo quidem excusatur; certè si Dominus præciperet ad salutem æternam da re eleemosynas, multi facilè possent excusari dicentes, pauperes su mus, si longas peregrinationes facere, claudi, & debiles sumus, si arcana magna speculari, hæbetes ingenio sumus, si publicè legere, & prædicare idiotæ, & indocti sumus, at cum præcipiat, vt eum amemus ex toto corde nullus est locus excusationis, quia & de-

biles,& pauperes,& idiotæ,& cuiuscumque conditionis homines possunt illum amare ex toto corde suo a tributo amoris nemo eximitur.

Tertium incitamentum est immensus cumulus beneficiorum, quæ Deus in te contulit, quæ omnia quia D. Augustinus lib. de diligendo Deo egregiè contexuit eius verba licet non pauca his annectā: [Accepi inquit ego, vt sim, accepi vt homo sim, accepi intellectum, qui intersit inter me, & pecus. Accepi corporis formā, accepi in corpore distinctionem sensuum, oculos ad videndum, aures ad audiendum, nares ad odorandum, manus ad contrectandum, palatum ad gustandum, pedes ad ambulandum, salutemque ipsam corporis, magnum fuit & hoc, quod ad eorundem sensuum meorum oblectamenta, singula sensibus singulis conuenientia creauit, Deus multa pulchre lucentia, canore mulcentia, suaue olentia, dulce sapientia, tacta placentia: Ob hoc enim prouidentia creatoris tam diuersas qualitates rebus induit, vt omnes sensus hominis sua oblectamenta inueniant. Aliud enim percipit visus, aliud auditus, aliud olfactus, aliud gustus, aliud tactus. Visum pascit pulchritudo colorum, suauitas cantilenæ demulcet auditum, fragrantia odoris olfactum, dulcedo saporis gustum. Et quis omnes delitias sensuum enumerare queat, quæ tam multiplices sunt in singulis, vt si quis quemlibet per se consideret, quemlibet per se singulariter ditatum putet. Tot oblectamenta oculorum in diuersitate colorum monstramus, tot oblectamenta aurium in diuersitate sonorum audimus, quibus homines ad inuicem suas voluntates communicant, præterita narrant, præsentia indicant, futura nunciant, occulta reuelant, adeo, vt si careat his vita humana, bestijs comparabilis videatur? Quid autem concentus auium, humanæ vocis melos iucundum, quid dulce melos sonorum omnium commemorem? quia tam multę sunt harmoniæ genera, vt ea, nec cogitatus percurrere, nec sermo facilè explicare possit, quæ tamen cuncta auditui seruiunt, & in eius delitias creata sunt. Eodem modo gustus, & tactus varia habent oblectamenta, quæ ex similitudine proprium satis perpendi possunt. Magnum est certè, & hoc quod sana, & integra membra creauit mihi Deus ne essem meis dolor, opprobrium alienis. Accepi etiam amplius mentem scilicet, quæ possit intelligere, quæ possit iustum ab iniusto discernere, quę possit indagare, desiderare Creatorem, laudare, & inhærere illi. Magnum etiam estimo beneficium, & quod eo tempore, & inter tales me nasci voluit Deus, per quos ad fidem suam, & sacramenta peruenirem. Video innumerabilibus hominibus hoc negatum, quod mihi gratulor esse concessum, cum qui-

bus

D. Aug.

bus tamen nobis esset vna conditio. Illi derelicti sunt per iustitiam, & ego vocatus per gratiam. Procedam adhuc etiam intuens munus eius fuisse, quod educatus fui à parentibus, quod me flamma non læsit, quod aqua non absorbuit, quod non vexatus à dęmone, quod vsque ad congruam ætatem in fide eius, & bona voluntate sum nutritus, magnam igitur Domine Deus erga me ostendisti pietatem. Cum autem in cunctis operibus tuis sis mirabilis, mirabilior tamen crederis esse in visceribus pietatis, nullum enim spernis, nullum abijcis, neminē perhorrescis, nisi qui forte te amēs exhoruerit. Bona igitur sunt hæc tua Domine mihi à te misericorditer indulta, quod me in periculis sæpe constitutum clementer eripuisti, nec vnquam in peccatis meis me dereliquisti, oblitum tui de te admonuisti, auersum à te reuocasti, venientem ad te benignè suscepisti, pænitenti indulsisti. Non enim ea sola, quæ cōmisi peccata, sed etiam quæ te protegente non cōmisi totum à te dimissum deputandum est. Nam sicut in multa peccata cecidi, sic & in multo plura, nisi me conseruasses, cecidissem. Tribus autem modis à peccato me memini conseruatum, scilicet, occasionis subtractione, resistendi data virtute, affectionis sanitate. Multa enim in peccata cecidissem, si data esset occasio, sed Dei miseratione non me talis oportunitas apprehendit. In multa quoque paulo minus cecidissem grauiter impulsus violentia tentationis, sed virtutem dedisti mihi Domine, vt sub mé esset appetitus meus, & ei quam sentiebam concupiscentiæ minimè consentirem: sed à quibusdam peccatis, tam longè me fecit tua miseratio Domine, vt pænitus abominarer ea, & ne vlla me quidem eorum tentatio molestaret. Magnę quidem bonitatis est indicium Domine Deus, & hoc, Ecce infælix ego te irritaui, ego malum coram te feci, furorem tuum prouocaui, iram promærui, peccaui, & passus es deliqui, & adhuc sustines: si pæniteo parcis: si reuertor me suscipis. Insuper dum differo, præstolaris: reuocas errantem, vincis repugnantem, expectas torpentem, amplecteris redeuntem, doces ignorantem, mulces mærentem, a ruina suscitas, post lapsum reparas, petenti largiris, quærenti inueniri pulsanti aperis, ostendis mihi bene viuendi viam, das gradiendi scientiam. Magnum est etiam, & hoc Domine, quod multa mihi antequam petere possem, vel vellem, aut nossem, dona contulisti, non solum ante, sed & postquam senui, & potui te petere, te quærere, te desiderare, tibi inhærere, gratuita bonitate tua non petenti, non quærenti, non desideranti, immo etiam parui pendenti, vel etiam contemnenti largitus es. Maximum æstimo, & illud fuisse beneficium, quod Angelum pacis ab ortu natiuitatis meæ ad me custodiēdum vsque ad finē meum

mihi dedisti: vnde quidam Sanctus ait, magna est dignitas animarum, vt quæque habeat ab ortu natiuitatis ad custodiam sui Angelum delegatum. Magnæ pietatis fuit hoc Domine, quod mira patientia tua meas sustinuit iniquitates. Cui gratias referre debeo, quod non secundum iniquitates meas retribuisti mihi, quod me terra non absorbuit, non me cælum fulminauit, non me fulgor combussit, non flumina submerserunt, nec alia pæna, vel morte, prout dignus eram, me afflixisti: Cum enim peccando a te recederem, non solum iram tuam promærui, sed & omnem creaturam aduersum me excitaui. Nam si seruus cuiusquam a Domino suo recederet, non solum Dominum ipsum exacerbaret, sed & totam eius familiam iustissimè irritaret. Cum ergo te Deum omnium creatorem offendi, omnem creaturam quantum spectat ad meritum meum in iram commoui, ita vt meritò pro te pugnaret aduer

Sap. 5. sum me totus orbis terrarum. Posset enim terra dicere mihi, non debeo te sustinere, sed potius absorbere, quoniam a creatore meo non timuisti peccando recedere, & inimico scilicet diabolo adhęrere. Posset dicere Sol, non debeo tibi ad salutem lucere, sed ad vindictam Domini mei, qui est lux, & fons luminis, pænitus tibi

Ezec. 18 radios meos abscondere. Sic etiam cuncta quæque creatura ad vlciscendam tantam iniuriam sui creatoris, nisi impetum cohiberet ipse qui eas condidit, qui non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat, oportet ergo me Domine tanto magis tibi gratiosum, & deuotum, ad seruiendum promptiorem existere, quanto me de tantis beneficijs obligatiorem conspicio in reddenda ratione, ne dilata vindicta, tanto acrius adueniendo mala mea puniat, quanto diutius tolerauit, quod puniri potuit. Tandiu igitur expectare cogita o anima mea Dei longanimitatem, quam exhibuit electionem prædestinationis suæ, quam impleri voluit, ni-

Psal. 39. miam charitatem, qua nos dilexit. Propter hoc enim expectans expectauit Dominus, & intendit mihi: sed auertit oculos suos a peccatis meis, quasi nolens aduertere, quantum delinquerem. Propter hoc inquam dissimulabat, vt comendaret patientiam, confirmaret charitatem suam. Propter hoc, vt bene memini percussit cor meum, excitans illud, vt aduerterit suorum vulnera peccatorum, & vulnerum sentiret dolorem, etiam deducens ad portas inferi, & præparata iniquis supplitia monstrans etiam vt nil iam noxiæ remaneret rationis, meliorem mihi consolationem inspirans spem indulgentiæ dedit, demum, & ipsam indulgentiam contulit. Sic autem ex toto indulsit, & tam liberaliter omnem donauit iniuriam, vt iam non damnet vlciscendo, nec confundat improperando, nec minus diligat imputando, sunt autem aliqui

sic

sic donantes iniuriam, vt non vlciscantur, sæpius tamen imprope-rent: sunt, & aliqui licet sileant manet tamen aliquid in alta mente repositum, rancoremque tenent in animo, quorum vtique neutra plena est indulgentia, longè ab his benignissima diuinitatis natura liberaliter agit, ignoscit plenariè ita vt propter fiduciam peccato-rum se pœnitentium, vbi sit perabundauit delictum, soleat, & gra-tia superabundare testis est Petrus, cui post trinam negationem to- *Rom.5.*
tius Ecclesiæ pastoralis cura est commissa. Testis est Paulus, qui de *Matt.26*
Ecclesię persecutore effectus est vas electionis, & Doctor gẽtium. *Ioan.21.*
Testis est Matth. qui de telonio electus in Apostolum, cui etiam *Matth.9*
noui testamenti primum scriptorem esse, donatum est. Post hæc *De dono*
dedit mihi Dominus Deus continentiam, continentiam autem *continen*
dico, non a sola luxuria, sed à cæteris quibusque sicut necesse est *tia.*
vitijs, & peccatis, qui & aliquando vix per triduum continebam postea Dei auxiliante gratia per longum tempus potui continere. Ex hoc inuenio vnde merito exclamare possum. Quia fecit mihi magna, qui potens est.] Et paucis quibusdam interiectis eandem materiam persequens hæc scribit. Post hæc dedit mihi Dominus Deus gratiam promerendi bona vitæ eternæ, quam gratiam in tribus maximè stare arbitror, in odio præteritorum malorum. In contemptu bonorum præsentium, in desiderio futurorum: deinde dedit mihi spem eadem obtinendi, tria, inquam, sunt, quæ sic roborant, & confirmant cor meum, vt nulla penuria meritorum, nulla consideratio propriæ vilitatis, nulla æstimatio cælestis beatitudinis de celsitudine spei, deijcere possit. Vis scire quæ sint illa? Tria considero, in quibus spes mea tota consistit, scilicet charitatem adoptionis, veritatem promissionis, potestatem redditionis, murmuret, iam quantum voluerit insipiens cogitatio mea dicẽs quis enim es tu? aut quanta est illa gloria quibusue meritis hanc obtinere speras? & ego fiducialiter respondebo, scio cui credidi, & certus sum, quia in charitate nimia adoptauit me Deus, quia verax est in promissione, quia potens est in exhibitione, licet enim ei hoc facere, quod voluerit. Pro his ergo meritis Deus meus mihi diligendus est. Magnæ autem gratiæ fuit, quod me Deus a se fugientem prosecutus est, timenti blanditus, quod erexit in spem toties desperatum, quod suis obruit beneficijs ingratum, quod gustu interioris dulcedinis immundis assuetum delectationibus attraxit, & illexit, quod indissolubilia malę consuetudinis vincula dirupit, & abstractum sæculo benignè suscepit. Adhuc anima mea, illa quibus tibi sola conscientia es, diuinæ bonitatis inspice munera, quam iucunda facie abrenuntianti sæculo tibi Christus occultus occurrit, quas esurienti delitias

pre-

præparauit, quas miserationum suarum diuitias, & absconditos inspirauit affectos, quo te charitatis populo delectauit. magnũ fuit & hoc quod me fugientẽ seruum suum, & rebellem, sola miseratione vocatum spiritualium consolationũ non reliquit expertem. Si enim tentabar, ille me sustentabat: si periclitabar, ille me erigebat: si tristabar, ille me confortabat: si fluctuabam, ille solidabat. Quoties præ timore arescebã, ille pius consolator astabat, quoties æstuabam præ timore, ille meis se visceribus infundebat. Perpendo ẽt quoties psallentem, vel legentem spiritualium me sensuum lumine illustrabat: quoties errãtem in quoddam ineffabile desiderium sui rapiebat: quoties mentẽ meam è terrenis subtractam, ad cælestes delitias, & paradisiacas amænitates transportabat. Taceo multa, & magna misericordiæ suæ circa me opera, ne aliquid gloriæ, quæ tota eius est, ad me videatur transire. Ita enim secundum hominum æstimationem sibi cohærent gratia dantis, & fælicitas recipientis, vt non laudetur solum, qui solus laudandus esset, scilicet ille qui dedit, sed etiam ille qui recepit. Quid enim habet aliquis, quod non accepit, quare laudatur quasi velut promæruerit? Tibi ergo laus Deus meus, tibi gloria, tibi gratiarum actio: mihi autem confusio faciei meæ, qui tot mala feci, & tot bona recepi. Vide ergo ò anima mea, quia multum commendet bonitatẽ Dei, non solum largitas sua, sed iniquitas nostra. Si.n. magnum est nihil promerẽtib. impendere multa, quale quantũve erit retribuere bona promærentibus mala? O qualis pietas, q̃ nulla põt superare impietas. Alia sunt, quæ misericorditer Deus ignoscit: alia q̃ affluẽter attribuit: mala nostra largitur bona sua: semp ꝑsto ad ignoscẽdum, paratus semper ad largiendum: hinc pius, hinc largus, vtrobique pius, & largus: Confiteamur ergo illi mala nostra, confiteamur & bona nostra. Cõfiteamur ergo a nobis mala nostra esse, vt pie ignoscat, confiteamur ab ipso bona nostra esse, vt seruet, & augeat. Hoc igitur incessanter agamus, ne ingrati appareamus, vel de indulta venia, vel de concessa gratia. Hæc inquam agat, qui se credit, vel cupit esse amatorem Dei, verus animi amor semper confitetur. Quid ergo hæc omnia faciunt diligenter considerata, nisi vt considerantis animum ab omni penitus abstractum amore, ad Deum diligendum, qui hæc contulit, mirabiliter rapiant, vehementer afficiant. Hactenus D. August. Compendiosius tamen D. Bernardus explicans verba illa Psalmi 115. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi*, hæc beneficia enarrat, *quando ignorabam me instruxit, quando errabam, me reduxit, quando peccabam me correxit, quando steti me tenuit, quando cecidi me erexit, quando iui me duxit, quando ueni ad ipsum me suscepit, nec pro his omnibus quid rependam habeo, nisi tantum vt diligam,*

Ps. 115.

gam, non enim melius, nec decentius, quam per dilectionem rependi potest, quia per dilectionem datum est. Explicans etiam illud Ioan. 15. *Maiorem charitatem nemo habet, quā ut animā suam ponat quis pro amicis suis.* Inquit, *tu maiorem habuisti Domine Iesu ponens eam pro inimicis, cū enim adhuc iniqui essemus per mortem tuam etiam tibi reconciliati sumus, & Patri, quænam ergo uidebitur uel esse, uel fuisse, uel fore huic simili charitati.* hæc ille. Deinde idem D. Bernardus lib. de diligendo Deo hæc summa deuotione plena in idem argumentum scripsit. *Si totum me debeo pro me facto quid addam pro me refecto: & refecto hoc modo, nec enim tam facilè refectus, quam factus. Si quidem non solum de me, sed de omni quoque quod factum est scriptum est. Ipse dixit, & facta sunt. At uerò, qui tantum & semel dicendo fecit in reficiendo profectò & dixit multa, & gessit mira, & pertulit dura, nec tantum dura, sed etiam indigna. Quid ergo retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? In primo opere me mihi dedit, in secundo se, & ubi se dedit, me mihi reddit, datus est. ergo & redditus, me pro me debes, & bis debeo. Quid Deo retribuā pro se. Nā & si me milies rependere possem quid sum ego ad Dominum?* Item super Cantic. ait. *Super omnia reddit te amabilem mihi bone Iesu calix quem bibisti opus redemptionis nostræ, hoc omnino amorem nostrum facilè uendicat totum sibi: hoc inquam est, quod nostram deuotionem, & blandius allicit: & iustius exigit: & arctius stringit: & afficit vehementius. multum quippe laborauit in eo Saluator: nec in omni mundi fabrica tantum fatigationis assumpsit actor. In dictis suis sustinuit contradictores. In factis obseruatores: in tormentis illusores: & in morte exprobratores.*

Idem D. Bernard.

Idem D. Bernard.

Idem D. Bernard.

Quartum incitamentū est multiplex vtilitas q̄ secum affert affectus amoris erga Deum. Prima est diligi à Deo, Christo Domino dicente: *Qui diligit me, diligetur à Patre meo*. Secunda est, quod operit multitudinem peccatorum per omnimodam eorum expiationem ab anima Christo Domino dicente Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Tertia, Quod Deus amantes se erudit, vnde Ecclesiast. ait. *Diligite Deum, & illuminabuntur corda uestra.* Quarta, quod Dominus singularem custodiam habet diligentiū se, iuxta illud Dauidis, *Custodit Dominus omnes diligentes se.* Quinta tandem, quæ plures alias comprehendit assignauit D. Paulus cū dixit, *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*. Sextam tandem vtilitatem in hunc modum tibi propono, si quis totum diem consumeret in eliciendis actibus odij Dei, & ex odio illo omnes suas actiones exteriores operaretur, dubitari non potest secundū fidem catholicam, quin ille in fine diei mæruisset ingentes inferni pęnas, igitur manifestum est è contrario, quod si quispiam iustus consumit totum diem in producendis actibus amoris Dei, & ex imperio illius amoris omnia operatur, tandem in fine diei ingens augu-

Luc. 7.

Eccl. 2.

Ps. 144.

mentum

mētum gratiæ,& gloriæ promerebitur,cum reuera Deus pronior sit ad præmia largienda,quam ad supplicia inferenda. Tandem audi vocem Christi Domini tibi interius dicentis,ama me, sicut ego te,habe me in mente tua,in memoria, in desiderio, in suspirio, & gemitu cordis tui:memento qualem te fecerim , quali dignitate nobilitauerim,quam dura, & indigna pro te pertulerim , quanta patientia peccata tua sustinuerim, quam sæpè propter tua peccata te potuerim in baratrum,ac in pęnas æternas misisse, quam multa cælestia dona dederim , adeo vt me ipsum tibi frequenter in sacra Eucharistia tradiderim,a quantis malis temporalibus,& spiritualibus te præseruauerim, da igitur mihi cor tuum pro tantis beneficijs,& ne verbis duntaxat mihi dicas Domine amo te,sed ostende quod verè amas me,non verbo , & lingua , sed opere, & ueritate. ama ardenter Deum tuum ardenter te amantem ; si ergo inter tot beneficia commemorata non ardes,grādine,& niue frigidior es,ære,& ferro durior,& lapidibus ipsis insensibilior, nam si lapides cauantur à guttis aquæ assidue cadentis,quam excusationem habebunt corda dura,quæ non emolliūtur per tot, ac tam assidua Dei beneficia. Quintum & potissimum omnium incitamentum ad feruentes charitatis actus eliciendos debet esse summa Dei bonitas,& pulchritudo , nam fomes ignis delectationis, bonum est. Deus autem est summum bonum,& omne bonum. Quare dum Moysi polliceretur copiam sui, dixit ei: *Ego ostendam tibi omne bonū.* Ipse est bonum memoriæ,quoniam eius summa tranquillitas: ipse est bonum intellectus,quoniam vniuersa veritas : ipse bonum
Act. 17. 28 voluntatis,quoniam omnis eius facietas:si bonum tuum,ò homo reputas vitam,*In ipso uiuimus, mouemur,& sumus:* si bonum tuum salutem existimas,*Dominus illuminatio tua,& salus tua,* qui factus est ti-
Ps. 126. *Ps.* 127. bi in salutem: ipse honor tuus,ipse diuitiæ, & nihil est dulce, nihil delectabile, nihil appetibile , quod non in eo abundè possideas, amorem tuum in varijs , diuersisque bonis partitum , & dispersum habebas,iam ad vnum bonum,quod omne bonum est,totū amorem collige,& nihil nisi Deum,aut propter Deum,amare firmissime constitue,ne tibi videatur difficile esse cum diuino adiutorio Deum diligere ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex omnibus viribus tuis,sed potius suauissimum,& dulcissimum , cum ipse sit Pelagus infinitæ bonitatis summæ pulcherrimus, sapiens, potens, liberalis,magnificentissimus,atque adeo summo amore dignissimus;pudeat ergo te, quod cum in terris non sit difficile amare pulchra,& bona caduca,immo difficile sit ea non diligere,difficile tibi videatur Deum summum bonum,& infinitam pulchritudinem ardenter amare, nec mihi dicas,bona, & pulchra, quæ sunt

in

in terra videntur, & ideo facilè amantur, Deum autem nemo vidit vnquam, ita quidem est, sed licet Deum non videamus, quotidie tamen videmus opera eius pulcherrima, de quibus Sapiens dixit si spetie Solis, & Lunę delectati Deos putauerunt, sciant quanto Dominator eorum speciosior est, speciei enim generator hæc omnia constituit. *Ioan. 1.* *Sap. 13.*

Sextum incitamentum ad amorem erga Deum est ardentissimus Dei amor erga te, quem quidem ostendit Deus tum in eo, quod elegerit te, vt cum illo conregnes, & ad finem hunc consequendum non dubitauerit tibi dare filium suum humana carne indutum, & in ara crucis immolatum, & Sacramentalibus panis, & vini accidentibus velatum, ad quod respiciens D. Ioan. dixit: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Mirabile certe est, quod cum Deus nullius rei nostræ indigens amare nos non desinat, nos alioquin multum per omnem modum illius indigentes renuamus illi per amorem adhærere, multaque parui momenti illi præferamus, cum tamen ipse nihil nobis anteponendum sibi putauerit. *Ioan. 3.*

Vltimum incitamentum sit multiplex dignitas charitatis, nam ipsa est fundamentum, & radix omnis perfectionis: inter omnes virtutes principem locum tenet, vita est omnium aliarum virtutum, ita vt sine illa mortuæ sint, est fons, & origo omnis meriti, ita vt absque ea nullum quantumcumque excellens opus dignum sit præmio vitæ eternæ, amplissimam parit meritorum copiam, nam quilibet eius actus quantumuis remissus melior est secundum propriam spetiem, quā quicumque actus intensus cæterarum virtutum: deinde quis non videat magnam esse charitatis prærogatiuam illam, cuius meminit D. Paulus dicens: *Scimus, quoniam diligentibus Dominum omnia cooperantur in bonum;* Super quæ verba D. Augustinus de gratia, & libero arbitrio cap. 16. ait: *Quid est omnia nisi, & ipsas terribiles sæuasque passiones? Sarcina quippe illa, quæ infirmitati grauis est, leuis efficitur charitati, talibus enim Dominus dixit esse suam sarcinam leuem, qualis Petro fuit, quando passus est pro Christo, non qualis fuit, quando negauit Christum:* Ac tandem charitas tantæ dignitatis, & excellentiæ est, vt in ea summum perfectionis culmē consistat, atque hinc est, quod Ecclesiæ Patres varijs, & honorificentissimis epithectis illam prosecunt. D. Clemens Alexādrinus vocat illam: *Præcipuum hominis Christiani munus.* Cyprianus: *Fundamentum pacis, tenacitatem, ac firmitatem vnitatis, quæ & opera, & martyria præcedit;* Basilius: *Radicem mandatorum;* Naz. *Doctrinæ nostræ caput;* Hieron. *Cunctarum uirtutum matrem:* Eprh. *Omnium virtutum columnam:* Chrysost. antecellere ait: *Omnibus Dei donis.* Augustinus vocat: *Arcem om-* *Ad Ro. 8* *D. Aug. c. 16.* *Clemens in parin. Cypr. de pacient. Basil. or. de 3. dijs.*

nium uirtutum. B. Prosper: *Affectionum omnium potentissimam in omnibus semper inuictam, actionum bonarum summam, salutem morum, finem cælestium præceptorum, mortem criminum, vitam virtutum.* Cyril. Alex. *Omni uirtute constantem.* Gregorius Magnus: *Matrem, & custodem omnium bonorum.* Bernardus: *Hominum matrem, & Angelorum, non solum quæ in terris, sed etiam quæ in cælo sunt pacificantem.*

His præmissis incitamẽtis ad diuinum amorem; nunc apponam varios illius actus de quibus D. Paulus dixit: *Adhuc viam excellentiorem vobis demonstro*; His frequenter anima, quoties orationi vacat exercere debet, & quidem si non omnes, saltem aliquos illorum iuxta cuiusque deuotionem, & Spiritus Sancti inspirationem, qui principalis Magister, & Motor est huius sancti exercitij.

Primus actus desiderij est, cupio Domine amare te, amore seraphico, amore illo intensissimo, quo ab omnibus Beatis amaris, tuum est proprium iusta desideria complere, quid iustius, & sanctius, quam te ardentissime amare, postquam ergo dignatus es desiderium hoc feruentissimè te amandi mihi concedere, comple illud: dedisti mihi Domine famem tui amoris, da saturitatem illius, iuxta promissionem tuam: *Beati qui esuriunt, quoniam ipsi saturabuntur.* Certè Domine Iesu alienum est a Principum, & Regum Maiestate, & opulentia, vt famuli eius esuriant, & non sit copia adeorum fami satisfaciendũ, cum ergo tu sis Rex Regum, & Dominus Dominantium, ne permittas famulum tuum semper esurire, & nunquam saturari.

Secundus actus sit, Deus meus propter ardentem amorem, quo te diligo propono firmissimè præcepta tua omnia implere, & consilijs tuis aquiescere, & quantum diuina gratia adiuuante in me fuerit, neque in re graui, aut leui diuinam tuam Maiestatem offendere, & si ad vitandum quodcumque peccatum, non solum mortale, sed etiam veniale oporteret millies mortem subire, dedecus, aut contumeliam pati, aut quemcumque cruciatum sustinere, vsque ad sanguinis, & vitæ perfusionem, eligo magis illa omnia mala perferre, quam te Deum meum semel offendere etiam leuiter.

Tertius actus, Deus meus ex toto animo, & ex toto corde meo efficacissimè volo te amare amore quodam imitante tuum amorem erga me, tu certè ita me amasti, vt non dubitares me præferre, & anteponere tuæ propriæ vitæ, & honori, si quidem hæc propter me amisisti, ego igitur te præpono, & præfero ex toto corde meo omnibus creaturis, tam præteritis, præsentibus, quam futuris, omnes illas, & me ipsum, vitam, honorem, diuitias, voluptates, & dignitates, & quicquid in rebus creatis appetibile est tibi postpono, om-

nia,

Naz. ep. 10. *Eus.* *Hier. ad Theoph. in Ioan.* *Epph. doctrina de humil.* *Chrys. li. 2. de Sacerd.* *August. serm. 53. de temp.* *P. l. 3. u. cont. c. 13.* *Cyril. in 13. Ioan.* *Greg. lib. 6. ep. 60.* *Ber. cap. 2.* *1. Corint. 2.*

nia, vt stercora reputans imo, & nihili habens in comparatione infinitæ tuæ perfectionis, ac diuinæ excellentiæ, & maiestatis, auffer a me omnem illatum amorem, vt totum cor meum impleat amor tuus: deinde tu me amasti, non respiciens ad vllam tuam vtilitatem, quam ex me decerpere posses, sed propter tuam solam bonitatem, ego igitur Domine Iesu te amo propter tuam infinitam bonitatem, non respiciens ad aliquod proprium interesse meum, etenim animus meus talis est erga te præ amore, quo tu illum inflammas, vt si nullum præmium daturus esses mihi propter implendam tuam voluntatem, nec vllum supplicium propter eandem transgrediendam, nihil minus te amarem, colerem, & seruirem quam nunc, nec enim respicio ad aliud, quam ad immensum pelagus tuæ bonitatis propter quam mæreris a creaturis tuis summo amore diligi: insuper etiam tu me amas amore perseueranti. Ita, vt certissimum est secundum fidem catholicam, quod tu nunquã desines me amare, nisi prius ab amore tuo ego deficiam. Intendo ergo cum tota efficacia cordis mei amare te amore perpetuo habituali, & quantum in me sit diuina gratia fauente, etiam actuali: ad hæc ita me ardenter amasti, vt nihil difficile, nihilque durum, & asperum non sustinueris propter me, etiam flagella, spinas, & acerbissimam Crucis mortem. Ego igitur desidero te imitandi in hoc amore, paratus sum quæcumque dura, & aspera propter amorem tuum perferre, ipsos etiam acerbissimos Martyrum cruciatus; vtinam Domine ego crucifigerer pro te, sicut tu crucifixus es pro me, tandem ita Domine Iesu amas me, vt præ amoris tui magnitudine, desideres mecum esse, & ad me uenire, cuius tui desiderij euidentissimum argumentum est, quod per Sacramentum Eucharistiæ frequenter de cęlo ad me venis, intra pectus meum te constituis, & cordi meo insides, ad tui ergo amoris imitationem anima mea ardenter ad te venire desiderat, vt te videam, te amplectar, te fruar, & tanquam in centro meo in æternum in te quiescam, quando veniam, & apparebo ante faciem tuam, pudet me tam tepide vultum tuum desiderare, in quem desiderant Angeli prospicere, pudet me tanta tepiditate cupere videre infinitam tuam pulchritudinem cum alioquin summa auiditate nociuam creaturarum pulchritudinem videre desiderauerim, & cum ingenti animæ meæ iactura illam viderim: hunc actum amoris exercebat D. August. lib. Solliloquiorum, cap. 1. dum dicebat. *Ostende mihi consolator meus, uideam te lumen oculorum meorum. Veni gaudium spiritus mei, uideã te lætitiam cordis mei, Diligam te uita animæ meæ, Appare mihi delectatio mea magna, solatium meum dulce, Domine Deus meus, vita mea, & gloria tota animæ meæ, inueniam te desiderium cordis mei, teneam te amor animæ* D. Aug. libr. Soll. cap. 1.

mea amplectar te sponse cælestis, exultatio mea summa: intus & extra, possideam te in medio cordis mei uita beata, dulcedo summa animæ meæ.

Quartus actus charitatis est in hunc modum: cum tu Deus meus omnia opereris per te ipsum, & propter gloriam tuam, ego creatura tua conformans me tibi creatori meo, volo efficaciter, & cum omni conatu cordis mei omnes actiones meas exercere, propter te solum Deum, & propter maiorem gloriam tuam dicens cum sponsa, *Omnia poma noua, & vetera seruaui tibi dilecte mi.* Poma noua sunt opera supernaturalia, quæ ex charitate oriuntur iuxta mandatum nouum, & legem nouam gratiæ, cuiusmodi sunt receptio Sacramentorum, sacrificium Missæ, pænitentia, maceratio carnis; poma verò vetera sunt opera naturæ, quæ vetustior est, quam gratia, vt confabulari, edere, dormire, & alia, quæ sunt naturali rationi consentanea, hæc igitur omnia opera operari intendo solum vt tibi placeant, & in tuam gloriam referantur.

Quintus actus sit: ego Deus meus volo vehementer tibi intime esse vnitum, & quod tu mecum intime vniaris, volo vt semper sis in intellectu meo, & ego in tuo, volo vt perpetuo sis in memoria mea, & ego sim in memoria tua: volo vt in voluntate mea semper ardeat ignis amoris tui, & in voluntate tua semper perseueret ignis amoris mei, volo vt in me sit perpetua, & intermissa cura tibi semper seruiendi, & in te sit perpetua sollicitudo me protegendi, volo tandem sagittis ardentissimæ charitatis tuæ cor meum vulnerari volo etiam sagittis amoris mei vulnerare cor tuum, vt sic

Cant. 4. possis dicere, *Vulnerasti cor meum soror mea.* ò vtinam Domine hæc adipiscar à te, potentior es tu, & benignior, ac largior ad hoc mihi dandum, quam ego ad desiderãdum. Per exercitium huius quinti actus amoris impletur præceptum illud diuinum, diliges Dominũ Deum tuũm ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, vt adnotauit D. Augustinus in expositione huius loci, dicens toto corde, idest toto intellectu sine errore, tota anima, id est voluntate, sine contradictione, tota mente, idest memoria sine obliuione, sic etiam & impletur, quod idem D. Augustinus dixit lib. de Doct. Christiana cum ait, *toto corde, tota anima, tota mente, nullũ vitæ nostræ partem reliquit, quæ uacare debeat, & quasi locum dare, ut alia re uelit frui, sed quicquid aliud diligendum uenerit in animam suam, illuc rapiatur, quo totum dilectionis opus currit.*

Sextus actus amoris in hunc modum elici debet cum ergo Iesu bone te super omnia diligam cor meum abstulisti, sine corde autem nemo viuere potest, da mihi ergo cor tuum, equidem si cor ibi semper est vbi amat, tecum ergo semper existat necessé est, quem solum toto affectu super omnia diligit, certè cor meum, vt

mihi

mihi restituas nolo,aliud omne cor fastidio,tuum solum est dilecte,quod desiderio meo satis esse possit. Sed an non tuum apud me cor habeo? profecto si amas me dilecte mi, etiam tuum apud me cor existit? O faustam permutationem,si tu meum, & ego pro meo tuum cor possideam.si tu animam meã, & ego tuã habeam: si tu in me,ego in te maneam,& in perpetuum viuam, ita vt præter te Deum meum alia nulla anima viuam,nullo alio corde consistam,nec extra te vllam aliam vitam desiderem. O vtinam tecũ constanter habitem,tecum perpetuo verser, tuaque semper præsentia fruens,in te solo quiescam, & extra te nihil quæram, nihil desiderem,nihil amem:ne meæ cogitationes, studia, voluntates, vel ad latum vnguem à tua dilecte mi, qui es amor meus, omne solatium meum,voluntate vnquam deflectant.

Septimus actus exerceri potest in hunc modum: Omnes tuæ perfectiones Deus meus ad te amandum me alliciunt,& inuitant, nam si tuam infinitam sapientiam,& prouidentiam mente percurram,nulla me cura affligit,nullus timor percellit,si diuinæ potentiæ tuæ amplitudinem suspiciam,nulla me sub tuo patrocinio viuentem humana potentia concutit: si naturæ tuæ diuinæ amabilitatem,illimitatam liberalitatem,misericordiam,benignitatem interminatam,ac infinitam pulchritudinem expendam,inuenio nihil in creaturis esse, quod in te infinitè perfectius non splendeat, idque nulla anxietate, aut molestia, vt in creaturis vitiatum, in te enim infinita bonitas,infinita voluptas,immensa sapientia,summa prouidentia,infinitus amor,infinita iucunditas,& opulentia:tu ergo solus eam bonorum amplitudinem possides, quæ insatiabilem animæ meæ cupiditatem plenè satiare potest. O anima mea,si amas diuitias,in Deo cælestes simul omnes,ac huius mundi diuitię continentur. Honores exoptas? quis te ad ampliores, seu in cælo, seu in terra honores euehere potest,quam Deus? In Deo existunt cælestes omnes delitiæ, quæ infinito excessu terrenas omnes exsuperant. Beneuolentianè.& uerborum suauitate ad amandum inuitaris,quis Deo beneuolẽtior? amabilior? & ex cuius ore suauior vnquam oratio prodijt? Diligis sapientiam, quæ sapientia cũ Dei sapientia,& virtute potest contendisse? amas potentiam, & maiestatem,nulla cum omnipotentia Dei conferri potest,amas pulchritudinem cum generositate animi coniunctam,hæc ita in Deo splẽdent, vt omnis creaturæ pulchritudo, & animi generositas turpitudo, & vilitas merito censeri debeat.

Octauus actus eisdem verbis D. Augustini: *Sicut nulla est hora, vel punctum in omni uita mea, quo tuo beneficio non utar, sic nullum debet esse momentum, quo te non habeam ante oculos in mea memoria, & te non diligam*

D. Aug. in Solil. cap. 18.
Iacob. 1.

gam ex omni fortitudine mea. Sed nec hoc ualeo nisi tu dederis mihi, cuius est omne donum bonum, & omne datum optimum descendens a patre lumi-
Rom. 9. num, apud quem non est transmutatio, nec uicissitudinis obumbratio. Non e-
De seruo nim est uolentis neque currentis, sed tui miserentis, ut diligamus te, tuum
re chari- est Domine hoc donum, cuius est omne bonum, iubes te diligi, da quod iubes,
tatis c.19 & iube quod uis, amo te Deus meus, magisque semper amare cupio, quia tu es reuera omni melle dulcior, omni lacte nutribilior, & omni luce clarior.

D. Aug. in Man. cap. 3. Nonus actus ex eodem D. Augustino in hæc verba: *Quæso piissime inuocantem te non deseras, quia priusquam te inuocarem, me uocasti, & quæsisti, ut ego seruus tuus te quærerem, quærendo inuenirem, & inuentum amarem. Quæsiui, & inueni te Domine amare desidero. Auge desiderium meum, & da quod peto: quoniam si cuncta, quæ fecisti, mihi dederis, non sufficit seruo tuo, nisi te ipsum dederis, da ergo te ipsum mihi Deus meus, redde te mihi. En amo te, & si parum est, amem ualidius, tuo ergo amore teneor, tuo desiderio flagro, tua dulci memoria delector. Ecce dum tibi mens mea suspirat, & tuam ineffabilem pietatem meditatur, ipsa carnis sarcina minus grauat, cogitationum tumultus cessat, pondus mortalitatis, & miseriarum more solito non hebetat, silent cuncta, tranquilla sunt omnia, cor ardet, animus gaudet, memoria uiget, intellectus lucet, & totus spiritus ex desiderio uisionis*
De mise- *tuæ accensus, inuisibilium amore rapi se uidet. Assumat spiritus meus pennas,*
ria ani- *ut aquilæ, uolet & non deficiat, uolet & perueniat usque ad decorem domus*
mæ, quæ *tuæ, & ibi super mensam refectionis ciuium supernorum pascatur de occultis*
Chris. nō *tuis in loco pascuæ iuxta fluenta plenissima.*

amat. c.4 Decimus actus ex eodem D. Augustino cap. 5. *Fac me dulcis Christe bone Iesu, fac me rogo amore, & desiderio tuo deponere onus carnalium desideriorum, & terrenarum concupiscentiarum, dominetur carni animæ ratio, rationi gratia tua, & tuæ me interius, & exterius subde uoluntati. Tribue*
De feli- *mihi, ut laudet te cor meum, & lingua mea, & omnia ossa mea. Dilata men-*
citate aīę *tem meam, & attolle intuitum cordis mei, ut uel rapida cogitatione spiritus*
à terreno *meus attingat te æternam sapientiam super omnia manentem, dissolue me ero*
carcere *à uinculis quibus constrictus teneor, ut relinquens omnia ista tibi festinem,*
resolutæ, *tibi soli inhæream, tibi soli intendam.*

cap. 6 Vndecimus actus ex eodem D. Augustino ibidem. *Amo te Deus meus, amo te, & magis atque magis amare uolo, da mihi Domine Deus meus*
In Man. *speciose præ filijs hominum, vt desiderem te, vt amem te, quantum volo, &*
capit. 9. *quantum debeo, immensus es, & sine mensura debes amari, præsertim à no-*
10. De *bis, quos sic amasti, sic saluasti, pro quibus tanta, ac talia fecisti. O amor qui*
dulcedi- *semper ardes, & nunquam extingueris, dulcis Christe bone Iesu, charitas*
ne diuini *Deus meus, accende me toto igne tuo, amore tuo, dulcedine tua, dilectione tua,*
amoris, *desiderio tuo, charitate tua, iucunditate, & exultatione tua, pietate, & suaui-*
cap. 10. *tate tua, voluptate, & concupiscentia tua, quæ sancta est, & bona, quæ casta est, & munda, ut totus dulcedine amoris tui plenus, totus flamma tuæ charitatis*

tatis uaporatus diligam te Dominum meum dulcissimum, & pulcherrimum ex toto corde meo, ex tota anima mea, ex totis uiribus meis, & omni intentione mea, cum multa cordis contritione, & lachrymarum fonte, cum multa reuerentia, & tremore, habens te in corde, & in ore, & præ oculis meis semper, & ubique ita, ut nullus in me adulterinus amoribus pateat locus.

Duodecimus actus ex eodem D. Augustino in Manuali. *Quæro* D. Aug.
uultum tuum, uultum tuum Domine requiro. Eia nunc ergo Domine Deus c. 30.
meus tu doce cor meum, ubi & quomodo te quærat, ubi & quomodo te inueniat, Domine si hic non es, ubi te quæram absentem? Si autem ubique es,
cur te non uideo præsentem? Sed certè habitas lucem inaccessibilem, sed quo- 1.Thi.6.
modo accedam ad lucem inaccessibilem, aut quis me deducet, & inducet in illam, ut uideam te in illa? Deinde quibus signis, qua facie te quæram? nunquam te uidi Domine Deus meus, nunquam noui faciem tuam. Quid faciet seruus tuus anxius amore tui, & longè proiectus a facie tua? Et anhelat uidere te, & nimis illi abest facies, accedere ad te desiderat, & inaccessibilis est habitatio tua: inuenire te cupit, & nescit locum tuum. Quærere te affectat, & ignorat uultum tuum, Domine Deus meus es tu, & Dominus meus, & nunquam uidi te, tu me fecisti, & refecisti, & omnia bona tua mihi contulisti, & nondum uidi te, neque noui.

Decimus tertius actus amoris eiusdem D. Augustini lib. de D.Aug.
Contritione: *Trahe me Domine in amorem, & hoc ipsum totum, quod si-* de contri
ne contradictione tuum est, fac tuum dilectione. Ecce Domine coram te est tione ca.
cor meum, accedere ad te per se non potest, admitte me intra cubiculum amo- 20.
ris tui: peto, quæro, pulso: quod me facis petere, fac me accipere; das quærere, da inuenire: doces pulsare, aperi pulsanti: cui das, si negas petenti? quis inuenit, si quærens frustratur? Cui aperis, si pulsanti claudis, quid das non oranti, si amorem negas oranti: a te solo habeo impetrare, adhærere animam meam uolo ad te. O bone Domine si amorem tuum negas, quis dabit? fac me participem amoris tui, languet anima mea, refocilla illam, dilectio tua impinguat eam, affectus tuus impleat eam: amor tuus erigat me totum, & possideat. Scio Domine scio, & fateor, quod non sum dignus, ut me diligas. Sed certè non es indignus seruitio creaturæ tuæ. Da igitur mihi Domine, unde es dignus, & ego ero dignus unde sum indignus, fac me quoquo modo uis a peccato cessare, ut quoquo modo debeo possim tibi seruire: concede mihi sic custodire, regere, et finire uitam meam, ut in pace dormiam, & requiescam, & præsta mihi in fine, ut me accipiat somnus cum requie, cum securitate, securitas cum æternitate.

Decimus quartus actus ex eodem D. Augustino lib. de Contri- *Desiderij*
tione: *Domine Deus Creator meus, adiutor meus, te sitio, te esurio, te desi-* *boni exci*
dero, ad te suspiro, te concupisco benignissimum, suauissimum, serenissimum, te *tatio præ*
uolo, te quæro, & in te spero, accede ad me Domine, appare mihi, & consola- *dicatio c.*
tus ero, ostende mihi faciem tuam, & saluus ero, exhibe mihi præsentiam 30.

tuam,

pliciter, uno modo secundum quod gaudemus de bono diuino in se considerato, alio modo prout a nobis participatur. Primum autem gaudium melius est, & hoc procedit principaliter a Charitate, sed secundum gaudium procedit etiam ex spe per quam expectamus diuini boni fruitionem; Deinde artic.3.in corpore inquit: *Plenitudo gaudij potest intelligi dupliciter uno modo ex parte rei, de qua gaudetur, ut scilicet tantum gaudeatur de ea quantum est dignum de eo gauderi, & sic solum Dei gaudium est plenum de se ipso, quia gaudium Dei est infinitum, & hoc est condignum infinitæ bonitati Dei, cuiuslibet autem creaturæ gaudium oportet esse finitum:* Hæc D.Thomas. Hoc præiacto fundamento.

Primus gaudij actus erit: Certè Deus meus cum sis pelagus infinitum omnium bonorum, & omnium perfectionum non possum te amare desiderando tibi aliquod bonum, quod naturæ tuæ deficiat, omnes enim perfectiones excogitabiles in te sunt, quædam formaliter, quædam eminenter, oportet ergo, vt te amem sicut ex omnibus præcordijs meis te amo complacens in omnibus perfectionibus quas possides, gaudeo igitur, quod sis vnicus Deus in essentia, & trinus in personis, gaudeo vehementer, quod tu Pater generes tibi filium consubstãtialem, gaudeo, quod simul cum filio producas Spiritum Sanctum, gaudeo, quod hanc singularem dignitatem habeas, quod nullum tui principium agnoscas, atque adeo sis principiũ improducibile, reliquæ vero diuinæ personæ a te procedant, gaudeo vehementer fili Dei, quod a Patre sis genitus per intellectum se, & omnia comprehendẽtem, gaudeo, quod sis verbum Patris, exemplar omnium creaturarum, candor lucis eternæ, speculum sine macula, imago bonitatis illius, & figura substantiæ eius, gaudeo etiam vehementer diuine spiritus, quod per voluntatem procedas a patre, & filio vtrique consubstantialis, & quod etiam ex vi tuæ processionis sis amor personalis, quod nulli alteri personæ conuenit nisi tibi soli, itaque quocumque modo te cogitem siue essentialiter siue personaliter vndique amor es increatus, charitas infinita, ignis inextinguibilis accendens totam Beatissimam Trinitatem, ita Beata Trinitas de his omnibus gaudeo, vt si quidpiam illorum tibi deficere posset, & in potestate mea esset illud tibi dare possem, libentissimo animo id tibi præstarem.

Secundus actus gaudij exerceri potest simili modo circa perfectiones diuinas; Gaudeo Deus meus de tua infinita bonitate, sapientia, potentia, infinita pulchritudine gaudeo de tua indicibili gloria, quod scilicet te comprehendas: hoc est, vt te cognoscas quantum cognoscibilis es, te ames, quantum amabilis es, & quantum amari mæreris, te fruaris quantum fruibilis es, ac tandem gau

deo de tua iustitia, misericordia, liberalitate, & reliquis omnibus attributis tuis, quia bona tua sunt: insuper etiam magis gaudeo, vt tibi illa insint, quam mihi, vnde si quodpiam illorum possibile foret tibi deesse, & a voluntate mea penderet illud tibi dare, vel mihi seruare, tu scis Domine quem huius veritatis testem adduco, malem ego eo priuari, quam tibi illud deficere, & si cuiuspiam incrementi capaces essent tuæ perfectiones, eligerem potius earum, quam mearum augmẽtum, etiam si ad hoc oporteret millies mori, vel etiam annihilari, quod si ita est Deus meus pro tua innata, & congenita generositate, vt apud te voluntas pro facto reputetur, obsecro Domine, ita tibi grata sit hæc mea voluntas, ac si eam effectu in opus prodiret, dando tibi eas perfectiones, quas prædixi, equidem si voluntas te odio habentis, qui si posset aufferet a te naturam diuinam destrueretque te Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, ac omnia tua attributa summè detestabilis, & iniuriosa esset tibi quęso in hæroico gradu sit tibi gratissima voluntas mea te Deum meum taliter amans, vt velit, & gaudeat te tibi omnia illa bona inesse, & quod si posset illa tibi daret si quoquo modo tibi deficere possent. Quod si agnoscere vis excellẽtiã horum actuum considera, quæso quam gratum esset Deo, si cum effectu illa bona ei dares, & ex hoc facilè deprehendes, quam sit illi gratus affectus, & prompta voluntas illa ei dandi si posses, aduerto tamen, quod cum in qualibet materia orationis mentalis siue pertineat ad vitam, vel passionem Christi, siue ad cognitionem sui, siue ad considerationem peccatorum, vel nouissimorum, vel cuiuscumque alterius similis semper splendeant diuina attributa semper habet voluntas occasionem exercendi hunc actum gaudij, & reliquos charitatis, quos supra assignauimus, aduerto etiam, quod idem affectus gaudij de perfectionibus diuinis potest proportionaliter exerceri circa alia extrinseca, quæ ad maiorem Dei gloriam pertinent impensè gaudendo, quod in cælo ab Angelis, & Sanctis adoretur, & honoretur absque vlla intermissione, & in terra similiter a multis fideliter seruiatur è contra etiam dolendo, quod a multis grauiter offendatur, & quod ipse tam tepidus sis in amãdo Deum, ac tandem quod incolatus tuus prolongetur, cum Dauide clamãs: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est.* Tandem moneo quemcumque nouiter cõuersum ad Deum non statim, ac peccata confessus est in his actibus gaudij exerceri, nec enim ascendere debet ad osculum oris, antequam trãseat per osculum manuum, & pedum, vt his verbis sapienter hortatur mellifluus Bernardus super Cant. serm. 3. *Non temere assurgat ad os serenissimi sponsi, sed ad pedes seuerissimi Domini mecum pauida iaceat, & cum publicano terram tremens*

D.Bern.

non

non cælum aspiciat: ne confusa in luminaribus cęli facies assueta tenebris, opprimatur à gloria: atque insolitis reuerberata splendoribus maiestatis, densioris rursum cæcitate caliginis obuoluatur. Non tibi, o quæcumque es talis anima, non tibi ille locus vilis, aut despicabilis uideatur, ubi sancta peccatrix peccata deposuit, induit sanctitatem. Deinde paucis interpositis subdit: *Hoc ergo restat, mihi prius petendum, & accipiendum, quam præsumam altiora, & sacratiora contingere. Nolo repentè fieri summus: paulatim proficere volo. Quantum displicet Deo impudentia peccatoris, tantum pænitentis verecundia placet: citius placas eum si mensuram tuam seruaueris, & altiora te non quæsieris longus saltus, & arduus est de pede ad os, sed nec accessus conueniens. Quid enim? recenti adhuc respersus puluere, ora sacra continges? Heri de luto tractus, hodie vultui gloriæ præsentaris? Per manum tibi transitus sit illa prius prius te tergat, illa te erigat. Quomodo erigat? dando vnde præsumas, quid istud? Decor continentiæ, & digni pænitentiæ fructus, quæ sunt opera pietatis. Hæc te de stercore erigent in spem audendi potiora;* hactenus D. Bernardus: Poterit tamen peccator, quantumuis recens pænitens vehementer gaudere, quod habeat Deum adeo misericordem, & benignum, vt dignatus fuerit illum efficaciter ad se cõuertere gaudere, quod a malis iam se abstineat, & in bonis operibus se exerceat, equidem ipsa bona conscientia pariet in corde eius incredibile gaudium, vt significauit Ecclesiasticus dicens; *Cognoui, quod non esset melius nisi lætari, & facere bene in uita sua:* & ibidem: *Timor Dei gloria, & gloriatio, timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam, & gaudium.* Hinc D. Chrysost. ad populum Antiochenum ita loquitur: *Nihil aliud est triste, nisi Deum offendere, quod cum aberit, non tribulationes, non insidiæ, non quicquam aliud sapientem animam poterit contristare: sed quemadmodum si exiguam scintillam in lacum deieceris profundum, statim extinxeris, itidem, & omnis tristitiæ superabundantia in bonam missa conscientiam extinguitur. Propterea quidem, & Paulus semper gaudebat, quoniam interius secundum Deum confidebat, neque tot malorum capiebat sensum, sed dolebat quidem, ut homo, non tamen cadebat. Sic & Abraham Patriarcha erat in delectatione multa passus tristitia. Verum nihil horum eum prostrauit.*: Hactenus D. Chrysost. Ac tandem, vt compendium faciam eorum de quibus gaudendum, respiciendum est ad præterita, præsentia, & futura: ad prçterita quidem, quod ex nihilo creati, ad vitam æternam, vt confidimus prædestinati, & a Domino dilecti sumus; ad præsentia vero quia à Deo conseruamur, gubernamur, a malis protegimur, ad bona iuuamur, & vt pie de sua diuina largitate putamus gratiam iustificantem nobis donauerit; ad futura tandem, quod per Dei misericordiam, & merita Iesu Christi filij eius anima, & corpore gloriosi feliciter migrabimus, ac vltimo nostro fine fruemur iuxta illud:

Eccl. 3.c.

Ps. 112.

Eccl. 13.

D.Chrys. hom. 25.

Iud: *Gaudete, & exultate quoniam merces uestra copiosa est in cælo*. Hæc adeo sunt excellentia bona, vt in mentem reuocata, non possint homini pænitenti non magnam ingerere lætitiam, & omnem immoderatam tristitiam longè exterminare.

De actu amoris proximorum.

§. IV.

1. Ioan. 2 CVm D. Ioannes apertis verbis dicat, perfectionem charitatis consistere in eo, quod ad inuicem nos amemus: *Si diligamus inuicem, charitas Dei in nobis perfecta est*. Maximè curandum est viro spirituali christianam perfectionem sitienti varios actus amoris erga proximos, tam internos, quam externos exercere, siue illi sint amici, siue inimici: antequam autem ad praxim horum actuum accedam, varia incitamenta ad frequens illorum exercitium ex sacris scripturis deprompta hic adscribam.

Primum incitamentum sit: quod Christus Dominus id nobis frequenter præcepit: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum, ego autem dico uobis diligite inimicos uestros*; & alibi sæpe: deinde quia valde desiderat, vt inuicem nos diligamus, vnde Ioan. 17. recessurus ad Patrem sic orauit; *Rogo Pater, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint, ut credat mundus, quia tu me misisti*. Certum est vnionem, quam his verbis postulat Christus Dominus, non posse æquare vnionem illam, quæ est inter Patrem, & filium, satis autem indicauit, quam magnam velit esse, cum comparauerit illam perfectissimæ omnium vnioni, qualis est, quę reperitur inter Patrem, & filium, quæ est vnitas essentialis distinctarum personarum in identitate naturæ, est tamen obseruatione dignissimum Christum Dominum duplicem mirabilem effectum assignare in prædictis verbis. Primus est, quod si sumus vnum inter nos, erimus vnum cum illo: *Vt & ipsi in nobis unum sint*. Secundus est practica quædam cognitio, qua cognoscunt fideles ad inuicem diligentes, veram, & certam esse fidem Catholicam, quam profitētur, cum impossibile sit religionem, quæ talem animorum vnionem inter se, & cum Deo præcipit non esse bonam, & sanctam.

(Marginal notes: Matt. 22; Matt. 5.; Ioan. 17.; Ioan. 17.)

Secundum incitamentum est, quod ad præceptum amoris proximi implendum, exēplum habemus in Christo Domino in quantum Deus, & in quantum homo, in Beata Virgine, in Angelis, & omnibus Beatis, & iustis, Deus manifestum est homines diligere, nam præter alia omnia beneficia, quæ quotidie in eis cōfert Ioan. dixit: *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret*. Christus

(Marginal note: Ioan. 3.)

stus etiam vehementer nos dilexit eodem Ioan.dicente: *Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo*. Vnde, & pendens in
cruce pro inimicis orauit dicens: *Pater dimitte illis non enim sciunt,* Luc. 23.
quid faciunt. Vbi obseruatione dignissimum arbitror, quod cum
pro se ad Patrem loqueretur dixit: *Elohi, Elohi, ut quid dereli-* Matt. 27
quisti me. Elohi autem significat: *Deus meus*. cum vero orat pro inimicis vocat illum Patrem, o immensa charitas, Deum rogat, vt se habeat tamquam pater erga inimicos suos illis parcens, & pio, ac paterno affectu illos prosequens, erga se vero postulat esse seuerum Iudicem exigens ab eo pœnas, & dolores, vt pro illis satisfaciat; non meretur nomen Christiani, qui hoc tanto exemplo non mouetur ad dilectionem inimicorum: Angeli diligunt homines, cum omnes sint administratores Spiritus propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis, singularemque eorum custodiam habent; Beata Virgo diligit instar matris cum filio suo sæpe nos reconciliantis; Sancti deinde multa, & hæroica amoris exempla nobis reliquerunt ad imitationem Christi pro inimicis suis orantes, & illis benefacientes: vnde Seraphicus noster Pater D. Franciscus se inuidere terræ, aiebat, quæ ab hominibus conculcata, & ab agricultoribus aratro, & vomere scissa, & trita, & a querentibus argentum euiscerata ligonibus, calcantes nihilominus sustinet, & super humeros defert, & agricolis pro scissuris fructus vberrimos reddit, & euiscerantibus eam aurum, & argentum, & reliquos sus thesauros exhibet: insuper etiam in cęlis nos dilgunt pro nostra salute instanter intercedentes, tandem iusti omnes se inuicem diligunt alioquin iusti non essent.

Tertium incitamentum est, quia impletio huius præcepti est suauis, & facilis, tum quia per illam ad inuicem consolamur Eccl.
dicente, *In tribus beneplacitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram* Eccl.
Deo, & hominibus, concordia fratrum, amor proximorum, & vir, & mulier
bene sibi consentientes: tum etiam, quia prædictum præceptum po- Deut. 30
test præstari à paupere, & diuite, à sano, & infirmo, nec opus est pecunias quærere, nec longas vias peragrare, aut similes labores sustinere, vnde Deus in Deut. loquens de hoc præcepto dixit, *Mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, nec procul positum, sed*
iuxta te est in ore tuo, & corde tuo, ut facias illud: quod si dicas licet sit 1.Reg. 14
facilè amare amicum, esse tamen difficile, & molestum amare ini- 2.Reg. 18
micum, huic obiectioni respondet D. Augustinus in hæc verba, Act. 7.
digna quidem tanto Doctore, *Multi dicunt sufficere uirtutibus non* 60
odisse inimicos, cæterum diligere plus præcepit, quam humana natura patia- Ro. 9. 3.
tur. Sciendum est ergo Christum non impossibilia præcipere, sed perfecta, quę Luc. 23.
Dauid fecit in Saul, & Absalon; Stephanus quoque martyr pro inimicis se 34

lapi-

lapidantibus deprecatus est, & Paulus anathema esse cupit pro persecutorib. suis. Hæc autem Iesus & docuit, & fecit dicens: Pater ignosce illis. In reliquis operibus bonis interdum potest aliquis qualem cumque excusationem prætendere, in habenda vero dilectione nullus se poterit excusare. Potest mihi aliquis dicere non possum ieiunare: nunquam potest dicere non possum amare. Potest dicere propter infirmitatem corporis mei non possum à uino, & carnibus abstinere, nunquid potest dicere, non possum diligere? Potest aliquis dicere uirginitatem non possum seruare: potest dicere non possum res totas uendere, & pauperibus erogare: nunquid potest dicere, non possum diligere inimicos? Non enim ibi, aut pedes currendo laborant, aut aures audiendo, aut manus operando lassantur. Non nobis dicitur, Ite ad orientem, & quærite charitatem: nauigate ad occidentem, & inuenietis dilectionem. Intus in corde no-
Is. 46.12 *stro est ubi redire iubemur, dicente Propheta, Reddite præuaricatores ad cor. Non enim in longinquis regionibus inuenitur, quod à nobis petit. Et orate pro*
Matt. 5. *persequentibus, & calumniantibus vos. Quid aliud pro inimicis orandum est,*
45 *nisi hoc, quod ait Apostolus, Vt det illis Deus pænitentiam, & resipiscant à*
2. Tim. 2 *Diaboli laqueis.* Hactenus D. Augustinus. Facilitas huius præcepti
26 ex difficultate contrarij satis vtique innotescit, nam si Deus tibi præciperet, vt vindictam sumeres de inimico, etiam si absens esset, vide quanta mala deberes perferre, vt vindicares te de inimico, maxime si ille potentior, & nobilior te esset, censendum est igitur facile præceptum de te non vindicando.

Quartum incitamentum consurgit ex multiplici capite, tum
1. Cor. 11 quia omnes sumus vnius corporis membra Paulo dicente, *Multi unum corpus sumus in Christo.* vnum autem membrum non hẽt odio aliud, sed omnia sibi inuicem obsequium, & fauorem præstant, neque caput, aut oculus pedes contemnit, tum quia sicut anima nõ viuificat membra, nisi sibi inuicem copulata, ita Spiritus sanctus non viuificat Christianos odio separatos, sed amore coniunctos, tum quia qui diligunt proximum testimonium habent in se, & pignus certissimũ, quod sunt discipuli Christi, & filij Dei, vt Chri-
Ioan. 3. stus Dominus testatur, nam Ioan. 3. dixit, *in hoc cognoscẽt omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem,* & Matth. *vt sitis*
Matt. 5 *filij Patris uestri, qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos,* tum quia quicquid boni præstamus proximo ex charitate,
Matt. 25 id Christus sibi præstari declarauit, *quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis,* tum quia hoc ipso, quod renuis dimittere inimico, certissimum est, quod Deus non tibi remittet peccatum tuum, & cõsequenter in æternum condemnaberis, tum quia D. August. dixit, *Ego ad inimicorum dilectionem uos commoneo, quia ad sanandum peccatorũ vulnera, nullum medicamentum utilius esse cognosco.*

Nunc iam ad actus amoris tam internos, quam externos, quos

erga

erga proximos exercere debemus, accedamus. Equidem cum amare proximos propter Deum, nihil aliud sit, quam amare illos, quatenus participant in se ipsis diuinum esse. Primus actus amoris proximorum hic erit. Deus meus sicut te amo propter te ipsum, & propter tuam bonitatem, ita & propter te amo omnes proximos meos, quos quidem si non amarem, facilè conuincerer te non diligere, nam qui amat alium, certè pulchram imaginem illum repræsentantem charam habet, cum ergo quilibet proximus sit imago, & participatio tua, non possum ex toto corde non amare illũ, in quo imago tua expressa relucet: deinde quemlibet proximum amo, quia video illum redemptum sanguine filij tui, & cum tã ingenti precio fuerit emptus vellem nullum perire, sed omnes tibi perpetuo inseruire, hoc autem modo amando proximum non recedo ab amore tuo, nam cum amem illum propter te manifestũ est, quod magis amo te.

Secundus actus erit: propter te Domine ita amo ꝓximos meos, etiam inimicos, vt si in potestate mea esset illos locupletarẽ, non solum bonis corporalibus ad salutem spiritualem eorum expediẽtibus, & omnia mala ab eis remouerem, sed & diuinis charismatibus gratia, charitate, & alijs virtutibus in heroico gradu illos cumularem. ipsam etiam vitam æternam eis donarem, vt in æternum tecum conregnare possent.

Tertius actus: vellem Domine Iesu propter tuum amorem omnibus malis proximorum etiam inimicorum, tam spiritualibus, quã corporalibus præsentissimum remedium adhibere, & pro salute eorum æterna, vellem sanguinem, & vitam profundere ad imitationem tuam, qui pro nobis omnibus illam in Cruce profudisti, imo & cupio cum D. Paulo pro fratribus meis anathema fieri, hoc est, vt ait amicus tuus Chrysostomus, ad tempus carere cælesti beatitudine, ipsasque inferni pænas absque culpa mea sustinere, vt ad te Deum meum conuerterentur, & tibi suo summo bono copularentur. *D. Chry. hom. 16. & 79. ad populum.*

Quartus actus: doleo vehementer Domine de peccatis ab omnibus proximis meis commissis, quia in illis video imaginẽ tuam deturpatam, video longè à te abesse, video te à se longe abiecisse, video & contempsisse, pro rebus vilissimis te commutantes incõmutabile, & infinitum bonum: ò si potuissem omnium eorũ peccata delere, & omnia illorum vulnera curare, continuo id præstarem: certè si ego cum malus adeo sim, hoc tamen bonum facerẽ, tu cum infinitè bonus sis, obsecro facias illud, vt sic omnes simus vnum tecum, & à te nunquam disiungamur, qui es vera, & æterna salus animarum nostrarum.

Quin-

Quintus actus: gaudeo vehementer Domine Iesu de prosperis successibus proximorum meorum, etiam inimicorum, sed vehementius, & intensius de conuersione eorum ad te, & de profectu suo spirituali, vtinam in dies crescant, & te ardentius ament, & tibi perseueranter inseruiant, vt te vltimum suum finem obtineant, ac tandem pro omnibus benefitijs eius collatis infinitas gratias ago diuinæ tuæ liberalitati, ac si in me ipsum omnia illa contulisses.

Sextus actus est: te imitari cupiens bone Iesu, sicut tu præ eximia tua charitate orasti ad Patrem pro inimicis tuis etiam te cru-
Matt. 27 cifigentibus dicens: *Parce illis Domine, quia nesciunt, quid faciunt.* Ita præ ardenti amore, quo te prosequor, cum toto conatu cordis mei instanter rogo, vt digneris parcere omnibus inimicis meis, mentem eorum illuminare, voluntatem inflammare, & cælestibus donis cumulare, vt tandem vitam æternam consequantur, atque ex hoc tempore firmissime propono non solum non illos odio habere, sed quantum potuero ex corde diligere, & eis in omnibus pro facultate mea benefacere, eorum speciali bono perspiciendo, honori consulendo, laudando, defendendo, & in omnibus licitis, & iustis eis placendo.

De actu adorationis Latriæ.

CVm bonum ad quod ordinatur cultus religionis, cuius primarius actus est adoratio, sit exhibere Deo debitum honorem, & honor debeatur alicui ratione excellentiæ, quam habet, hinc fit, quod cum Deo competat singularis illa excellentia, vt omnia in infinitum transcendat, ei debeatur supremus, & perfectissimus honor; cum autem honorare aliquem nihil aliud sit quam protestari excellentiam illius, tunc verè adoramus, & honoramus Deum nostrum cum protestationem facimus de excellentia bonitatis illius, aut cuiuslibet alterius eius attributi: ad exercitium autem hoc adorationis varia incitamenta nos stimulant.

Primum est excellentia diuinæ Maiestatis. Ipse enim solus est, vt ait Iob, cui creaturæ omnes comparatæ nihil sunt. Quare hoc
Exo. 3. 14 nomen sibi vendicat, dicens: *Ego sum, qui sum: sic dices filijs Israel.*
Matt. 19 *Qui est misit me ad vos.* Ipse est solus bonus. Nam summa veritas dixit: *Nemo bonus nisi solus Deus*: Ipse est solus potens, de quo
1. Tim. 6 Paulus: *Qui est Beatus, & solus potens, Rex Regum, & Dominus Domi-*
16. *nantium, qui solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem.* Quod si dignioribus, & maioribus cultus debetur, maximus honor debitus erit illi, qui solus habet excellentiam omnem, & supremam maiestatem: a quo quicquid boni, & dignitatis habent vni-

vniuersæ creaturæ, participant. Secunda causa est qualitas nostræ conditionis. Nos namque Dei sumus, secundum illud: *Omnes animæ meæ sunt: sicut anima patris, ita anima filij mea est, & omnia quæ sub cælo sunt mea sunt.* Quid autem æquius, quam vt homo suum creatorem veneretur, & in eius cultu suam omnem vitam insumat? Tertia est præstantia nostri finis, qui ipse Deus est. Vnde Ioan. ait: *Quia ipse est primus, & nouissimus, principium, & finis.* Nos autem creati ad Deum colẽdum, amandum, & sanctis obsequijs quærendum, dum autem eum non colimus nostro fine frustramur. Quarta Dei præceptum, qui nulli alteri nisi sibi ipsi latriæ cultum, & honorem exhiberi præcepit: *Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Etenim gloria adorationis est quam sibi Dominus reseruauit, de qua per Psalmistam dixit: *Gloriam meam alteri non dabo.* Quinta est emptio. Nam: *Empti sumus a Deo prætio magno.* Nempè sanguine filij sui, qui dedit semetipsum pro nobis, oblationem, & hostiam Deo, in odorem suauitatis: graue autem delictum erit, si seruus tanti emptus suo hero non seruiat, & cultum, ad quem emptus est, emptori suo diligenter non exhibeat, dignum autem erit obsequium, vt quemadmodum Christus Dominus totam vitam in nostram vtilitatem impendit, ita & nos, anima, & corpore perpetuum cultum, & honorem ei exhibeamus. Sexta est præmium, quod nobis Deum colentibus promissum est, Domini enim vox est: *Quicumque glorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles;* & rursum: *Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor, & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est.* Septima desumitur ex verbis Eccl. dicentis: *Qui adorat Deum in oblectatione suscipietur, & deprecatio illius usque ad nubes appropinquabit.* Atque ad hoc respiciens D. Paulus ad Heb. dixit. Christum Dominum exauditum fuisse pro sua reuerẽtia, hoc est, vt ibidem D. Thomas interpretatur, propter reuerentiam quam orans exhibuit Patri, vnde D. Bernardus serm. de modis orandi ad finem inquit: *Propterea multos in oratione uarios distractiones pati, quia orant absque debita reuerentia.* Vltima, quia adoratio pertinet ad religionem, quæ est perfectissima omnium virtutum moralium, etenim ea quæ sunt ad finem sortiuntur bonitatem, vt omnes Philosophi dicunt ex ordine ad finem, ex quo fit, vt quod quãto sunt fini propinquiora tanto sunt meliora, cum ergo virtutes morales versentur circa ea, quæ ordinantur in Deum sicut in finem, & inter illas religio magis de propinquo accedat ad Deum, cum directè, & immediatè operetur ea quæ ordinantur in diuinum cultum, & honorem, consequens est religionem excedere omnes alias virtutes morales: sed iam ad praxim adorationis pergamus: certè cum Deus creator sit animæ, &

Ezec. 8. 4
Iob 41. 2
Apoc. 2. & 22.
Matth. 4
1. Cor. 6. 20
1. Reg. 2. 30
Matt. 10 32
ad Heb. 5
D. Bern.

corporis, adorare, & reuereri illum debemus actibus internis animæ, & externis corporis, hoc enim duplex tributum debitum est ei, cum sit Rex, & supremus Dominus, tam animæ, quam corporis prius ergo dicemus de actibus internis, deinde de externis: equidem licet adoratio latriæ interior sit actus voluntatis, quia tamen procedit ex consideratione diuinæ excellentiæ ex vna parte, & indignitatis, & vilitatis nostræ ex alia, prius præcedere debet in intellectu existimatio altissima de Deo, qua firmissimè credamus illũ esse summam sapientiam, summam bonitatem, summam potentiam, summam liberalitatem, creatorem, conseruatorem, & gubernatorem mundi, supremum omnium Dominum, bonorum munificentissimum remuneratorem, iniquorum vero zelantissimum vltorem.

Primus ergo actus adorationis erit iste: ego timeo, paueo, & contremisco Domine in conspectu huius tantæ tuæ maiestatis comparere, si enim Virtutes, & Potestates tremunt, quid non tremam ego vilissimus vermiculus, verum cum Abrahamo te adorante dicam, etiam si sim puluis, & cinis loquar ad Dominum meum, obsecro Domine admitte me, vt cum Angelis te adorem,
Isa.6. & benedicam, & in eorum consorcio canam: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum.*

Secundus actus sit: ego Deus meus concipio de te suprêmam omnium æstimationem, ac tam altè, & excellenter de te sentio, & tam profundè me tibi submitto quam decet creaturam de suo creatore sentire, & quam debitum est vilissimum vermiculum infinitæ Maiestati submitti, ac diuinæ excellentiæ subesse.

Tertius actus potest versari circa singulas diuinas personas, ac singula Dei attributa; adoro Deus meus, & reuereor te, ac me tibi ex animo subijcio propter excellentiam diuinæ tuæ naturæ super omnes creatas, & creabiles naturas, adoro te Pater æterne propter excellẽtiam tuæ paternitatis supra omnem paternitatem, adoro te fili Dei propter excellẽtiam tuæ generationis, & filiationis, adoro te Spiritus Sancte propter excellẽtiam tuæ diuinę processionis super omnem creatam processionem, adoro te Deus meus propter excellẽtiam diuinæ tuæ sapientiæ, qua te & omnes creaturas tuas comprehẽdis, adoro te propter excellẽtiam tuæ infinitæ potentię, super omnem potentiam, & propter omnes effectus, quibus in cælo, & in terra illam manifestasti, adoro te propter excellẽtiam tuæ
Marc.10 bonitatis, quæ tanta est, vt tu ipse dixeris: *Nemo bonus nisi solus Deus.* Adoro te propter excellentiam tuæ infinitæ pulchritudinis, quæ tanta est; vt non solum omnes Beatos te aspicientes, sed & te ipsum rapiat, vt in eam necessario effundas omnem tuam cognitionem,

nem,& amorem, atque simili modo potes discurrere hoc genere adorationis per reliqua diuina attributa.

Quartus actus adorationis: ego Domine cognoscens, ac firmiter credens te esse summè sapientem, ac summè bonum, adoro tua secreta,& altissima iuditia, ac meum proprium iudicium, & voluntatem illis libenti animo subijcio,iudicans pariter omnia illa esse sancta,iusta,& digna tua maiestate, quantumuis mens mea rationes illorum non penetret.

Quintus actus: desidero Domine te colere,adorare,& reuereri,cum ea submissione,& adoratione,qua te colunt,& adorant omnes iusti, omnes homines beati, omnes spiritus angelici,etenim sicut tu maior es omni laude, ita & maior es omni cultu, & adoratione: quare quantumcumque omnes creaturæ te adorent, impossibile est tantum te adorare,& colere quantum tu mæreris propter tuam excellentiam coli,& adorari. Aduerto tamen,quod ad feruentius exercẽdos actus adorationis mirum in modum iuuat, vt experientia ipsa probat,appellare Deum nominibus,qui prouocant ad maiorem timorem, & reuerentiam maiestatis illius,vocando illum supremum iudicem viuorum,& mortuorum, creatorem omnipotentem, Deum vltionum, Dominum dominantium,Regem regum,supremum cæli,& terræ Monarcham, Vitæ reparatorem,mortis destructorem; atque hæc de actibus adorationis internis. Actus verò externi sunt, ore, & voce confiteri supremum Dei dominium,& Ecclesia facere consueuit dicens, *Tu solus Dominus,tu solus altissimus*,genua flectere ante diuinam maiestatem *Isai.* 41. iuxta illud Isaiæ,*mihi curuabitur omne genu*,& illud Micheæ, *curuabo* *Mich.* 6. *genu Deo excelso*,adolere incensum, curare de ornatu templorum, altarium,& imaginum,offerre primitias, & decimas fructuum ad sustentationem ministrorum,qui sacris inseruiunt,vota emittere, iurare cum debitis circumstantijs necessitatis, & veritatis, adducendo Deum tanquam infallibilem veritatem in testem alicuius veritatis,administrare,seu suscipere Sacramenta Ecclesiæ, quibus Deum profitemur esse gratiæ authorem, & animarum sanctificatorem,musica instrumenta pulsare,& organa,tympana,& similia, luminaria accendere,ac tandem (& hic est potissimus actus adorationis latriæ) sacrificium corporis, & sanguinis Christi Domini Deo patri offerre.

De actu laudis Diuinæ.

AD reddendas Deo diuinas laudes, tam mente, quam ore, & opere: permulta, ac varia animos nostros allicere debent. Primum est excellentia huius exercitij, quam ex triplici potissimum capite deprehendo. Primo, quia cum Deum laudamus, illũ exaltamus, magnificamus, & glorificamus, etenim Dauid psal. cu-
Ps. 144. ius inscriptio est, *Laudatio ipsius Dauid*, dicebat, *exaltabo te Deus meus Rex, & benedicam nomini tuo.* Deipara vero Virgo non ne dixit, *Ma-*
Luc. 1. *gnificat anima mea Dominum*, ac tandem Christus Dominus dixit, *Sic*
Matt. 5 *luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant opera uestra bona, & glorificent Patrem uestrum, qui in cælis est*, quæ autem maior alicuius exercitij excellentia excogitari potest, quam quod per illud exaltemus, magnificemus, & glorificemus Deum Creatorem nostrum. Secundo, quia laudare Deum disponit animam ad hoc, vt Deus se manifestet ei in hac vita per donum intellectus, quæ est perfectissima viæ cognitio, & in alia præclaram visionem, vt Deus ipse pro-
Psal. 49. mittit: *Immola Deo sacrificium laudis, sacrificium laudis honorificauit me, et*
Psa. 148 *illic iter quo ostendam illi salutare meum.* Tertio, quia laudes Deo de-
Isa. 6. cantare proprium est Angelorum exercitium Dauide dicente: *Laudate eum omnes virtutes eius.* Isaias etiam dicit Angelos in Cælo laudantes clamare, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus exercituum.* Vnde
D. Basil. in ps. 28. D. Basilius super psal. dixit, *Angelorum opus est laudare Deum, omnibus denique cælestibus exercitibus hæc cura gloriam transcribere Creatori.* Et
D. Aug. ĩ ps. 148 D. Augustinus apertè ait speciale pręceptum habere Angelos semper laudandi Deum, sic enim loquitur, *Præceptum posuit, & non præteribit; quale præceptum dedit Angelis Deus? quale nisi ut laudent illum? Beati quorum est hoc negotium laudare Deum.*

Secundum incitamentum sit, quod sæpe sacra Scriptura indiscriminatim omnes cuiuscunque sexus, & status inuitat frequen-
Ps. 116. tèr ad laudandum Deum. Dauid, *Laudate Dominum omnes gentes, lau-*
Eccl. 39. *date eum omnes populi.* Ecclesiasticus, *In omni corde, & in ore collaudate,*
Apo. 19 *& benedicite nomen Dei.* D. Ioan. in sua Apocal. *Vox de trono exiuit dicens; laudem dicite Deo nostro omnes serui eius, & qui timetis eum pusilli, et magni.* ac tandem D. Paulus, *Offeramus hostiam laudis semper Deo:* vbi obiter etiam obseruare oportet, quam magnam continuationem
ad Hebr. 13 in laudibus diuinis postulet a nobis Apostolus, cum dicat semper a nobis offerendam esse hostiam laudis, vult enim nos imitari Da-
D. Basil. ĩ psal. 33. uidem dicentem, *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.* Super quæ verba D. Basilius hæc præclara scripsit, vt ostendat non esse impossibile semper & vbique absque intermis-

sione

sione Deum laudare. *Videtur rem impossibilem polliceri Propheta: quomodo enim semper Dei laus in ore hominis potest esse? quando enim depromit consueta, & corporis necessitatem respicientia colloquia, vtique non iam in ore habet Dei laudem: quando item dormit penitus silet. Bibens quoque, aut comedens, quomodo ore concinit laudem Dei, ad hoc dicemus, os esse quoddam spirituale hominis interni, nempe mentis quo nutritur quisquis particeps diuini fit uerbi, qui panis de cęlo descendit. Sanè cogitatio, quæ de Deo est semel impressa menti, potest laus Dei rectè appellari semper in anima existens: potest item iuxta Apostolicam adhortationem, vir quiuis pietatis studiosus* 1. Corint. *cuncta facere ad Dei gloriam, ita vt facta, dictaque ipsius omnia, omnisque* 10. 31. *spiritualis operatio vim laudis habeant: siue enim bibat iustus, siue edat, omnia ad gloriam Dei facit.* Hactenus D. Basilius.

Tertium incitamentum est, quia cum à Deo receperimus innumera beneficia, debitores sumus propter ea illum semper laudandi, & benedicendi, vt faciebant seniores illi, de quibus Ioan. dixit, *Procidebant vigintiquattuor seniores ante sedentem in throno, & adorabant* Apoc. 4. *viuentem in sæcula sæculorum, & mittebant coronas suas ante thronum dicentes dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem, & virtutem, quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant.*

Quartum incitamentum est magna vtilitas nostra, quam rectè obseruauit D. August. in psal. 49. *Sacrificium laudis, ait, Deus glorifi-* D. Aug. *cabit me, & quid? maior gloria erit Deo, quia glorificas eum, aut addimus* in ps. 49. *gloriam Deo, quando dicimus, glorifico te Deus meus, aut sanctiorem eum facimus, quando dicimus, benedico te Deus meus; ipse quando nos benedicit, facit nos sanctiores, facit nos fæliciores: quando nos glorificat, facit nos gloriosiores, facit nos honoratiores. quando eum glorificamus nobis prodest, non illi. Quomodo enim eum glorificamus? gloriosum dicendo, non faciendo.* Hæc D. Augustinus. Vt autem tibi magis innotescat vtilitas diuinæ laudis scito, quod vtilis est ad fugandum malignum spiritum, etenim 1. Reg. dicitur, *Ecce spiritus Dei malus exagitat te, iubeat Dominus noster* 1. Reg. 16. *Rex, & serui tui, qui coram te sunt, quærant hominem scientem psallere in cythara, vt quando arripuerit te spiritus Dei malus, psallat manu sua, & leuius feras,* & postea subijt sacer tex. *Dauid tollebat cytharam, & leuius habebat Saul, recedebat enim ab eo spiritus malus:* idem etiam alibi expertus est idem Dauid cum dicebat, *Laudans inuocabo Dominum, & ab inimicis meis saluus ero,* laus diuina deinde spiritui sancto pparat viā, vt in figura contigit Elisæo, nā vt habetur 4. Reg *Cum caneret psal-* 4. Reg. 3. *tes facta est super Elisæum manus Domini,* ad hæc, animam valde lætificat exercitium diuinæ laudis Dauide dicente, *Exultabunt labia mea* Psal. 70. *cum cantauero tibi,* cui cōsonat illud Iacobi, *tristatur quis in uobis? oret.* Iacob. 5. *æquo animo est? psallat,* super quæ Glosa inquit, *Crebra psalmodiæ dul-* Glos. ibi. *cedine nociuam tristitiæ pestem de corde expellit.*

Vltimum

Vltimum incitamẽtum,& omnium potissimum ad exercitium diuinę laudis est pelagus infinitum diuinarum perfectionum propter quas non solum omnes,sed & singulas męretur Deus infini-
Eccl. 34. tè laudari,& exaltari iuxta illud: *Exaltate eum quantum potestis, maior enim est omni laude*. Ad quod respiciens Diuus Augustinus hęc
D. Aug. in Psal. 145 scripsit in Psal. 145. *Ideo dixit magnitudinis eius non est finis, ne forte incipias velle laudare, & putes te laudando posse finire, cuius magnitudo finem non potest habere.*

Vt autem ad varios actus laudis diuinæ mentem conuertamus quadruplicem modum laudandi Deum nos docet Dauid celeberrimus diuinarum laudum pręco. Primus est confitendo in diuino conspectu indignos nos esse,ad diuinas laudes decantandas, cum non sit spetiosa laus in ore peccatoris; iuxta hunc ergo primum modum primus actus ad laudandum Deum erit hic. Desiderat anima mea Domine Deus meus te incessanter laudare,& benedicere,eo conatu,& affectu,quo te laudant,& benedicunt omnes Spiritus Beati, & in consortio eorum semper clamare, Sanctus, Sanctus,Sanctus,Dominus Deus exercituum,at confiteor,pariterque doleo me indignissimum esse diuinis tuis laudibus vacandi, cum reuera mæruerim in inferni Baratro misere iacere, non aliũm matutinum,nec alias laudes tibi cantando,quam horrendas illas blasphemias,& maledicta, quæ damnati in te effutire non cessant;timeo Domine,ne si te incipiam laudare,dicas mihi: *Quare tu enarras iustitias meas,& assumis testamentum meum per os tuum:* Præcor ergo maiestatem tuam, vt mundare digneris cor meum sicut mundasti labia Isaiæ Prophetæ, vt mente,ore, & opere tibi Deo meo dignas laudes cantare possim.

Secundus modus laudandi Deum iuxta doctrinam, & instructionem Dauidicam exercetur, in memoriam, mente tenus reuocando,vel etiam ore narrando bona intrinseca Dei,nempè eius essentiam,personas, & attributa, vt canebat Dauid: *Dominus regnauit decorem indutus est,indutus est Dominus fortitudinem, & pręcinxit se*
Ps. 117. *virtute*. Et Psalmus 117. *Confitemini Domino,quoniam bonus,quoniam in sæculum misericordia eius,dicat nunc Israel, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius, dicat nunc Domus Aaron, quoniam in sæculum misericordia eius*. Vel narrando bona eius extrinseca, qualia sunt omnia,quorum Deus habet supremum dominium, vt elementa, mixta,calos, Astra, Angelos, & similia,quomodo cecinit Dauid:
Psal. 38. *Tu dominaris potestati maris, tui sunt cali, & tua est terra,orbem terræ, & plenitudinem eius tu fundasti, aquilonem, & mare tu creasti*; Vel commemorando magnalia opera a Deo patrata tam in ordine natura-
Psal. 73. li,quàm supernaturali, ad quod respiciens ipse Dauid in hunc modum

dum Deum laudabat: *Deus autem Rex noster ante sæcula operatus est salutem in medio terræ, tu confirmasti in uirtute tua mare, contribulasti capita Draconum in aquis, tu dirupisti fontes aquarum, & torrentes, tu siccasti fluuios Ethan, tu fecisti terminos terræ, æstatem, & ver, tu plasmasti ea*; similiter dicebat: *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt nomini sancto eius, benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redemit de interitu uitam tuam, qui coronat te misericordia, & miserationibus*. Iuxta hunc ergo secundum modum laudandi Deum possunt exerceri sequentes actus diuinæ laudis. Ps. 102.

Domine Deus meus cum ingenti animi mei iubilo confiteor, laudo, & benedico, & in æternum confiteri laudare, & benedicere volo diuinam tuam naturam, cum tribus personis, Patre, Filio, & Spiritu Sancto: benedico essentiam tuam immensam, incomprehensibilem, ineffabilem, immutabilem, pelagus infinitæ bonitatis, & omnium perfectionum, laudo, & benedico cum simili iubilo cordis mei, intellectum, memoriam, & voluntatem tuam diuinam, intellectum, te, & omnia comprehēdētem, memoriam diuinis Ideis, seu rerum omnium exemplaribus plenam, voluntatem infinito amore ardentem, & tua infinita pulchritudine infinitè fruentem, laudo, & benedico æternam innenarrabilem generationem fil.j Dei per intellectum paternum: laudo, & benedico mirabilem processionem Spiritus Sancti per voluntatem Patris, & Filij, laudo, & benedico Trinitatem in personis, & vnitatem in essentia: laudo, & benedico ex toto corde meo tuam infinitam sapientiam, & prouidentiam tuam, infinitam bonitatem, omnipotentiam, Iustitiam, & misericordiam, summam liberalitatem, supremam maiestatem, & ab omnibus rebus omnimodam independentiam, ratione cuius Dauid dicebat tibi: *Deus meus es tu, quia bonorum meorum non eges.* Similiter exerceri potest diuina laus circa bona, quæ Christus Dominus habet in quantum homo: laudo, & benedico Iesu bone tuam sanctissimam animam non solum copiosissima gratia habituali, sed gratia vnionis hyppostaticæ ornatam, laudo, & benedico tuum intellectum ab instanti tuæ creationis Deum maiori claritate, quam Beati omnes simul videntem, laudo, & benedico voluntatem tuam diuini amoris flammis æstuantem, laudo, & benedico corpus tuum in visceribus Virginis salua eius integritate manente, & Spiritu Sancto cooperante formatum: laudo, & benedico venerandum tuum caput, castissimos tuos oculos, liberales tuas manus, laudo, & benedico pulcherrimam tuam faciem, laudo, & benedico sacratissimos tuos pedes, & ad eos exosculandos procumbo cum Magdalenna; ad eundem etiam modum possumus lauda-

laudare Deum propter bona eius extrinseca. Confiteor te Deus meus supremum esse Dominum omnium rerum, tui sunt cæli, tua est terra, tua est aqua, tuus est aer, & ignis, tui sunt homines, & Angeli, nulla creatura potest subterfugere dominium tuum, omnes sunt subiectæ tuæ amplissimæ ditioni, Dominus vniuersorum tu es, nullus a Monarchia tua te deturbare potest, nullus quid quã molestiæ inferre valet: potest insuper diuina laus exerceri memoriam refricando præcipuis operibus Dei, tam naturalibus, quam supernaturalibus ab eo patratis: laudo, & benedico Domine Deus meus manifestationem tuæ mirabilis potentiæ in operibus naturæ, ex nihilo enim Mundum creasti, & solo verbo tuo, *fiat*, omnia facta sunt, tu fundasti terram super stabilitatem suam, & cum sit globus valdè grauis, quasi pẽdens nullis initens vasibus partim aere, partim aqua circundata immobilis perseuerat, tu creasti animãtia eius penè infinita, & inter illa hominem ad imaginem tuam, tu creasti nouem Angelorum choros, & cum omnia ista indigeant diuino tuo concursu tam ad esse, quam ad operari, insuper etiam omnia viuentia speciali egeant alimẽto singulis prouides absque vlla tua defatigatione: laudo deinde eandẽ tuam potẽtiam in omnibus operibus tuis supernaturalibus, præcipuè tamẽ illam, quam manifestasti in mysterio Incarnationis, coniungẽdo extrema adeo distantia qualia sunt verbum diuinum, & caro humana, quis non videat, & summopere admiretur, quod facere potueris hominem esse Deum? Laudo, & benedico manifestationẽ tuæ diuinæ sapiẽtiæ in Incarnatione verbi diuini. Laudo, & benedico manifestationẽ tuæ Iustitiæ splendẽtem in eodem mysterio; atque simili modo discurrere poteris per manifestationẽ diuinarum perfectionum in reliquis Dei operibus, vt in institutione Sacramẽtorum præcipuè Eucharistiæ, & in alijs operibus pertinẽtibus ad Christum Dominum, ad Beatam Virginem, & reliquos Sanctos, ac tandẽ laudare eum propter manifestationem suorum attributorum, tam in gloria qua Beatos afficit, quam in supplicijs, quibus damnatos punit.

Ps. 148. Tertius modus Deum laudandi, quẽ nos docet Dauid satis illi familiaris erat, inuitando omnes creaturas non solum intellectuales, sed & insensibiles ad laudandum, & benedicẽdum Deum: *Laudate Dominum de cælis, laudate eum in excelsis, laudate eum omnes Angeli eius, laudate eum omnes virtutes eius, laudate eum Sol, & Luna, laudate eum omnes Stellæ, & lumen, laudate eum cæli cælorum, & aquæ omnes, quæ super cælos sunt laudent nomen Domini*: & paulo inferius subdit: *Laudate Dominum de terra Dracones, & omnes abyssi, ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt uerbum eius:* Certè Dauid minimè ignorabat brutta animantia, & creaturas insensibiles, vt aqua, & ignis, &

similia

ſimilia eius eſſe naturæ, vt vocem eas exhortantis ad laudandum Deum exaudire non poſſint,quia tamen intelligebat omnes creaturas Dei bonas eſſe, ac per hoc illa ſua bonitate, & perfectione laudare opificem ad eum modum,quo bona imago licet elinguis, & muta laudat peritiam pictoris, propter quod Dauid dicebat: *Cæli enarrant gloriam Dei*. Congratulabatur eis,& inuitabat ad hoc, vt agerent,quod agebant: certè creaturæ omnes ſunt velut thuribula ſurſum emmittentia odorem ſuauitatis gloriæ Dei iuxta illud Eccl. *Gloria Domini plenum eſt opus eius*. Et niſi nos careremus auribus interioribus concẽtum mirabilem omnium creaturarum audiremus laudantium Deum,& dicentium: *Ipſe fecit nos, & non ipſi nos*. Quod adeo verum eſt, quod quamuis ſint multi impij in terra, & omnes damnati in inferno, qui Deo maledicant, & blaſphement,nihilominus tamen ipſi, vel inuiti coguntur eo modo, quo opus laudat ſuum opificem, Dominum Deum ſuum laudare,nam in illis quoque effulget potentia, quæ eos fecit, ſapientia, quæ eos gubernat,& bonitas cuius participationis ſunt omnia bona naturalia illorum; inuitat deinde Dauid inſenſibiles creaturas ad laudandum Deum, quia licet probe agnoſceret non eſſe ſufficientes lingua factis,vel vitæ puritate Deum benedicere,& glorificare,nouerat tamen,quod pulchritudine ſua ordine,& numero alliciunt, & inflammant mortalium animos ad cognoſcendum verum Deum, ac miram eius perfectionem iuxta illud Apoſtoli: *Inuiſibilia ipſius a creatura mundi per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur,ſempiterna quoque eius uirtus*. Vnde D. Auguſtinus dixit ſuper Pſal. 148. *Sunt quæ Spiritum uitæ, & intellectum ad laudandum Deum non habent, quæ quidem per ſe uoce ſua, & corde ſuo non laudant Deum, ſed cum ab intelligentibus conſiderantur, per ipſa laudatur Deus, & cum per ipſa laudatur Deus quodammodo, & ipſa laudant Deum*. Iuxta hũc ergo tertium modum poteſt hac ratione diuina laus eformari: Domine Deus meus,cum tu ex vna parte ſis infinitè laudabilis propter infinitas tuas perfectiones, bonitatem, ſapientiam,potentiam,pulchritudinem,& reliquas,& ex alia parte ego ſim inſufficientiſſimus ad te laudandum, & benedicendum,exhortor omnes creaturas, inuito, & prouoco cum omni affectu cordis mei, vt pro me ſuppleant, & me adiuuent ad te laudandum, benedicendum,& glorificandum omnes creaturas, tam cæleſtes, quam terreſtres,laudate Deum meum omnia elementa, laudate eum omnia mixta argentum,aurum, lapides præcioſi, laudate eum omnes arbores, & plantæ, & omnia vegetabilia, laudate eum omnia animantia terræ,omnes piſces maris,& omnes volucres aeris; laudate eum omnes ſancti,& iuſti homines: laudate eum omnes cæli,

Eccl.42.
Pſal.99.
Ad Ro.1.
D. Aug. ſuper Pſ. 148

omnia astra, & omnes planetæ: laudate tandem eum omnes Angeli, omnes Archangeli, omnes Virtutes, omnes Potestates, omnes Dominationes, omnes Throni, omnes Cherubini, & Seraphini. Verum, quia inter omnes creaturas desiderare præcipue oportet te totum impendere in diuinis laudibus, idem Dauid te docet Psal. 102. vt inuites animam tuam ad laudãdum Deum, sic enim ille suam prouocabat: *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius.* Et ad eundem modum inuitare debes ad diuinas laudes reliquas omnes tuas potentias etiam exteriores: lauda mens mea Creatorem tuum, lauda illum memoria mea, lauda illum voluntas mea, & sic de alijs discurendo per omnes etiam sensus, & varia corporis membra, itaut velis nihil in te esse diuinis laudibus vacans, sed quod sicut omnia tua membra seruierunt iniquitati, ita non alteri deinceps inseruiant, quam diuinæ maiestati. Potest deinde adhuc excellentius in hunc modum laudari Deus per creaturas: Domine Deus meus quoties suspirando ex corde tibi dixero laudo te Beatissima Trinitas, & indiuisa vnitas, vel laudo te Domine Iesu, intendo tibi intra cor meum omnes illas laudes, quibus te affecerunt, afficiunt, & afficient omnes homines, qui vnquam in mundo fuerunt, sunt, & erunt, imo omnes illas laudes quibus te potuerunt, possent, & poterunt afficere, sed per ingratitudinem suam neglexerunt, & negligent offerre.

Intendo tibi omnes laudes offerre, quibus te celebrarunt, celebrant, & celebrabunt in sæmpiternum vniuersæ creaturæ tuæ.

Intendo tibi omnes laudes offerre, quas tibi sacræ litteræ veteris, & noui testamenti, & omnes libri, quotquot fuerunt, sunt, & erunt, tribuerunt, tribuunt, & vsque ad finem mundi tribuent.

Intendo tibi omnes laudes offerre: quas tibi omnes Angeli, & electi Dei in cælo, & terra decantarunt, decãtant, & in omne æuum decantabunt.

Intendo tibi omnes laudes offerre, quibus te Beatissima Virgo Maria Mater tua, vnquam affecit, afficit, & in æternum afficiet.

Intendo tibi omnes laudes offerre, quibus te vnquam ornauit, & in sempiternum ornat sanctissima humanitas tua.

Intendo tibi omnes laudes offerre, quibus te possunt afficere infiniti Mundi: infinitæ creaturæ, infiniti homines, & Angeli, & omnes res creatæ, quas condere potest omnipotens manus tua.

Intendo omnibus illis laudibus te prædicare, & honoribus afficere, quibus te affici posse concipere potest: O Domine si tot corda haberem, quot hucusque creasti, & creare potes: nec non cor Beatissimæ Virginis Mariæ. Et si fieri posset, cor tuum, o

Deus

Deus omnipotens, Pater, Fili, & Spiritus Sancte, omnibus his cordibus laudes tibi offerem, tamen cum hoc fieri nequeat, omnes tibi laudes, & honores quos possum, tuæ maiestati te adiuuante impertiri intendo, & quia hæc omnia parum mihi videntur ad laudandam pro mæritis tuam Maiestatem laudent te Deus meus omnia tua attributa, omnes tuæ perfectiones, tam essentiales, quam personales, omnes diuinæ tuæ notiones, ac mirabilia omnia arcana, & consilia mentis, & voluntatis tuæ: hoc genere laudationis vtebatur Sancta Geltrudis in exercitio laudis, & gratiarum actionis, vbi hæc dicebat: *Benedicat te pro me gloriosum, & admirabile lumen tuum, Deus meus, & laudet te præstantissimæ Maiestatis tuæ imperiale decus. Benedicat te immensæ gloriæ dignissimus apparatus, & laudet te infinitæ potentiæ tuæ præclarissima uirtus. Benedicat te æternæ claritatis tuæ principale Iubar, & laudet te præfulgidi decoris tui rutilans amænitas. Benedicat te iustorum iudiciorum tuorum abyssus, & laudet te æternæ sapientiæ tuæ inscrutabilis circuitus. Benedicat te multarum miserationum tuarum infinitus numerus, & laudet te omnium misericordiarum tuarum immensum pondus. Benedicat, & laudet te tui ipsius claritas, honor, & virtus, quo mirabiliter repletur, & pascitur omnis cælestis exercitus.*

Quartus modus laudandi Deum exercetur vituperando falsos omnes Deos, ac omnes inferni dæmones, protestando solum Patrem, filium, & Spiritum Sanctum esse verum Deum, hunc modum docuit etiam me Dauid cum Psal. 113. canebat. *Simulacbra gentium argentum, & aurum opera manuum hominum, os habent, & non loquentur, oculos habent, & non videbunt, aures habent, & non audient, nares habent, & non odorabunt, manus habent, & non palpabunt, pedes habent, & non ambulabunt, non clamabunt in gutture suo, similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis;* & alibi; *Omnes dij gentium dæmonia*: Cæterum, quia exercitium diuinæ laudis mirum in modum Beatissimæ Trinitati debitum, ac illi gratum, & nobis summopere proficuum est, hoc loco proponam actús diuinæ laudis quos exercebant Sanctus Pater Augustinus, & Sãcta Virgo Geltrudis, vt inde discat cor nostrum Deum suum laudare, & glorificare, & quidem in primis D. August. lib. medit. cap. 9. postquam dixerat: *O summa Trinitas uirtus una, & indiscreta Maiestas honorifico te debito sacrifitio laudis pro scire, & posse, quod mihi tantilo donare dignatus es:* subdit hæc præclara laudis verba tanto Cantore digna. *Confiteor Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum in personis Trinum, & in substantia vnum, uerũ Deum omnipotentem vnius simplicis, & incorporeæ, inuisibilis, & incircumscriptæ naturæ, nihil te superius, aut inferius, maiusue aliquid habentem, sed per omnem modum sine deformitate perfectum, sine quantitate magnum, sine qualitate bonum, sine tempore sempiternum, sine morte uitam, sine infirmi*

Dauid Ps. 113.

D. Aug.

tate fortem, sine mendacio uerum, sine situ ubique præsentem, sine extensione omnia implentem, sine contradictione ubique concurrentem, sine statu intra omnia manentem, sine indigentia omnia creantem, sine labore omnia regentẽ, sine tui initio omnibus initia dantem, sine sui mutatione omnia mutabilia facientem, in magnitudine infinitum, in uirtute omnipotentem, in bonitate summum, in sapientia inæstimabilem, in consilijs terribilem, in iudicijs iustum, in cogitationibus secretissimum, in uerbis ueracem, in operibus sanctum, in misericordijs copiosum, erga delinquentes patientissimum, erga pænitentes pijssimum, semper eundem ipsum æternum, sempiternum, immortalem, atque incommutabilem, quem nec spatia dilatant, nec breuitas locorum angustat, nec receptacula ulla coarctant, nec uoluntas uariat, nec necessitudo corrumpit, nec mæsta perturbant, nec læta demulcent; cui nec obliuio tollit, nec memoria reddit, nec præterita transeunt, nec futura succedunt, cui nec origo initium, nec tempora incrementum, nec casus finem dabit, sed ante sæcula, & in sæculis, & per sæcula in æternum uiuis, & est tibi perennis laus, & æterna gloria, summa potestas, & singularis bonor, perpetuum regnum, & sine fine imperium per infinita, & indefessa, & immortalia sæcula sæculorum. Hactenus D. August. & in Solliloquijs in hunc modum Deum laudabat. *Non ualeo laudare te sine te, habeam te, & laudabo te. Quis enim ego sum Domine per me ut laudem te? Puluis, & cinis ego sum, canis mortuus, & fætens ego sum, uermis, & putredo ego sum. Quis ego sum, ut laudem te Domine Deus fortissimus spirituum uniuersæ carnis, qui inhabitas æternitatem? numquid Tenebræ laudabunt lucem, aut mors uitam? Tu lux, ego tenebræ, tu uita, ego mors. Nunquid uanitas ueritatem laudabit? Tu es ueritas, ego uero homo similis factus uanitati. Quid ergo Domine laudabo te? nunquid miseria mea laudabit te? Nunquid fætor laudabit odorem? Nunquid mortalitas hominis, quæ hodie est, & cras tollitur, laudabit te? Nunquid laudabit te homo putredo, & filius hominis uermis. Nunquid laudabit te Domine, qui in peccatis conceptus est, & natus, & nutritus? Laudet te Domine Deus meus incomprehensibilis potentia tua, incircumscriptibilis sapientia tua, & ineffabilis bonitas tua, laudet te supereminens clementia tua, insuperabundans misericordia tua, sempiterna quoque uirtus, & diuinitas tua: laudet omnipotentissima fortitudo tua, summa quoque benignitas, & charitas tua, per quam creasti nos Domine Deus uita animæ meæ. Ego autem creatura tua sub umbra alarum tuarum sperabo in bonitate tua, qua creasti me, adiuua creaturam tuam, quam creauit benignitas tua.* Hęc D. Augustinus. Sancta autem Geltrudis in exercitio laudis ita cantabat, & benedicebat Dominum. *O Deus uitæ meæ, quas tibi laudes digne referam nescio, quid enim retribuam tibi pro omnibus, quæ tribuisti mihi? ergo te in me, & me in te Iesu mi chare, in holocaustum laudis tibi offero, nihil amplius habens, & hoc ipsum, quod in te sum, & uiuo, hoc totum tibi dans. Tu es uita mea, tu es sufficientia mea, tu es gloria mea, tu misericordiæ euidentia, quæ in mea resplẽdet*

anima. O quando medullam animæ meæ super altare tuum concremabo, & illo sancto igne (qui tibi ardet iugiter) cor meum conflabo, me ipsumque totũ in hostiam laudis tibi immolabo? Eia, ò Deus, dulcedo mea sancta, tu cor meũ in te dilata, & animam meam amplifica, ut omnia uiscera mea impleantur gloria tua: O quando in te Iesu pax mea dulcissima requiescam, & obdormiam, ut gloriam tuam uideam? Sed tu, ò uita, spiritus mei, potens es depositũ meũ seruare mihi, & reducere animam ad te, qui creasti me, ò Deus, quando tu educes de carcere hoc animam meam, ut fruitione tibi inseparabili coniungar? Millies optarem mori, ut illas, quæ in te sunt possem gustare delitias, non meum tamen commodum, sed tuum quærens beneplacitum. Et in eodem loco his verbis diuinas laudes canebat, *Benedicant, glorificent, & magnificent te pro me omnia mirabilia opera tua, & uniuersa liberalissima dona tua, quæ habeo ex te. O Deus vitæ meæ benedicant te multæ, & magnæ miserationes tuæ, & infinita beneficia, quibus tu ò Deus cordis mei benefecisti animæ meæ: benedicant te omnia interiora mea, et tota substantia, et uirtus mea, quia tu es Deus salutis meæ, et susceptor animæ meæ, iubilent tibi desideria præcordiorum meorum, et uota, et confiteantur tibi multarum gratiarũ tuarum munera. Iubilet tibi gemitus miseri incolatus mei, & suspiria, quia tu es ipse Deus meus, præstolatio, patientia, & expectatio mea longa. Iubilet tibi spes, & fiducia, quam habeo ad te, quia tandem de puluere ad te Deus meus, uita beatissima reduces me, ut tandem ò chare Redemptor, in carne mea uideam te. Iubilet tibi desiderium meum, quod habeo post te, amor quoque diuinus, qui amorem meum præueniens obligat me, ut indesinenter amem te. Iubilet tibi super omnia, quia tu es sitis animæ meæ, tu es totum, quod uolo, quod spero, quod cupio, tu es Deus meus, dulcis amor meus, tu es Deus solus benedictus in sæcula Rex meus, & Deus meus, amor meus, & gaudium, tibi iubilat anima mea, & cor meum. te Deum viuum, & verum laudare, & benedicere desiderat cor meum, & medullam uirium, & sensuum meorum tibi offero in nouæ laudationis, & intimæ gratiarum actionis holocaustum, & quid retribuam tibi Domine mi, pro omnibus, quæ tribuisti mihi? Ecce ut uideo super gloriam tuam dilexisti me, nec tibimet ipsi pepercisti propter me, & ad hoc creasti me ad te, & tibi elegisti, & redemisti me, ut ad temetipsum perducas me, & dones beate uiuere in te, & in æternum felicissime perfrui te, quid enim mihi nunc à te est in cęlo, aut quid ultra de omnibus bonis tuis præter te, uel uolo, uel cupio? tu es Domine mi, spes mea, tu gloria, tu gaudium, tu beatitudo mea, tu es sitis spiritus mei, tu uita animæ meæ, tu iubilus cordis mei, tu es totus boni initium, & consumatio, & sicut omnium simul lætantium in te est habitatio, tu es laus cordis mei, & oris, tu totus rutilans in uernanti amœnitate tui festiui amoris, præstantissima diuinitas tua, te magnificet, et glorificet, quia tu es origo lucis perpetuæ, & fons uitæ, nec ulla creatura sufficit digne laudare te, tu solus tibi sufficis, qui in te nunquam deficis, tua melliflua facies super mel, & fauum impinguat animas Sanctorum.*

De

De affectu actionis gratiarum.

QVamuis gratias rependere debeamus parentibus, & magistris, quod pertinet ad pietatem, nec non personis in dignitate politica, vel Ecclesiastica constitutis, quod spectat ad obseruantiam, ac denique quibuscumque particularibus benefactoribus, quod proprium est gratitudinis communi nomine sic appellatę: hic tamen his omnibus prætermissis solum instituo sermonem de gratiarum actione, quam debemus Deo tanquam supremo omnium bonorum authori, ac primo principio, licet enim homines multa benefitia in nos conferant, Deo præcipuę

Iacob. 1. sunt reddendæ gratiæ, quia vt ait D. Iacobus, *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est descendens à patre luminum.* Ad hunc ergo affectum frequenter exercendum actionis gratiarum quinque pręcipue incitamenta tibi ante oculos pro pono. Primum est, quod tam inanimata, quam bruta animantia eo modo, quo possunt gratitudinem exercent erga beneficos suos, indignum autem est, vt in exercitio gratitudinis ab eis superemur, etenim terra copiosiorem fructum granorum reddit, quam fuerint grana in ea seminata; Ecce, dum Domino suo dat

D. Amb. lib. 1. de off. c. 31. plusquam accepit, ab eo gratam se illi exhibet, vnde Diuus Ambrosius dixit: *Conferre gratiam bonum est, at qui referre nescit durissimus*: humanitatis exemplum ipsa terra suggerit, spontaneos fructus ministrat, quos non sæuerit, multiplicatum quoque reddit, quod acceperit, canis propter pauca frusta panis, quibus à Domino suo alitur, obsequia multa illi præstat, & non semel pro illo contigit se morti exponere, & in vniuersum animalia sæua, & ferocia vt Leo, & alia omnino stolida, vt iumentum cibantibus illis parent, & ad insinuationem eisdem obediunt, & quo possunt modo gratos se illis reddunt: vnde Sene-

Senec. li. 1. *de ben.* ca dixit: *Officia etiam feræ sentiunt, nec vllum tam immansuetum animal est, quod non curam mitiget, & in amorem sui uertat, Leonum ora à magistris impune tractantur.* Et Diuus Ambrosius in Exa-

D. Amb. lib. 6. *c.* 4 meron inquit: *Quid de canibus loquar, quibus insitum est natura quadam referre gratiam: quis non erubescat gratiam bene de se marentibus non referre, cum uideat etiam bestias refugere crimen ingrati, & ille impertita alimoniæ seruant memoriam, tu non seruas salutis acceptæ.*

Secundum incitamentum est, quod gratiarum actio cædit in magnam Dei gloriam, & honorem, & ideo incessanter illa vtun-

Apoc. 4. tur omnes Beati in cælo, vt testatur Diuus Ioannes dum ait: *Omnes*

nes Angeli stabant in circuitu Throni, & seniorum, & quattuor animalium, & ceciderunt in conspectu Throni in facies suas, & adorauerunt eum dicentes, Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum. Ratio etiam id palam conuincit, nam cum gratiæ agantur Deo, tanquam supremo bonorum authori, manifestum est cædere in magnum eius honorem: cædit etiam in nostram vtilitatem, quia sicut ingratitudo instar venti vrentis erga Deum exsiccat fontem diuinæ misericordiæ, ita gratitudo illum aperit, vt ampliora cælestium donorum charismata in nos effundat, vt enim Diuus Bernardus dixit: *Gratiarum cessat decursus, vbi recursus non fuerit, quia nihil augetur ingrato, sed quod accipit vertitur ei in perniciem, fidelis autem in modico censetur dignus munere ampliori.* Accedit illa alia vtilitas, cuius meminit Cassiodorus lib. Epist. dicens: *Spem de futuris recipit, qui transacta beneficia recognoscit, nec desperatione frangitur, qui magnorum munerum consolatione roboratur.* Denique adeo vtilem esse gratiarum actionem sibi persuadit D. Augustinus, vt diceret; *Quid melius, & animo geramus, & ore promamus, & calamo explanemus, quam Deo gratias? hoc nil dici breuius, nec audiri letius, nec intelligi gratius, nec agi fructuosius potest.*

D. Bern. serm. 35.

Cassiod.

Tertium incitamentum debet esse ingens multitudo beneficiorum, quæ Deus in te contulit, beneficijs autem nihil magis debitum, quam gratiarum actio, etenim ex æternitate te dilexit, & vt de sua infinita misericordia confidis te ad gloriam suam efficaciter elegit, & per conuenientia media ad eam prædestinauit. Secundo. Quia per creationem te ex nihilo condidit, & ad suam imaginem, & similitudinem fecit. Tertio. Quia tam diu te conseruat, sine cuius actuali concursu statim in nihilum ires. Quarto. Quia te, & multa quæ ad te pertinent, propter te gubernat, & suauissima prouidentia disponit. Quinto. Quia propter te factus est homo, & præcioso vulnerum suorum sanguine redemit, & per laboriosa merita, & passiones suas à diaboli seruitute liberauit, & præciosum Thesaurum operum suorum infiniti valoris tibi donauit. Sexto. Quia te præmultis alijs ad fidem, & Ecclesiam Catholicam efficaciter vocauit. Septimo. Quia te ad statum Sacerdotij, vel Religionis, vel similis alterius adduxerit. Octauo. Quia sacramentis, inspirationibus, exemplis sanctorum, spiritualibus libris, & alijs pluribus medijs ad vitā bonam adiuuit, & adiuuare non cessat. Nono. Quia ex misero statu inimici, & mancipij Diaboli ad dignitatem amici, & filij prouexit, te per gratiam consortem diuinæ suæ naturæ efficiens. Decimo. Quia te ab innumerabilibus periculis perdendi gratiam liberauit, & quoties illam amisisti toties misericorditer illam tibi restituit. Vndecimo.

cimo. A multis malis penæ, vt infirmitatibus, infamijs, calamitatibus, & similibus misericorditer præseruauit. Vltimo. Quia te multis alijs beneficijs, tam naturæ, quam gratiæ partim à te cognitis, partim ignotis liberaliter cumulauit: hæc & similia benefitia oportet in memoriam reuocare, nam vt dixit Diuus Augustinus: *D. Aug. cōtra aduers. leg. lib. 1. c. 18* *Optima benefitiorum custos est memoria illorum.* Hanc autem memoriam refricantes facilè ad gratiarum actionem pro illis reddendam excitabimur, vt his verbis adnotauit egregie Diuus Chrysost. *D. Chrys. in Genes. hom. 27.* *Demus, & nos operam, vt gratiarum actiones pro virili Domino offeramus pro donis, quæ ab eo pridem nobis præstita sunt, ut & maiora inde consequamur, & non obliuiscamur Dei beneficia in nos collata, sed semper ea in mente nostra uersemus, ut ad continuam gratiarum actionem mentem nostram compellant, tametsi tot sint, ut mens nostra non sufficiat ad comprehendendum, & ennumerandum magn..m, quæ nobis contigit, illorum ubertatem. Quomodo enim quis cogitare sufficeret ea, quæ in nos iam sunt collata, quæ item promissa, quæ & quotidie conferuntur?*

Quartum incitamentum est consideratio turpitudinis, quam secum importat ingratitudo, vt enim dixit D. Bernardus, *D. Bern. in Cant. serm. 52.* *Ingratitudo inimica est animæ, exinanitio meritorum, virtutum dispersio, beneficiorū perditio: ingratitudo ventus vrens, siccans sibi fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ; Ingratitudinem prorsus odit anima mea: peremptoria si quidem res est, ingratitudo hostis gratiæ, inimica salutis: Dico ego uobis, quoniam pro meo sapore nihil ita displicet Deo, præsertim in filijs gratiæ. in hominibus conuersionis, quemadmodum ingratitudo, uias enim obstruit gratiæ.* Atque hinc est, quod ingratitudinem Deus valde execratur, *Isa. ca. 1.* & punit per Isaiam ait, *Filios enutriui, & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me*, & apud Lucam, *Luc. 7.* *Decem mundati sunt, & nouem ubi sunt, non est inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.* Salom. ingratos in hunc modum minatur, *Prou. 17.* *Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo eius.* Et Apost. inter reprobos nouissimorum temporum enumerat ingratos, *1. Thi. 3.* *Erunt nouissimis temporibus homines se ipsos amantes, cupidi, superbi, blasphemi, ingrati.* Iudas etiam ingratorum peccatum explicans ait, *Iud. c. 1.* *Gratiam transferentes in luxuriam.* Ac tandem D. Hieronymus inquit, *D. Hier. lib. ij. in Isaiā ad cap. 39.* *Tradunt Hebræi ideo ægrotasse Isaiam, quoniam post inauditam victoriam Iudæorum, & Assyrij Regis interitum non cecinerit laudes Domino, quas cecinit Moysis Pharaone submerso, & Debbora interfecto Sysara, & Anna genito Samuele.*

Vltimum incitamentum sit, quod S. Patres frequenter nos monent ad assiduas gratias Deo referendas, præsertim tamen D. Basilius ait, *D. Basil. hom. 5. in psal. 115* *Accumbens mensæ ora, edens panem largitori gratiam repende. Tunicam indueris? gratias age benigno donatori, qui commodum tibi æstate, hyemeque tribuit uestimentum, diem perfecisti, referto gratiam illi, qui so-*

lem

tem immeritis in ministerium indulsit; si in cælum, & eximiam syderum pulchritudinem aciem oculorum defixeris, supplica Domino, qui cuncta hæc in sapientia condidit.

Porrò iam veniamus ad praxim, & exercitium actionis gratiarum illud præsupponentes ex D. Thom. 2. 2. tres dari gradus gratitudinis. Primus est, quod homo acceptum beneficium recognoscat. Secundus est, quod laudet benefactorem. Tertius est, quod retribuat pro loco, & tempore secundum suam facultatem: hoc supposito. *D. Tho. 2. 2*

Primus actus gratitudinis est recognoscere tantam esse magnitudinem diuinorum beneficiorũ præcipuè prædestinationis, creationis, iustificationis, incarnationis verbi diuini, & Sacramenti Eucharistiæ, vt impossibile sit debitam gratiarum actionem Deo reddere, etenim vt docuit D. Thomas de ratione gratiarum actionis est retribuere aliquid maius accepto beneficio: *Qui beneficium* (inquit) *accipit ad hoc obligatur, ut similiter aliquid gratis impendat, non autem uidetur gratis aliquid impendere nisi excedat quantitatem accepti beneficij, quia quando recompensat minus, uel æqualè non uidetur facere gratis.* Immensas igitur tibi gratias ago Domine propter summam tuam liberalitatem, & beneficientiam, qui cum alioquin rectè agnoscas à me non posse tibi debitas gratias rependi, nihilominus tamen non cessas varia in me conferre beneficia, sane si ad veram gratitudinem necessarium est dare aliquid maius accepto, consequens est me tibi semper futurum ingratum, cum nunquam possim tibi reddere maius, imo nec æquale, nam sicut dixit Philosophus: *Parentibus, & magistris non possumus reddere æquale*. Multo minus Deo: hinc Cassiodorus in Psal. 4. dixit: *Gratias agere Deo possumus, referre non possumus*; & Diuus Chrysost. in Matth. *Putas ne* (inquit) *si quotidie pro eo, qui nos tam mirificè amat, moriamur, condignas posse referre gratias, immo uero minimum quid debiti reddere? nequaquam*. Ex quibus omnibus apparet, quam illa sit vera sententia Diui Gregorij Nazianzeni dicentis: *Qui omnia elargitus est uniuersas opes dando: nunquã Dei lib ralitatem, & munificentiam uinces, quamuis omnium tuarum facultatum iacturam feceris, quamuis te etiam facultatibus adiunxeris. Nam hoc quoque ipsum accipere est Deo aliquid donare.* *D. Tho. 2. 2. q. 106 art. 6. in corpore.* *Arist. 9. Eth.* *Cass. in psal. 4.* *Hom. 62 in Matt.* *Naz. or. de paupe rum amore.*

Secundus actus est referre in conspectu Dei potiora beneficia, quæ in te contulit, & confiteri ab eo solo illa accepisse. Confiteor Domine omnia, & singula beneficia, quæ hucusque accepi a te, tamquam perenni fonte dimanasse, & ideo pro omnibus, & singulis profiteor me esse tuum debitorem, pauperem tamen adeo, vt impossibile mihi sit debita mea ad æqualitatem soluere, accipe tamen beniguitate tua solita quascumque exiles meas gratias, ma-

iores quas possum tibi ago, æternas quæso reddant tibi omnes Angelici spiritus, & reliqui omnes Beati, quia me elegisti, vt in æternũ te fruar, me de nihilo creasti cum alioquin non ignorares me grauiter te offensurum, quod postquam cæcidi me subleuasti, & magnam tuam patientiam in me exercuisti, patiens tot, ac tam enormia peccata contra te committere, nec vindictam sumere voluisti, cum alioquin iam in infernum detruderis multos alios ob pauciora peccata, quam ego commisi, atque in hunc modum poterit referre singularia beneficia in se collata, ponderataque eorum magnitudine ex parte excellentiæ dantis, & ex vilitate, & indignitate accipientis, ex magnitudine rei donatæ, ex amore quo donatur, ex tempore, & ex alijs circunstantijs cum quibus illa donauit, prorrumpe in feruentem gratiarum actionem, desiderans fieri ad maiorem gloriam, & laudem tui Creatoris hostia, & holocaustum. O quis mihi daret Deus meus, vt de me fieret sacrificium ad honorem tuum, & in gratiarum actionem tã ingentium beneficiorum parum dixi sacrificium, concupisco ex totis præcordijs meis totus fieri tibi holocaustum, totus consumi, & annihilari in honorem tuum, si ita placitum esset diuinæ tuæ voluntati, quæso tamen Domine digneris, vt minimum efficere, vt anima mea, vita mea, intellectus meus, memoria mea, voluntas mea, corpus meum, sanguis meus, ossa, & nerui, cor, & viscera mea, omnes potentiæ, omnes sensus, & omnia denique, quæ in me creasti, semper tibi inseruiant, omnia tibi pareant, & nec tãtillum à sanctissima tua voluntate deflectant, sed te laudent, & in æternum benedicant.

Tertius actus exerceri debet referendo gratias non solum pro beneficijs iam acceptis, sed pro omnibus accipiendis, tam in hac vita, quam in futura per totam æternitatem: cum non solum tibi Deus meus debitor tuus sim propter beneficia hucusq; in me collata, sed etiam propter voluntatem efficacem, quam habes conferendi in me alia plura, idcirco compellor Domine, nisi ingratissimus esse velim, infinitas tibi gratias agere prout ex toto corde ago non solum propter bona, quæ hucusque mihi elargitus es, sed propter bona, & benefitia, quæ in me collaturus es in hac vita, & per totam æternitatem, quæ adeo ingentia esse spero, maxime illud videndi, amandi, & fruendi te in æternum, quod pænè infinita alia in se complectitur, vt cum insufficientissimus sim ad ea pro dignitate compensanda deprecor omnes Spiritus Angelicos, omnes eorum Ierarchias, omnes Apostolos, Martyres, Confessores, & Virgines, ipsam etiam Virginum Principem, & Reginam Mariam Matrem Domini mei, vt suppleant pro me incessanter tibi gratias agentes anticipata quadam solutione, tametsi inæ-

quali

quali pro omnibus benefitijs à te mihi conferendis per totam æternitatem.

Quartus actus exerceri debet in referendis gratijs Deo non solum pro prosperis, sed etiam pro aduersis euentibus, etenim pro omnibus quæ nobis accidunt, Deo gratias referamus: vt non tantum pro his, quæ bona putamus, sed etiam quæ nos coarctant, & contra nostram veniunt voluntatem, in Dei præconium mens læta prorumpat, & dicamus: Nudus exiui de vtero matris meæ, nudus & redeo. Sicut placuit Domino ita factum est, sit nomen Domini benedictum. Hæc actio gratiarum apud prudentes viros, & generaliter, & specialiter obseruatur, generaliter vt gratias agamus Domino, quod nobis Sol oritur, dies currit, nox mutatur in requiem, &c. specialiter vero quando in Dei beneficijs, quæ nobis accidunt gratulamur. Sed hoc & Gentilis facit, & Iudæus, & Publicanus, & Ethnicus, Christianorum vero propria virtus est etiam in his, quæ aduersa putantur, referre gratias Creatori. Qui sibi sanctiores videntur solent Deo referre gratias, quod de periculis, vel miserijs liberati sunt. Sed iuxta Apostolum hęc virtus est maxima, vt in ipsis periculis, atque miserijs Deo gratiæ referantur, & semper dicamus, Benedictus Deus, minora me scio sustinere, quam mæreor, hæc ad mea peccata paria sunt, nihil mihi dignum redditur. Hic animus Christiani est.

Quintus actus est offerre Deo in gratiarum actionem exercitiū aliarum virtutum, eliciendo actus fidei, spei, & charitatis, contritionis, & humilitatis, & resignationis propriæ voluntatis in diuinam, firmissimum etiam propositum semper Deo inseruiendi, non solum in præceptorum obedientia, sed & in consiliorum obseruatione, proponendo itidem speciales aliquas efficere mortificationes, quæ sint velut quædam sacrificia, & hostiæ in gratiarum actionem, ac tandem firmiter statuendo apud se frequentissimum se exhibere in referendis Deo gratijs non solum pro magnis, sed etiā pro paruis beneficijs.

Sextus actus eisdem verbis, quibus gratias Deo exhibebat D. Augustinus in meditationibus, cap. 14. *Gratias agimus tibi clementissime & benignissime amator hominum Deus, qui per Iesum Christum filium tuum Dominum nostrum cum non essemus potenter fecisti nos, & cum perditi fuissemus culpa nostra, mirabiliter liberasti, & recuperasti nos, gratias ago pietati tuæ, & multas tibi gratias refero ex totis præcordijs meis, qui propter tuam inenarrabilem dilectionem, qua nos miseros, & indignos mirabili bonitate amare dignatus es, misisti eundem unigenitum tuum de sinu tuo ad publicum nostrum, saluare nos peccatores, tunc, & filios perditionis, gratias ago tibi pro sancta Incarnatione, & Natiuitate eius, & pro gloriosa genitrice* *D. Aug. in medi. cap. 14.*

Act. 1. *sua, de qua ipse carnem assumere dignatus est propter nos: & propter nostrã*
Act. 2. *salutem: vt sicut uerus Deus ex Deo, ita uerus homo ex homine esset: gratias tibi ago pro Passione, & Cruce eius, pro Morte, & Resurrectione eius, pro Ascensione eius in Cælum, & sede maiestatis eius ad dexteram tuam, ipse enim quadragesimo die post Resurrectionem suam ascendens uidentibus Discipulis super omnes Cælos, sedensque ad dexteram tuam, Spiritum sanctum secundum promissionem suam in filios adoptionis effudit: gratias tibi ago pro sacratissima illa effusione preciosi sanguinis eius, quo sumus redempti simul, &*
Joan. 3. *pro sacrosancto, & uiuifico mysterio corporis, & sanguinis eius, quo quotidie*
Ioan. 17. *in Ecclesia tua pascimur, & potamur, abluimur, & sanctificamur, & unius*
De im n *summæ diuinitatis participes efficimur, gratias tibi ago pro hac tua mira, &*
sa chari- *inenarrabili charitate, qua nos indignos sic amasti, & saluasti per unicum, &*
tate Pat. *dilectum filium tuum, sic enim dilexisti mundum, ut unigenitum tuum dares,*
Eter. ad *ut omnis, qui credit in eum non pereat, sed habeat uitam.*
genus hu- Septimus actus eisdem verbis, quibus idem Augustinus sic e-
manum, xercebat in gratiarum actione, prout habetur in Solliloquijs c. 18.
cap. 15. *Ego Domine gratias tibi agam, ne sim ingratus tibi liberator meus, quoniam*
D. Aug. *liberasti me. Quoties me iam absorbuerat ille Draco, & tu domine ab ore eius*
in Sollil. *extraxisti me? Quoties ego peccaui, & ipse paratus fuit deglutire, sed tu do-*
c. 18. *mine Deus meus defendisti me? cum contra te inique agebam, cum tua mandata frangebam stabat ipse paratus, vt me raperet ad infernum, sed tu prohibebas, ego te offendebam, & tu me ipse defendebas, ego te non timebam, & tu me custodiebas, à te recedebam, & inimico meo me exhibebam, tu ipsum ne me acciperet, deterrebas. Hæc mihi tu Domine Deus meus beneficia conferebas, & ego miser non cognoscebam, sic enim me multoties à faucibus diaboli liberasti, de ore Leonis eripuisti, & ab inferno licet nescientem me multis uicibus reduxisti, descendi enim usque ad portas inferni, & ne illuc intrarem, tu me tenuisti, appropinquabam vsque ad portas mortis, & ne me ipsę caperent, tu fecisti. De morte etiam corporis sæpius eripuisti me Saluator meus, cum graues morbi tenerent me, cum fui in periculis multis per mare, per terras, ab igne, & gladio, & ab omni periculo liberans, semper mihi astans, & misericorditer saluans. Sciebas tu quidem domine, quia si tunc mors me occupasset, infernus animam meam suscepisset, & perpetuo damnatus fuissem: sed tua misericordia, & tua gratia præuenit me, eripiens me de morte corporis, & de morte animæ. Domine Deus meus hæc, & multa alia mihi tua beneficia exhibuisti, & ego eram cæcus, & non cognoui donec illuminasti me. Nunc igitur lux animæ meæ Domine Deus meus, vita mea per quã viuo, lumen oculorum meorũ per quod uideo: en illuminasti me, & cognosco te, quia uiuo per te, & gratias ago tibi licet uiles, & exiles; et impares beneficijs tuis, quales habet mea fragilitas offero. Quoniã tu es solus Deus meus, Creator meus benignus, q amas nostras aĩas, et nihil odisti eorũ, q̃ fecisti. En ego primus ĩter peccatores; quos saluasti, ut exẽplũ alijs tribuã benignissimæ pietatis*

tuæ,

tuæ,cõfitear beneficia tua magna,quoniã eripuisti me de inferno inferiori semel,& secundo,& tertio, & centies, & millies, & ego semper ad infernum tendebam,& tu me semper reducebas,& iuste millies damnasses me si voluisses:noluisti quia amas animas,& dissimulas peccata hominum propter pænitentiam Domine Deus meus, & cognosco per lumen tuum, & deficit anima mea in misericordia tua magna,quæ est super me,quoniam eripuisti animam meam ex inferno inferiori, & me ad vitam reduxisti. Totus enim eram in morte,totum me resuscitasti,tuum igitur sit totum id quod viuo, & totus totum me tibi offero. Totus spiritus,totum corpus, tota vita mea viuat tibi, uita dulcis,quoniam totum me liberasti,ut totum me possideres,totum me refecisti,ut totum haberes, diligam te igitur uirtus mea, diligam te ineffabilis exultatio mea,& uiuat iam non mihi,sed tibi tota uita mea, quæ perierat in miseria mea,resuscitata est in misericordia tua,qui es Deus misericors,& miserator, & multæ misericordiæ in millia his, qui diligunt nomen tuum; Idcirco Domine Deus meus,sanctificator meus iussisti mihi lege tua, ut diligam te toto corde meo,tota anima mea,tota mente mea,tota fortitudine mea,& totis uiribus meis,& etiam ex intimis medullis cordis mei,omnibus horis,et momentis, quibus fruor bonis misericordia tua, quoniam semper perirem, nisi quia semper regis me:semper morerer nisi quia semper me uiuificas, & omni momento me tibi obligas, dum omni momento mihi tua magna beneficia præstas.

De actu Humilitatis.

CVm bifariam considerare liceat humilitatem, tum ex parte intellectus,tum ex parte voluntatis,vt docuit D. Bernardus dicens: *Humilitas duplex est: altera cognitionis, altera affectionis: priore cognoscimus,quod nihil simus,& hanc discimus à nobis ipsis, & ab infirmitate propria: posteriore calcamus gloriam mundi, & hanc ab illo discimus, qui exinaniuit semetipsum formam serui accipiens.* Duplicem proinde humilitatis definitionem assignamus cum eodem Diuo Bernardo, nam in tract. de gradibus humilitatis, illam quæ ad intellectum pertinet in hunc modum descripsit: *Humilitas est uirtus, qua homo uerissima sui agnitione sibi ipsi uilescit.* In Epistola vero ad Henricum sic humilitatem affectus definit. *Humilitas est contemptus propriæ excellentiæ.* De actibus ergo vtriusque humilitatis acturus, prius incitamenta,quæ ad eam animum allicere possint apponam:deinde ad exercitium ipsorum actuum progrediemur.

D. Bern. ser. 4. de aduētu.

D. Bern.

D. Bern. tract. de grad. humil. Idē epist. ad Henr.

Primum incitamentum sit, quod humilitas est fundamentum perfectionis Christianæ, quicquid autem ædificatur absque fundamento continuo corruit,vnde D. Cyprianus de natiuitate Christi dixit: *Hic est primus ingressus, ut quicumque piè uult uiuere humiliter*

D. Cypr. de natiu. Christi.

de

de se sentiat, neque supra se in mirabilibus ambulare præsumat, fundamentum sanctitatis semper fuit humilitas, nec in cælo stare potuit superba sublimitas. Hanc primam gratiam ingrediens mundum noster paruulus attulit, & a cunabulis nos sibi conformes fieri volens, teneri voluit in uita, quod exhibuit in persona. Hactenus D. Cyprianus: quibus consonant illa alia D. Chrysostomi dicentis: *Bonis operibus nostris humilitatem, quasi fundamentum substruamus, vt secure uirtutes superextruere ualeamus.* Virtus enim non est, nisi coniunctā habeat humilitatem. Qui hoc fundamentum rectè iecerit in quātam voluerit altitudinem poterit structuram excitare. Hæc est inexpugnabilis turris, hæc omne continet ædificium, non sinens ipsum, vel à ventorum violentia, vel ab imbrium impetu, vel à spirituum vi deijci, sed omnibus insidijs inaccessum facit, & inuictum quasi ex adamante constructum esset magnasque nobis diuinæ largitatis retributiones affert.

D. Chrys. hom. 35. in Gen.

Secundum incitamentum est intima cognitio sui intuendo se ipsum, quia puluis est, & in puluerem conuertendus: & quia antea nihil fuit, nunc cumulus miseriarum est, & postea tabes, & putredo erit. Qui serio animaduertit: quam ignarus sit, quam instabilis, quam ad malum pronus, quam ad bonum infirmus quantis peccatis obnoxius, quam infimis rebus addictus, quantis miserijs subiectus, quam in esse, in posse, & in operari ex se nihil habens, & à Deo pendens, cæcus profecto erit, & stultus si altum sapiat, si propriam excellentiam quærat, si non se apud se ipsum, & apud alios quosque despiciat.

Tertium incitamentum est insigne atque mirabile exemplum Christi Domini, qui cum esset filius Dei, exinaniuit semetipsum formam serui accipiens, & se non magistrum patrandorum miraculorum, sed præceptorem humilitatis exhibuit, quiquè sua infinita dona cognoscens, se ea non à se, sed à Patre habere cognouit, & se ipsum tanquam nihil ex se habentem, inexplicabili quadam humilitate despexit, & doctrinam suam à Patre datam esse professus est dicens: *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me.* Humiles parentes, infimum semper locum elegit, & ab omni fastu, & arrogantia, & hominum plausu, & mundiali dignitate fugit. Hunc ergo in præsepe iacentem, & in cruce morientem, & factum nouissimum virorum (vt dixit Isaias) Deus Pater nobis in Magistrum vitæ proposuit, vt ex ipso disceremus nos ipsos interius humiliare, & exterius deijcere, & infimum locum appetere.

Isa. 53. 3

Quartum incitamentum est multiplex humilitatis vtilitas: in primis liberat à malo culpæ, vt accidit Dauidi: *Humiliatus sum & liberauit me.* Liberat etiam à malo penæ iuxta illud lib. 3. Regum. *Non ne uidisti Achab humiliatum coram me, quia humiliatus est mei causa*

Psal.
3. Reg. 11

non

non inducam malum in diebus eius. Cui persimile est illud aliud lib. 2. Paralipom. *Quia humiliati sunt auersa est ab eis ira Dei*. Humilitas deinde humilem exaltat, vt palam videre est in Saule cui Dominus dixit; *Non ne cum paruulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es*. Quod idem Christus Dominus docuit cum dixit: *Qui se humiliat exaltabitur*. Item humilitas inducit in anima sapientiam Salomone dicente: *Vbi est humilitas, ibi est sapientia*. Ad hæc humilitas signum est presentiæ Spiritus Sancti, imo & prædestinationis æternæ iuxta illud Isaiæ: *Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem, & quietum*: Vnde D. Gregorius dixit: *Quia Redemptor noster corda regit humilium, & leuiathan iste Rex dicitur superborum apertè cognoscimus, quod euidentissimum reproborum signum superbia est, at contra humilitas electorum*. Ac tandem Diuus Augustinus inquit: *Tanta est humanæ humilitatis, ut eam suo commendaret exemplo etiam diuina sublimitas, quia homo superbus in æternum periret nisi illum Deus humilem inueniret*. His autem, & alijs similibus incitamentis oportet prudenter vti, ne propter immoderatam humilitatis custodiam regiminis iura violenter, vt his verbis sapienter adnotauit Diuus Gregorius: *Solertem intuendum est Prælatis ne dum immoderatius custoditur uirtus humilitatis soluantur iura regiminis, & dum Prælatus quisque plus se, quam decet deicit, subditorum uitam distringere sub disciplinæ uinculo non possit, timeant ergo Rectores exterius, quod pro aliorum utilitate suscipiunt, seruent interius, quod de sua æstimatione pertimescunt, sed tamen quibusdam signis decenter erumpentibus eos apud se esse humiles, etiam subiecti deprehendant, quatenus, & in auctoritate eorum, quod formident uideant, & de humilitate, quod imitentur agnoscant*.

2. Par. c. 12
1. Re. 15
Luc. 14.
Prou. 11
Isa. ult.
D. Greg. lib. 35. moral. c. ult.
D. Aug. trac. 55. in Ioan.
D. Greg. 2. part. past. c. 6.

Iam ad varios actus humilitatis accedamus.

Primus est. Confiteor Domine verissimum esse quantum est ex me nihil esse, quod si modo habeo esse, hoc à te mihi datum est, quod si tu mihi non dedisses per totam æternitatem nihil essem, imo confiteor quantum est ex me peius esse, quam nihilum, nam cum solo meo libero arbitrio tanquam totali causa peccati ad nihilum redactus sum, vt dicebat Dauid, & cum nihilum, quod est peccatum, sit multo deterius, quam nihilum, quod ego eram, antequam essem, consequens est euidentissimum quantum ex me est peius nihilum esse, quam nihilum ex quo factus sum, hoc enim non facit odibilem Deo, illud verò omninò detestabilem reddit.

Secundus actus. Cognosco Domine Deus meus me ex me potentissimũ esse ad malũ, cum ad libitũ possim libero meo arbitrio abuti cõsẽtiẽdo quibuscũq; peccatis, pariter, et cõfiteor me, quãtũ

est

est ex me, impotentissimum esse ad bonum, cum omnis nostra sufficientia ad illud ex te sit, ac tandem confiteor, quod quicquid in me est bonum naturale, vel supernaturale, & quicquid operor bonum a te esse, nam licet mea voluntas tecum cooperetur, ipsummet tamen cooperari datum est à te, & sic nihil habeo ex me, quare illud D. Pauli semper animo versabor, *Quid habes, quod non accepisti, si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis.* Certè quicquid est in me necesse est vt sit bonum, vel malum, si ergo singula singulis suis authoribus tribuo, necesse est te confiteri authorem eius, quod bonum est, cum omne datum bonum de sursum sit descendens à te patre luminum, prauam autem meam voluntatem, ac scœlestissimum meum liberum arbitrium totalem authorem esse cuiuscumque mali moralis animam meam inficientem.

Tertius actus. Cum toties Domine grauiter offenderim diuinā tuam maiestatem, & animam, & corpus, potentias, & mēbra omnia mea iniquitati seruierint, & aduersum te instar sæuissimorum hostium insurrexerint, ac tandem turpissimam meam voluntatem sanctissimæ tuæ voluntati prætulerim, non possum non mihi ipsi vilescere, ac sceleratissimum in veritate reputare: quare propter peccata contra diuinam tuam Maiestatem commissa, confiteor me dignissimum morte æterna, indignissimumque donis hucusque mihi collatis, indignissimum vt mihi auxilieris, mecum reconcilieris, & in seruum tuum me recipere digneris; indignissimum etiam me fateor à terra sustineri, quę alias propter pauciora peccata deuorauit, indignissimum luce, aere, & quocumque alio elemēto, vel mixto vti, quod si his bonis naturalibus indignissimus sum consequens est me indigniorem esse cælestia, ac supernaturalia tua charismata recipiendi, maxime cum ingratissimus tibi extiterim, ingratus autem mæretur expoliari bonis, & nulla deinceps ei donari, quare, quæ mihi hucusque contulisti, non meis meritis, aut industria adscribo, sed tuæ infinitæ misericordiæ, & liberalitati tribuo, imo cum aliquod bonum operor in conspectu tuo miror valde ita te liberalem exhibere huic miserrimo peccatori, vt non dedigneris illum iuuare, & auxiliari, vt aliquid maiestati tuæ gratum efficiat.

Quartus actus: O Domine siue ad bona, siue ad mala opera respiciam, semper habeo vberem materiam me confundendi: ad male quidem satis per se notum est cum mea culpa liberè illa patrauerim, quæ alioquin vitare potuissem, ad bona etiam si oculos cōuertam, & humiliari debeo in conspectu tuo, nam licet semper, & incessanter tibi inseruissem, adhuc tremens esse deberem coram
Luc. 12. te, cum dixeris: *Cui multum datum est, multum quæretur ab eo, & cui*
com-

commendauerunt multum plus petent ab eo. Item quia, aut me considero tanquam peccatorem, & sic merito me despicere debeo tanquam canem mortuum, & fætentem, imo, & peiorem, nam reuera si daretur mihi optio, vt essem canis fætens, aut homo peccator potius eligerem illud, quam hoc, si vero tanquam iustum adhuc me despicere debeo, quia quod iustus sim, nõ à me habeo, sed à Deo, & quia nisi ipse dedisset in æternum in peccato manerem, cum in me nulla virtus sit ad peccatum delendum.

Quintus actus humilitatis est per difidentiam sui: Domine, cum experientia mihi compertissima sit fragilitas mea, & pronitas ad malum, & insuper etiam quam sæpe tentationibus succubuerim difido omnino de viribus meis: difido etiam omnino de ijsdem viribus meis posse absque tuo speciali fauore in bono vsque ad mortem perseuerare, imo, & quidpiam tibi gratum interim operari: equidem adiutorium tuum est sine quo, nec bona initium habẽt, nec cæpta prouehuntur, nec prouecta felicem finem accipiunt, sicut enim agricola quantumcumque elaboret terram excolens, & super eam seminans, nisi Deus desuper pluuiam dederit, nihil semen proficit, ita & ego quantumcumque bona opera seminem, nisi Dominus, & gratiam suam contulerit perseuerantiamque in illis donauerit, nihil prorsus illa proficient ad vitam æternam consequendam; est tamen aduertendum ne hæc difidentia sui vertatur in pusilanimitatem coniungendum esse cum illa actum confidentiæ initendo meritis Christi per quæ firmiter speret consecuturum ea omnia, quæ per vires suas assequi difidebat propter hoc enim Salomon dixit: *Qui sperat in Domino sanabitur, qui confidit in corde suo stultus est*. *Prou*. 28

Sextus actus: si tu Dñe dixisti; *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt nobis dicite serui inutiles sumus*. Potiori iure me inutilem seruum tuum reputare debeo cum non fecerim, quæ tu mihi præcepisti, sed præcepta tua plusquam millies violaui, cænum, & lutum sum merito ab omnibus conculcandum, etenim cum te creatorem omnium grauiter offenderim, merito omnes creaturæ in me conspirare deberent ad vlciscendas iniurias creatori suo à me factas; quare cum ita vilis, & abiectus sim ex me odio habeo laudari, & honorari, honor enim benè operanti debetur, ego autem sæpissime peccans male operatus sum, quod si quæ bona opera feci tibi propter illa deferri honorem, & gloriam cupio, qui author es totius bonitatis. *Luc*. 17.

Septimus actus ex toto corde meo Deus meus me tibi subijcio, & diuinæ tuæ dispositioni committo, vt de me facias quicquid tibi placitum fuerit nullum quantumcumque abiectissimum mu-

nus recuso, dummodo tibi placeam, & inseruiam, non solum autem me tibi subijcio, sed quibuscumque Prælatis locum tui tenentibus, sed nec solum maioribus, sed æqualibus, imo, & inferioribus propter te libenter subijci volo, quod si tu domine Iesu cũ esses filius Dei naturalis, te vermem, & non hominem, sed opprobrium hominum, & abiectionem plebis appellasti, & iniquissimis satellitibus, & crucifixoribus te subiecisti. ego canis mortuus, & fætens cuicumque quamtumuis minimo non me subijciam? absit a me.

Octauus actus: Domine Deus meus cum audio amicũ tuum Chrysost. quem Ecclesiæ tuæ sapientissimum Doctorem dedisti
S. Chrys. hom. 13. in Gen. hæc verba proferentem, *Etiam si quis sibi plurimorum bene gestorum conscius sit nisi apud se sentiat, quod omnium sit postremus nulla ei futura vtilitas est ex omnibus suis operibus*: Idcirco omnium minimum me æstimo, & deterrimum omnium peccatorem, nam si me comparo cum hominibus quantum ad peccata commissa ego aliorum ignoro, mea scio multa, & grauia adeo, vt illa ad certum numerũ vocare non possim. Aequum ergo est, vt me iudicem omnium peccatorum pessimum, quod si demus mihi clarè innotescere alium in grauiora, quam ego peccata incidisse adhuc me illo inferiorem putare debeo cum certum sit, quod nisi gratia Dei fuissem præuentus, & præseruatus non solum in peccata illa, sed in plura alia turpiora incidissẽ, & consequenter peior illo essem, & si de facto non incidi non fuit ex me, sed ex Deo me præseruãte: si vero comparem bona mea, siue naturalia, siue supernaturalia cum bonis aliorum simili ratione omnibus habentibus illa inferiorem me iudico, cum præterquam ex me illa non habeam, certè si cælestia dona, quæ dominus donauit, infideli cuicumque donasset non dubito quin melius correspondisset, nec ita negligenter, & cum tot admixtis peccatis, & imperfectionibus tibi Deus meus inseruisset, hunc humilitatis exercitiũ docuit me Seraphicus noster S. Pater
D. Bona. Franciscus, qui vt refert D. Bonauentura in eius vita, cum diceret, se omnium peccatorem maximum esse, interrogatus à socio quanam id veritate affirmare posset? *Quia*, inquit, *si diuinis fauoribus mihi misericorditer exhibitis orbarer, omnibus existerem peior*. Quam qui
1. ad Ti. 1 dem considerationem præ se tulisse videtur S. Paulus cum dixit, *Christus Iesus uenit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum*, idest maximus, non ait fui, sed sum de præsenti, quia
1. Cor. 15 gratiæ tribuebat, quod erat, *Gratia*, inquit, *Dei sum, id quod sum*. Sic nos igitur æstimare debemus ex nobis miserrimi omnium ex gra-
In Vita S. Franc. tia Dei id quod sumus, si aliquid sumus: facit etiam ad idem verissima illa sententia humillimi Patris nostri D. Francisci, *Vnusquisq;*

tantus

tantus est, quantus est coram Deo. Igitur non ex opinione hominum, qui sæpe falluntur, sed ex iudicio Dei æstimanda est cuiusq; magnitudo Quis autem nouit qualis sit sua, & alterius causa coram Deo? Quis nouit an amore, an odio dignus sit, qualiterque Deus ipsum, aut alium aspiciat? Quis scit an alius sit lapsus coram Deo, & ipse sit erectus, cum vno momento possint hominum status mutari, possitque qui stabat cadere, & qui iacebat ad magnam gratiã resurgere? Si ista ignoramus, ex quibus tota nostra magnitudo dependet, merito nos omnium minimos reputare debemus, & in loco infimo nos constituere. Porrò, quia multa ex his egregiè declarauit D. Bernardus super Cantic. non molestè feram eius præclara verba, licet non pauca hic apponere. *Si in quonam statu unumquemq; nostrum habeat Deus, liquido cognosceremus, nec supra sanè, nec infra secedere deberemus ueritati in omnibus acquiescentes. Nunc autem quia consiliũ hoc (posuit tenebras latibulum suum) & sermo absconditus est à nobis, ita ut nemo sciat si dignus sit amore, uel odio, iustius, tutiusque profectò iuxta ipsius ueritatis consilium nouissimum nobis locum eligimus, de quo postmodum cum honore superius educamur, quam præsumimus altiorem, vnde cedere mox oporteat cum rubore. Non est ergo periculum quantumcumque reputes minorem, quam sis hoc est, quam te veritas habeat. Est autem grande malum, horrendumque periculum, si vel modicè plus uero te extollas, si vel uni uidelicet in tua cogitatione te præferas quem fortè parem tibi ueritas iudicat, aut etiam superiorem. Quemadmodum enim si per ostium transeas, cuius superliminare nimium bassum sit non nocet quantumcumque te inclinaueris, nocet autem si uel transuersi digiti spatij, plusquam ostij patitur mensura, erexeris, ita ut impinguas, & capite quassato collidatis, sic in anima non est planè timenda quantalibet humiliatio, horrenda autem, nimiumque pauenda, uel minima temere præsumpta erectio. Quamobrem noli te homo comparare maioribus, noli minoribus, noli aliquibus, noli uni. Quid scis enim ò homo, si unus ille, quem forte omnium uilissimum, atque miserrimum reputas, cuius vitam sceleratissimam, ac singulariter fœdissimam horres, & propter ea illum putas spernendum non modo præ te (qui forte iam sobrie, & iustè, & piè uiuere te confidis) sed etiam præ cæteris omnibus sceleratis tanquam omnium sceleratissimum. Quid scis inquam si melior & te, & illis mutatione dexteræ excelsi in se si quidem futurus sit, in Deo uero iam sit? & propterea non mediocrem. non uel penultimum, non ipsum saltem inter nouissimos eligere locum nos uoluit, sed (recumbe inquit in nouissimo loco) ut solus uidelicet omnium nouissimus sedeas, teque nemini, non dico præponas, sed ne comparare præsumas.* Hactenus ille. Illud ergo, quod dictum est à Domino, *Recumbe in nouissimo loco:* non tantum de extremis actibus accipiendum est, quasi semper nouissimus locus sit à nobis tenendus, quod sæpe personæ, aut muneris, quod gerimus dignitas

Ser. 36. i Cant.

Luc. 14.

vetat, sed de interno affectu pręcipuè intelligendum, vt scilicet homo, desiderio, & minima æstimatione sui, in infimo se loco constituat.

De actu penitentiæ, & contritionis.

AD pænitentiam, & contritionem quæ est dolor de peccatis propter Deum summè dilectum multa nos vrgent, & impellunt.

Primum est magna penitentiæ necessitas, quæ tanta est, vt impossibile sit secundum legem ordinariam adultum peccatorem
Ezec. 33 absque illa saluari, vnde Ezechiel dixit: *Si annuntiante te ad impium, ut ab ijs conuertatur, non fuerit conuersus à uia sua, ipse in iniquitate sua*
Luc. 14. *morietur*; & apud Lucam legimus: *Nisi pænitentiam habueritis omnes simul peribitis* Hæc autem pænitentia, vel est facienda per actum contritionis includentem propositum confitēdi suo tempore peccata, vel per actum attritionis, qui est dolor de peccatis propter pænas inferni cum actuali absolutione sacramenti confessionis.

Secundum incitamentum est, quod nihil gratius Deo efficere potest peccator, quam pænitere de peccatis per veram contritio-
Psal. 55. nem, ad hoc enim significandum Dauid dixit: *Posuisti lachrymas meas in conspectu tuo*. Sicut enim ea quæ nobis placent ante oculos ponimus, ita Deus quia contritionis lachrymas gratissimas sibi habet idcirco eas in conspectu suo ponit: *Posuisti lachrymas meas in conspectu tuo*. Vbi obseruanda est lectio Pagnini in hunc modum legentis: *Posuisti lachrymas meas in libro tuo*. Quasi dicat, ita Domine lachrymæ meæ tibi gratæ fuerunt, vt in libro Annalium tuorum, tanquam rem notabilem, & magni momenti inter alia
Esther 6. notabilia conscriberes, etenim sicut Rex Assuerus, vt sacra Esther narrat Historia, notatu quæ digna erant in libris Annalium scriptis mandabat, vt posteris suis innotescerent, ita Deus contritionis lachrymas tanquam rem sibi gratissimam, & memoria æterna dignam in libro Annalium suorum scribit, vt omnibus innotescat: nec minus ad idem explicandum facit lectio alia ex Hæbreo: *Posuisti lachrymas meas in utre tuo*. Vt enim solent nobiles, & diuites seorsum habere vtrem in quo vinum praeciosum, & generosum sibi solis reseruāt, ita Deus charas, & gratas adeo habet nostras contritionis lachrymas, vt quasi vinum praeciosum sibi velut in vtre eas reseruet: vnde conijcio parum dixisse Bernardū, cum lachrymas pænitentis vinum Angelorum vocauit, cum merito eas, & vinum Dei appellare potuisset, sicut enim vinum lætificat cor hominis ita lachrymæ pænitentis non solum lætificant cor Angelorum,

rum, sed cor ipsum Dei.

Tertium incitamentum est magna, ac multiplex vtilitas, quam secum affert vera pœnitentia, & maximè per contritionem, vt enim sapienter adnotauit Lactantius in Epitom. diuinarum institutionum. Pænitentia non minimum locum inter virtutes habet, quia sui correctio est magnum est penitentiæ auxilium, magnum sola solatium: illa est vulnerum peccatorumque sanatio, illa spes, illa portus salutis: quam qui tollit viam vitæ sibi amputat, quia nemo esse tam iustus potest, vt nunquam sit ei pænitentia necessaria. Hæ sunt victimæ, hoc sacrificium placabile, hic verus est cultus, cum homo mentis suæ pignora in aram Dei confert summa illa maiestas hoc cultore lætatur, hunc, vt filium suscipit sibi, quia donum immortalitatis impartitur.] Hæc ille: quibus consonant præclara alia Diui Chrysost. in hunc modum exclamantis. *O pænitentia, quæ peccatum miserante Deo remittis, & Paradisum reseras, quæ contritum sanas hominem, & tristem exhilaras, uitam de interitu reuocas, statum restauras, honorem renouas, fiduciam das, reformas uires, gratiamque abundantiorem refundis: O pænitentia, quid de te noui referam, omnia ligata tu soluis, omnia soluta reseras, omnia aduersa tu mitigas, omnia contrita tu sanas, omnia confusa tu lucidas, omnia desperata tu animas. O pænitentia rutilantior auro, splendidior Sole, quam non uincit peccatum, nec defectio superat, nec desperatio delet. Pænitentia respuit auaritiam, horret luxuriam. O pænitentia misericordiæ mater, & magistra uirtutum, magna opera tua, quibus reos resoluis, ac reficis delinquentes, lapsos releuas, recreas desperatos. Per te subito rapuit Latronem Christus ad regnum, per te Dauid post flagitium fælix iterum recepit Spiritum Sanctum.*

Lact. in Epit. diuinarũ instit. c. 6.

D. Chrys. serm. de pænit.

Quartum incitamentum, quod non est difficile cum diuina gratia per veram contritionem pænitere de peccatis etenim licet D. Ambrosius dixerit: *Facilius inueni, qui innocentiam seruauerit, quam qui congruè egerint pænitentiam.* Tamen si ab eo quæras, quam putat esse congruam pænitentiam respondet ibidem: *Renuntiandum sæculo est, somno ipsi minus indulgendum, quam natura postulat, interpellandus est gemitibus, interrumpendus est suspirijs, sequestrandus orationibus: uiuendum ita, ut uitali huic moriamur usui, se ipsum sibi homo abneget, & totus mutetur, sicut quendam adolescentem fabulæ ferunt post amores meretricios peregre profectum, & abolito amore regressum, postea ueteri occurisse dilectæ, quæ ubi non interpellatam mirata putauerit non recognitam rursus occurens dixerit. Ego sum responderit ille, sed ego non sum ego. Vnde bene Dominus ait. Qui uult uenire post me abneget semetipsum sibi, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Hæc Diuus Ambrosius, quæ licet vera sint loquendo de perfectissima pænitentia nemo, tamen ignorat Deum dixisse per Isaiam: *Quacumq; hora ingemuerit peccator saluus erit.*

Lib. 2. de pænit.

Matt. 16 24

Isa. 30.

D.Chrys. Hom. de pænit. erit. Vnde D.Chrysost.inquit: *Dicimus facilem esse pænitentiam, neque onus in eas peccatores? dic peccaui, & soluisti peccatum producimus peccantem Dauid, & soluentem peccatum.*

Quintum incitamentum est, quod peccator nullum spirituale sacrificium magis acceptum Deo offerre potest, quam cor amaritudine contritionis afflictum iuxta illud Dauidis: Psal.50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non despicies.* Hinc Leuit.12 in Leuit pro peccato par turturum, aut columbarum in sacrificiũ offerri iussit Deus, cur non, si aues Deus volebat, Aquilam auium omnium reginam? cur non regalem Pauonem, cur non Philomenam, vel Canarium, qui cantu suauitate excellit? cur denique illas Rad.Fla. voluit auiculas plusquam alias? Radulphus Flauiacensis sic respondet tibi, quia huiusmodi aues gemere non cantare solent, de turture enim Virgilius. Virgil.

Isa.59.11 *Nec gemere aerea cessauit turtur ab vlmo.* De columba Isaias: *Quasi columbæ meditantes gememus.* Denique id manifesto constat experimento aues huiusmodi vice cantus gemitus edere, hac igitur ratione voluit Deus pro peccato hasce aues illi offeri, vt notum omnibus esset ad peccati expiationem sacrificium cordis contriti maxime deseruire, ex quo facile colligere licet, quam vanus sit dolor, quam inutiles lachrymæ, quæ funduntur pro pœnis, quæ nos molestant cum ad illas tolendas nihil deseruiant, vnde sapienter D. D.Chrys. ho. 5. ad populũ. Chrysost.dixit: *Mulctatus est, qui quispiam pecunijs, tristatus est, mulctam non emendauit, Filium amisit, doluit, sed filium non resuscitauit neque defuncto profuit, in ægritudinem quis incidit doluit, sed non sustulit ægritudinem, imo difficiliorem reddidit eam; Peccauit autem quis tristatus est, & peccatum deleuit, & debitum dissoluit.*

Sextum incitamentũ est consideratio immensæ maiestatis Dei, & abiectissimæ conditionis tuæ, nec non & turpitudinis, & grauitatis peccati de qua latè sup. lib.1. §.4 nã ex triplici hoc capite multum tibi innotescet magnitudo diuinæ offensæ, præcipuè tamen si hæc duo contraponas, nimirũ nihil est in Deo, quod tu grauiter nõ offenderis, offendisti eius vnitatẽ, Trinitatẽ, ac singulas eius perfectiones, vt sup. docuimus lib.1. §.4 nihil etiã est in te animã, corpus potẽtias spirituales, & corporales sẽsus, & mẽbra omnia quibus velut instrumẽtis nõ fueris vsus ad offendẽdũ Deũ creatorẽ tuum, ac sũmũ benefactorẽ: huic cõsiderationi addẽda est cogitatio Christi Dñi dira tormẽta patientis pro te, nec non graue nocumẽtũ quod per peccatum tibi intulisti expoliãdo te gratia Dei, adoptiua eius filiatione, ac iure ad hæreditatẽ æternæ gloriæ, nec non diaboli seruituti, & æterno gehennæ igni te mancipando cum alijs similimis grauissimis incommodis, quæ secum affert peccatum.

Vltimum

Vltimum incitamentum, quod tamen in executione debet esse primum, reuocatio est in memoriam grauiorum peccatorum olim commissorum multitudinis, & enormitatis eorum, vt enim dixit D. Chrysostomus, *Tantum boni confert meminisse frequentius bomi nem peccati sui, ut etiam Apostolum Paulum uideamus ea, quæ abolita iam fuerant, & deleta adducere tamen in medium, & cum culpam de præsenti non haberet, tamen quia recordationes peccatorum, & luctum, gemitumque sciebat animæ prodesse, etiam illa commemorat, quæ per ignorantiam commissa, gratia baptismi, & confessio fidei aboleuerat*, & infra, *aut oportet ergo nos recordari priora delicta, etiam pro ea, pro quibus ueniam consecuti sumus, vt intuentes quam ingentem molem debiti remisit nobis Deus, & amplius eum diligere possimus, & uerecundiam, pudoremque concipere, atque ex his corde compungi considerantes, quod nisi miseratio ipsius subuenisset, tantum illud peccatorum pondus sine dubio nos in imis inferni pænis, supplicijsque posuisset.* lib. 2. de cōpunct. cordis.

Ad praxim vero contritionis iam accedentes aduerto, quod sicut duplex datur communio, vna sacramentalis, quando vere suscipitur corpus Christi sub speciebus panis, alia vero spiritualis quādo quis ardenter desiderat illud recipere, ac dilatio illud recipiendi eum vexat, ita etiam duplex datur confessio, & vtraque valde vtilis: vna sacramentalis, per quam peccata nostra idoneo confessori aperimus, alia spiritualis per quam vnusquisque nostrum constitutus coram Deo confitetur ei peccata sua, sicut confitebatur Rex Ezechias dicens, *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Ezec. 38 Confiteor Domine cum magna mei confusione, & rubore, quod ausus sum in conspectu tuo hoc, & hoc peccatum committere, sicut autem illa tibi confiteor in abscondito, ita illa in publico manifestarem si id mihi iuberes, ita autem palam debent Deo hic peccata narrari, ac ea si Sacerdoti diceres, non certè vt Deum certiorem eorum facias, cui notissima sunt omnia, sed vt tu mente, aut ore illa commemorans præ nimia verecundia confundaris, & humilieris tanquam reus conuinctus, & confessus coram suo Iudice, à quo nulla est appellatio cum ipse sit supremus omniū Iudex, sed solum in eius misericordia sperandum, refricata ergo hac peccatorum memoria hos actus exerce.

Primus, & potissimus actus contritionis erit hic; doleo Domine Deus meus ex toto corde meo de omnibus peccatis meis, quia fuerunt offensæ contra diuinam tuam maiestatem, & quia per illa te Deum infinitum bonum, ac meum summum benefactorem offenderim.

Secundus actus; quia te Domine amo super omnia amabilia, quæ sunt in cælo, & in terra, detestor omnem culpam a me factā,

vel

vel factibilem super cuncta execrabilia, tam temporalia, quam æterna, ita vt si daret mihi optio peccare, vel æternas pænas sustinere, ego potius illas eligerem, quam velle diuinam tuam maiestatem offendere, quia tu es Deus meus, Creator meus, Redemptor meus, quem super omnia diligo.

Tertius actus: o beata Trinitas vnicus Deus meus considerans tuam maiestatem, ac infinitam bonitatem propter quam mæreris ab omnibus seruiri, & amari, non solum me pænitet te offendisse, sed pariter mihi valde displicet, quod peccata mea commissa, iam infecta fieri non possint; certe quantumuis pro tua infinita bonitate omnia mea peccata mihi remmittere digneris, illud valdè excruciat cor meum, quod deleri, & aboleri non possit te sæpe, & grauiter, Deum, & creatorem meum offendisse: cum ad præteritum non sit potentia ne fuerit: reuera prætio proprij sanguinis, & vitæ profusionis tantum bonum emere non dubitarem si id possibile foret, adeò mihi displicet ò tremenda maiestas te offendisse.

Quartus actus: doleo Domine Deus meus de omnibus peccatis, quæ commisi, quia te creatorem meum contempsi creaturis tuis te postponendo, ac te neglecto vltimo meo fine, illas mihi tanquam vltimum meum finem constitui, in quo fateor meam summam dementiam, propono tamen firmiter, quia te amo super omnia, nunquam amplius te offendere etiam si ad vitandum quodcumque peccatum millies mortem subire opus esset, idemque firmiter propono præstare circa vitandas omnes peccati occasiones, & maximè illas in quibus experientia comperi, me non semel lapsum etiam si ad id necesse sit vitam, honorem, diuitias, aut simile quidpiam aliud amittere: curandumque est, vt hic actus non solum extēdatur ad peccata mortalia, sed etiam ad venialia, sic enim, & contritio erit excellentior, & propositum Deo gratius, & maiori præmio dignius: Hoc generosum propositū habere docuit nos D. Paulus cum dixit; *Quis nos separabit a Charitate Christi; tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum?* Super quæ verba D. Chrysostomus dicit: *Enumerans omnia Paulus, quæ in terris sunt, ascendit etiam in cælum ostendens, quia nihil magnum est si contemnat supplicia æterna propter Christum, adiecit quia neque Angeli, neque Principatus, neque Potestates, neque Virtutes, neque præsentia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque alia creatura poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro, quod autem dicit tale est: Non solum homines abstrahere me non possunt ab amore Christi, sed nec Angeli quidem, neque si omnes simul cælorum uirtutes conueniant in uno, nec si a Regno decidere me necesse sit, aut etiam in gehennam trudi pro Christo, nec hoc mihi metuendum est; quod enim ait altitudo, & profundum uita, & mors, non mihi*

(marginal notes: *ad Ro. 8.* — *D. Chrys.*)

alud

aliud indicare uidetur, quam regnum cælorum, & gebennam, hæc autem dicebat, non quod Angeli affectare possent aliquando cum à Christo Domino separari, sed etiam ea, quæ impossibilia sunt (verbi gratia) *fieri posse dixit magis quam se à Christi amore seiungi, sic ergo beatus hic, & eximius amator Christi omnia, quæ sunt, & quæ erunt, & quæ esse possunt, & quæ esse non possunt, simul complectitur uisibilia, inuisibilia, omnem requiem, & cuncta supplicia.* Hactenus D. Chrisost.

De actu abnegationis propriæ voluntatis, & de resignatione in diuinam.

Diuus Bernardus propriam voluntatem in hunc modum sapienter describit: *Voluntatem dico propriam quæ non est communis cum Deo, sed nostra tantum, quando, quod volumus non ad honorem Dei, sed propter nosmetipsos facimus.* Quam autem vtile nobis sit propriam abnegare voluntatem vnamque communem cum Deo habere, nosque in Dei voluntatem pænitus resignare, ex varijs nocumentis, quæ propria voluntas animæ infert facilè colligi potest, prout eruditè collegit S. Laurentius Iustinianus in hæc verba; *Grauissimum a se onus reijcit, qui suam repullit voluntatem, propria voluntas Deo semper inimicatur, dominari toto posse conatur, rationis iudicium extorquet suo faciens arbitrio militare. Non maioribus aquiescit, non reueretur, non obtemperat, nulli subesse potest, nec commoditate flectitur, nec minis humiliatur, semper procax est, effrenata in locutione, incomposita in moribus, inordinata in affectionibus, ignara sui, & a proximi dilectione aliena. O malum detestabile, antiqua nequitia quantum praeuales? Quantum dominaris. Per te Angelorum ruina facta est, & cælorum agmina minorata: per te deliciarum paradisus homine orbatus est, & humanum genus innumeris cladibus sauciatum. Te suadente corruit Adam, & innocentiæ stola nudatus est. A te dominandi ambitio, & à Deo apostatandi sumpsere principium. Tu cognatorum amorem scindis, & coniugum diuortia facis. Tu amicitiarum iura uiolas, & domesticorum vota dissoluis. Tu cunctorum perturbas orbem, & plurimis reples flagitijs. Tu bellorum discordias generas, tu pacem fugas, & odiorum venena disseminas. Tu infernum ditas, & gehennalibus flammis fomentum subministras. In cælo praeualuisti, & in hoc sæculo principaris.* Hactenus Beatus Laurentius Iustinianus: vt autem hæc tam grauia nocumenta fugiamus oportet doctrinam Christi Domini amplecti dicentis: *Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.* Sane si cum humana Christi voluntas bona esset non quærebat illam Christus, sed voluntatem patris quæ melior erat: quanto magis nos abstinere debemus à quærenda propria voluntate, quæ praua est, vt diuinam, quæ regula

D. Bern. serm. 3. de resur.

S. Laur. Iust. de dist. monast. c. 7.

est omnis sanctitatis, sequamur, maximè qui cænobiticam vitam agimus Cassiano dicente: *Finis cænobitæ est omnes suas mortificare, & crucifigere voluntates*. Ad quod respiciens B. Dorotheus dixit: *Coge te ipsum in cunctis, & uince uoluntatem tuam in primis abscinde, si enim consueueris uoluntatem tuam amputare habitum indues Christi gratia, & misericoricordia, quo omnia sine molestia, aut repugnantia perficies, teque perfectè afferes in libertatem*. Tandem sufficiat dicere totam summam Euangelicę perfectionis sitam esse in conformitate humanę voluntatis cum diuina, ad hoc enim ordinantur exercitia omnia vitæ spiritualis, omnia Sacramenta, & omnia mysteria Christianę religionis: quare tanto quispiam perfectior erit, quanto conformior diuinæ voluntati, & tanto minus perfectus, quanto magis propriæ voluntati satisfecerit, vnde D. Hieronymus opusc. de vita spirituali dixit: *Tantum adijcies uirtuti, quantum subtraxeris propriæ voluntati*. Quod si rem altius intueamur, certè quātò magis quis satagit, vt impleat diuinam voluntatem, tanto magis eius voluntas impletur quia tunc implens diuinā voluntatem, implet & suam, quæ conformis est illi, ad quod respiciens Seraphicus noster Pater Bonauentura sapienter dixit: *Qui sunt uoluntati diuinæ conformes sunt quasi dij suæ voluntatis omnipotentes*. Etenim sicut in eo elucet omnipotentia diuinæ voluntatis, quod semper impletur, ita consequenter necessarium est impleri voluntatem eius, qui se conformat illi.

Cass. col. 19. c. 8.
B. Dorot. serm. 17
D. Hier. opusc. de uita spirituali.
D. Bonauent. in dieta sal. tit. 8. c. 1.

Praxis autem resignandi propriam voluntatem in voluntatem Dei hæc erit. O Beata Trinitas vnicus Deus meus in manus tuas omnia mea committo, omnia mea offero, ac meam propriam voluntatem totaliter in tuam resigno, vt de me, ac de omnibus meis, vt placitum fuerit in oculis tuis in tempore, & in æternitate dispoñas, & vt in omnibus, & per omnia, non mea, sed tua fiat voluntas, nec enim ego sum meus, sed tuus, nec bona mea sunt mea, sed tua, tu namque Dominus vniuersorum es, ad Dominum autem pertinet disponere, vt sibi libuerit de bonis serui sui, nō ad seruum cum quicquid aquirit seruus aquirat Domino.

Secundus actus, Domine Deus meus ita renuncio meā propriā voluntatem, & illam in tuam resigno, vt velim in conspectu tuo apparere tāquam tabula rasa in qua absque obice vllo possis dipingere quicquid volueris, & imprimere quicquid placuerit: cupio esse apud te tanquam lutum in manu figuli, vt me eformes, aut frāgas, & vt eformatum, aut in sublimi, aut in infimo loco constituas: offero tibi animum meum indifferentem, & paratum ad salutem, & infirmitatem, ad consolationem, & desolationem, ad honores, & contumelias, ad bonam famam, & infamiā, ad penuriam, & abundantiam, ad vitam tandem, & ad mortem.

Ter-

Tertius actus, Domine Iesu Deus meus, & redemptor meus quicquid mihi dare tibi placuerit ego libenter acceptabo, cum à te, qui summa bonitas es, nihil nisi bonum proficisci possit: satisfaciam ego tuæ voluntati, & nihil aliud volo: hæc sunt deliciæ meæ, hoc gaudium, hic honor, hæc suprema dignitas mea, hic totus Thesaurus meus, vt faciam voluntatem Dei mei, & voluntas eius in me fiat.

Quartus actus, ita desidero Deus meus tuæ diuinæ voluntati meam conformare, vt magis eligerem tuæ voluntati placens ęternas pænas sustinere, quam tuæ voluntati displicens æternis gaudijs perfrui.

De actu timoris Dei.

DVplicem timorem frequenter inculcant sacra volumina seruilem scilicet, & filialem; seruilis est, quo quis timet peccare propter pænas quibus Deus punit peccatorem, quamuis autem hic timor non oriatur ex amore Dei, sed ex amore sui quo quis incolumitatem suam amat, propter quod seruilis nuncupatur, serui enim consueuere dominis inseruire non ex amore ipsorum, sed ex amore sui ne pænas luant si innobedientes sint, bonus tamen est tum, quia Christus Dominus illum consuluit cum dixit: *Timete eum, qui potest, & animam, & corpus perdere in gehennam.* Tum quia amor sui ex quo hic timor seruilis exoritur bonus est cum habeat bonum obiectum nimirum liberationem à pęnis inferni, quare necesse est, vt bonus sit timor ex eo ortus, tum denique quia fructus huius seruilis timoris sunt optimi nempè retrahere hominem à peccato, & viam parare ad iustificationem: *Non potest autem arbor mala bonos fructus facere.* Vt dixit Christus Dominus: filialis vero timor est ille quo quis timet peccatum committere quia est offensa Deo, & ideo non audet aliquod præceptum violare ne à gratia Dei sui eccidat, diciturque filialis, quia nascitur ex amore quo iustus Deum amat tanquam Patrem. Hi duo timores licet boni, sunt tamen multum diuersi, quia timor seruilis refugit malum pęnæ, filialis vero malum culpæ, & separationes à Deo; est etiam, & alia diuersitas inter eos, quod seruilis non manet in patria, filialis vero sic, quomodo autem id debeat intelligi cum tam malum penę, quam culpæ sit incompossibile cum æterna beatitudine, atque adeo neutrum timeri possit in patria explicat D.Greg. 17. Moral. relatus ad idem à D. Thom. 2. 2. q. 19. art. 11. etenim exponens illud Iob 26. *Columnæ cæli contremiscunt, & pauent ad nutum eius*, ait; *Ipsæ virtutes cælestium, quæ Deum sine cessatione conspiciunt, in ipsa contemplatione*

Matt. 13

Matth. 7

contremiscunt, sed idem tremor ne eis pœnalis non timoris est, sed admirationis, quia scilicet admirantur Deum, ut supra se existentem, & eis incomprehensibilem. Potest etiam aliter explicari timor filialis qui manet in patria, vt non maneat secundum actum timendi offensam Dei, aut separationem à Deo, cum Beati habeāt omnimodam securitatem non incidendi in aliquod malum, sed maneat, vt reuerentialis est subijciendo animam infinitæ Dei Maiestati, ac reuerendo illam cum omnimoda subiectione, ita colligo ex D. Thom 22. q. 19. ar. 12. in corpore dicente: *Cum enim ad timorem filialem pertineat Deo reuerentiam exhibere, & ei subditum esse, id quod ex huiusmodi subiectione consequitur pertinet ad donum timoris, ex hoc autem, quod aliquis Deo se subijcit desinit querere in se ipso, vel in aliquo alio magnificari nisi in Deo, id enim repugnat perfectæ subiectioni ad Deum, unde dicitur eo Psalm. hi in curribus, & hi in equis nos autem in nomine Dei nostri inuocabimus, & ideo ex hoc quod aliquis perfectè timet Deum consequens est, quod non quærat magnificari in se ipso per superbiam.*

His sic constitutis.

Primum incitamentum ad timorem est consideratio operum Iustitiæ vindicatiuæ Dei, si enim Angelis peccantibus Deus non
2. Pet. 2. pepercit, (vt Petrus in sua Cannonica ait:) *Sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in iudicium reseruari.* Si primos parentes ob æsum pomi ex Paradiso deiecit, & vniuersam eorum posteritatem ad vitam destinatam morte damnauit. Si tempore Noe omne genus humanum, & omnem animam viuentem aquis eluuionis immersit. Si ciuitates Sodomorũ, & Gomorrhæorũ terribili igne consumpsit. Si innumerabiles peccatores, nunc vnum, nunc alium, vt ex historijs constat, subita morte sustulit, & ad eruditionem nostram acerbissimas pænas, quas in inferno patiuntur, aliquibus patefecit: Quid expectant miseri peccatores, qui habitant domos lutæas, & terrenum habent fundamentum, si Dei mandata præterierint.

Secundum incitamentum est multiplex vtilitas, & fructus timoris Dei: hic principium præbet sanctitati, vt ait Dauid, *Initium*
Ps. 110. moris Dei: ...
Eccl. 25. *sapientia est timor Domini*, cui consonat illud Ecclesiast. *Timor Domini*
Psal. 10. *initium dilectionis*, conciliat misericordiam Dei, vt idem Dauid testatur dicens, *Misericordia Domini ab æterno, & in æternum super ti-*
Prou. 14 *mentes eum*, reddit hominem constantem in tentationibus Salomone dicente; *Qui timet dominum nihil trepidabit, & non paucbit, quoniam*
Eccl. c. 1. *ipse est spes eius.* Confert cordi magnum gaudium, vt enim ait Ec-
D. Aug. clesiast. *Gloria, & gloriatio, & lætitia, & corona exultationis, timor Domini*
super Ps. *delectabit cor, & dabit lætitiam, & gaudium, & longitudinem dierum*, coer-
118 cet carnis delectationes, vt enim scripsit D. Augustinus super verba

ba illa, *Confige timore tuo carnes meas, tali timore carnes crucifigutur quando carnales delectationes, quæ legis littera vetantur, potius quam vitantur, spiritualium delectatione vincuntur.* Impellit ad obseruationem mandatorum, iuxta illud Ecclesiast. *Qui timent Dominum custodiunt mandata illius*, conuertit hominem ad meliorem vitam, quia vt ait Sapiens, *Qui timet dominum conuertetur ad cor suum*, Vnde Esaias dixit, *A timore tuo concepimus, & peperimus spiritum salutis*, odio prosequitur malum, & illud fugat Salomone dicente, *Timor domini odit malum*, & alibi, *Timor Domini expellit peccatum*, impellit ad studium placendi Deo iuxta illud Ecclesiast. *Qui timent dominum inquirent, quæ beneplacita sunt ei*, reddit hominem beatum in hac vita, *Beatus homo, qui semper est pauidus*, cui simile est illud Eccl. *Beatus cui donatum est habere timorem Dei*, trahit beneuolos oculos Dei super animam, *Oculi Domini super timentes eum*, vt cecinit regius Vates; facit Deum adiutorem suum in tribulationibus, quia vt ait Ecclesiast. *Timenti Deum non occurrent mala, sed Deus in tentationem illum conseruabit, & liberabit à malo*: præparat animam eodem Eccles. dicente, *Timor Domini sicut Paradisus dilectionis*, fiduciam parit de felici exitu de hac vita, iuxta illud Eccl. *Timenti Dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedicetur*, facile impetrat apud Deum, iuxta illud Dauidis, *voluntatem timentium se faciet*, confert affluentiam bonorum temporalium Dauide dicente, *Quoniam non est inopia timentibus eum*, honorat diuites, eodem Eccl. dicente c. 10. *Gloria diuitum, honoratorum timor Dei est*, tandem audi Ecclesiasticum si vis agnoscere valorem timoris Dei, *Non est*, inquit, *maior illo qui timet Deum*, & alibi, *quam magnus, qui inuenit sapientiam, & scientiam, sed non est super timentem Dominum timor Domini super omnia se superposuit.*

Eccl. 25. Eccl. 7. Esa. 5. Prou. 8. Eccl. 1. Prou. 8. Eccl. 25. Psal. Eccl. 33. Eccl. 40. Eccl. 1. Psal. 33 Eccl. 10. Eccl. 25. Eccl. 30.

Ad extremum, vt multa incitamenta paucis comprehandam, time Dominum Deum tuum, quia Dominus tuus est, & quia ipse dixit, *Si ego dominus ubi est timor meus?* time illum, quia nescis an odio, an amore dignus sis. Time illum, quia postquam occiderit corpus, potest animam mittere in gehennam. Time illum, quia incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius, & nescis quid de te futurum sit. Time non vt seruus emptitius ob pœnam, sed vt filius charissimus, & fidelissimus, ne incurras diuinam offensam. Time ne ab illo separeris, in quo omne bonum est, & à quo separatus omne malum, & omnem miseriam tibi accerses. Time magna peccata, quia à Deo separant, & time quoque leuia, & minimas imperfectiones, quia grauioribus offensis ianuam aperiunt. Time tandem dominum, quia timor eius initium est omnium bonorum. nam scriptum est. *Timete Dominum omnes Sancti eius, quoniam nihil deest timentibus eum.* Inquirentes autem eum per-

Malac. 1

castum,

castum,& sanctum timorem,non deficient omni-bono.

His præmissis venio ad actus timoris.

Primus est: Domine Deus meus cum timor sit de malo, sicuti spes de bono,& inter omnia mala nullum deterius sit quam malũ culpę,& separatio à te vltimo fine meo,totis artubus contremisco tuam legem violare,propterea quod talis violatio cedat in offensam, & iniuriam tuam, & quia separat animam meam a te Deo Creatore meo, non solum autem timeo quodcumque peccatum mortale, sed & quodcumque veniale quantumcumque leuis offensa sit cum in minimis etiam cupiam valde diuinæ tuæ maiestati non minime displicere.

Secundus actus: Timeo Domine Deus meus ne propter multa,& ingentia scelera, quæ contra diuinam maiestatem tuam inuerecunde commisi,vindicatiuam tuam iustitiam in me exercere velis,expauesco ad considerationem infinitorum beneficiorum tuorum,& infinitæ ingratitudinis meæ.

Tertius actus:timeo Domine Deus meus summam meam fragilitatem,& facilitatem ad peccandum,timeo rebellionem carnis quam in me sentio,fortitudinem inimicorum tam visibiliũ,quam inuisibilium,qui incessanter contra me dimicant,timeo mortis angustias,ac iudicij tui seueritatem,inter tot autem timores non animo cado,sed simul spero diuinum auxilium tuum mihi affuturũ ne diuinam maiestatem tuam offendam, aut quidpiam committã quo mærear in æternum a te separari.

Quartus actus:timeo te Domine Deus meus,quia potens es me in gehennam mittere,& in æternum me a te exulem efficere, pariter tamen fateor,quod quamuis nulla esset mihi propter peccatum inferenda pęna,adhuc me ab illo abstinerem ne diuinã tuam maiestatem quoquo modo offenderem.

Quintus actus:timore reuerentiali Domine Deus meus instar beatorum reuereor infinitam tuam maiestatem, ac omnipotentiã ex toto corde me tibi subdens,ac me velut nihilum in conspectu tuo agnoscens.

Sextus actus potest exerceri circa pœnas inferni absq; eo, quod timor sit seruilis, quia licet hic bonus sit,imperfectus tamen est: semper autem conandum heroicos actus exercere:modus verò illos exercendi iuxta præsentem materiam hic erit: Domine Deus meus timeo vehementer quodcumque peccatum mortale propter pœnas inferni, non iam tamen principaliter propter æternos cruciatus,sed ne incidam in illam miseriam odio te habendi, & te perpetuo blasphemandi, quæ communis est omnibus damnatis, quæ enim maior infælicitas potest excogitari quam te Deũ meum

infini-

infinitè bonum,infinitè pulchrum,infinitè ſanctum, infinitè amabilem, odio, & contumelijs per totam æternitatem proſequi, ne ergo in tam horrendum malum incidam pænas inferni timeo, & exhorreſco.

De actu petitionis, & obſecrationis.

CHriſtus Dominus adeo principalem partem orationis iudicauit petitionem,vt rogatus à diſcipulis docere eos orare, non aliud orationis genus eos docuerit, quam multitudinem petitionum,quibus plena eſt oratio dominica: vnde magnus Pater Baſi- *D. Baſil.*
lius non aliter quam per petitionem orationem definiuit, dicens: *orat. in*
Oratio eſt boni cuiuſpiam petitio, quæ ad Deum à pijs effunditur. Quibus *martyrē*
conſonat communis illa, & trita D. Damaſceni deſcriptio, quam *Iulittā.*
tradidit D.Thom. *Oratio eſt petitio decentium à Deo:* Obſecratio *D. Tho.*
autem,vt tradit D.Thom. addit ſupra petitionem,quod eſt perſa- *2. 2. qu.*
cra conteſtatio,ſicut cum dicimus, per natiuitatem tuam libera *83. a. 17*
nos Domine.

Hoc præiacto fundamento.

Primum incitamentum ad exercendos actus petitionis, & obſecrationis eſt magna huius exercitij neceſſitas:ſcio quidem nōnullos Hæreticos quibuſdam apparentibus,ſed re ipſa futilibus rationibus neceſſitatem petitionum in oratione ex profeſſo improbaſſe,nam inquiunt Chriſtus Dominus dicit, *Scit pater ueſter,quia his omnibus indigetis:* & cum alioquin ipſe ſit liberaliſſimus, & liberalius ſit dare aliquid non petenti Senecæ prouerbio,dicente: *Nulla res charius emitur,quam quæ precibus emitur*: deinde aiunt per petitionem flectitur animus illius à quo petitur, vt faciat, quod ei poſtulatur,cum autem animus Dei ſit immutabilis, & inflexibilis, iuxta illud primi Reg. *Porro triumphator in Iſrael,non parcet, nec pa-* *1. Reg. 15*
nitudine flectetur. ſuperfluæ igitur fiunt petitiones Deo: verum hi toto cælo errant,nam quod attinet ad liberalitatem Dei multa ille liberaliter etiam non petita donauit,vt animam, corpus, elementa,& mixta,Solem,& Lunam,&c.diuina Sacramenta, & mirabiles eorum effectus, quod autem aliqua nobis velit præſtare, nobis petentibus,id certè facit, quia ipſa petitio nobis vtiliſſima eſt,nam vltra ſortem illam quam orando petimus à Deo, in quo non modica elucet vtilitas,eſt & alia multiplex magni momenti, de qua ſtatim dicemus.

Secundum incitamentum eſt multiplex petitionis vtilitas. Prima:nam petendo à Deo valde illum honoramus confitendo, & proteſtando illum eſſe authorem omnis boni, fontem miſericordiæ

cordiæ

cordiæ,& liberalitatis,& omnipotentem ad dandum quicquid ei petierimus. Secunda. Quia per petitionem fatetur anima paupertatem,& indigentiam suam,& recognoscit se magnam habere dependentiam ab illo,licet autem pendere à creaturis sit molestum, est tamen iucundissimum pendere à Deo, dum enim anima ita pendet à Deo cogitat de Deo,credit in Deum,sperat in eo,& fiduciam habet obtinendi,quod petit,diligit eum,à quo remedium suæ infirmitatis expectat,timet illum offendere à quo tota eius salus pendet. Tertia. Quia postquam quis per petitionem desiderata obtinet,gratias datori refert, & ei diligentius inseruire curat. Quarta. Quia per petitiones, & obsecrationes anima cum Deo colloquia innit,ad quod respiciens D. Chrysost.relatus à D. Thoma 2.2. dixit; *Considera quanta est tibi concessa fœlicitas, quanta gloria attributa,orationibus fabulari cum Deo, cum Christo commiscere colloquia, optare quod uelis, quod desideras postulare.* Quod autem dicitur de inflexibilitate, & immutabilitate Dei nullius momenti est, quia, vt rectè D.Thomas adnotauit, non propter hoc oramus, vt diuinam dispositionẽ immutemus, sed vt id impetremus, quod Deus disposuit per orationes nostras implere, & vt postulando mæreamur accipere,quod Deus omnipotens ante sæcula disposuit nobis donare, etenim sicut disposuit Deus multiplicare triticum mediante industria,& labore agricolæ,ita etiam disposuit multorum salutem mediante petitione, ex quo euidenter colligitur, quam magna sit necessitas petitionis cum sæpè sit medium necessarium ex diuina dispositione ad Dei prouidentiam exequutioni mandandam,hanc necessitatem probe agnoscens D. Chrysost. hæc aurea, ac valde notanda verba scripsit: *Quis non orat Deum, nec diuino colloquio cupit assiduè frui,is mortuus est, & uita carens, expersque sanæ mentis. Nam hoc ipsum euidentissimum est amentiæ argumentum non intelligere magnitudinem huius honoris, nec amare deprecandi studium, nec hoc habere persuasum, quod animæ mors sit, non prouolui ad Dei genua: Quin insuper, quod oporteat quauis morte tristius existimare, si quis deprecatione priuetur,pulchre nos docet Daniel ille Propheta magnus,qui maluerit mori, quam triduo dumtaxat arceri ab orando;* & paulo post. *Arbitror cunctis esse manifestum, quod simpliciter impossibile sit absque precationis præsidio cum uirtute degere, cumque hac huius vitæ cursum peragere. Etenim qui fiat,ut quis virtutem exerceat,nisi continenter supplex ad genua accedat ei, qui uirtutem omnem largitur hominibus?* & rursus libro secundo. *Iam vero si quis dicat animæ neruos esse deprecationem,mea quidem sententia uerum dixerit;quemadmodum enim corpus neruis cohære, currit, uiuit, stat, & compactum est,adeo, vt si neruos incideris, uniuersam corporis harmoniam dissolueris;itidem animæ per sanctas preces sibi constant,& compingtuntur,*

D.Chrys.

S.T.2.2. q.83.ar.2.ad 3.

S.T.2.2. q.83.ar.2.in corpore.

Lib.1.de orando Deum.

Dani. 6. 10

Idem D. Chrysos.

guntur, ac pietatis cursum facilè peragunt. Quod si te ipsum destitueris precatione, perinde feceris, ac si piscem ex aquis extraxeris. Vt enim pisci uita est aqua, ita tibi deprecatio; per hanc datur velut ex aquis subuolare, cælumque transcendere. Idem confirmat Sanctus Augustinus Epistola ad Prob. *Qui nouit, (inquit) bona data dare filijs suis petere nos, & quærere, & pulsare compellit. Quod quare faciat, qui nouit, quid nobis necessarium sit priusquam petamus ab eo mouere animum potest nisi, ut intelligamus, quod Dominus, & Deus noster non voluntatem nostram sibi uelit innotescere, quam non potest ignorare, sed exerceri in orationibus desiderium nostrum, quo possimus capere, quod præparat dare. Illud enim ualdè magnum est; sed nos ad accipiendum parui, & angustissimi.* Quarta est, quod orans impetrat quod desiderat, Christo Domino dicente: *Omnis qui petit accipit, & pulsanti aperietur.* Quod adeo verum est, vt non semel etiam ipsam remissionem peccatorum impetret, ad id enim iussit ipse dicere: *Dimitte nobis debita nostra.* Vnde, & Publicano postquam dixerat: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Ait D. Lucas: *Descendit in domum suam iustificatus.* Ad quod respiciens D. Chrysost. dixit: *Etiam si nos peccatis refertos precatio deprehenderit, celeriter purgatos reddit. Quid itaque maius, aut diuinius obtingere possit quam deprecatio cum hanc animi ægrotantibus pharmacum quoddam esse liqueat? Quod enim animam peccatis obnoxiam deprecatio facilè puram reddat, docet nos Publicanus ille, qui petit à Deo remissionem peccatorum, & impetrauit, docet, & Leprosus, qui simul, ut procidit ad pedes Dei, mundatus est.* Quinta vtilitas est, quod vincit omnes nostros hostes, dum postulando auxilium aduersus illos Dominus illud impertitur, vt victoriam reportemus de illis; vnde Diuus Augustinus dixit; *O quam grandis est ipsius orationis causa. O quam grande mysterium. Ecce Moyses orabat in monte, & Iosue Amalech deuincebat. Per orationem Saulus efficitur Paulus, & Doctor gentium, Hieremias confortatur in carcere, Daniel inter leones exultat, Iob in sterquilinio nudus triumphat, Susanna inter senes defenditur, Paradisum de cruce latro inuenit, Stephanus de torrente in cælum suscipitur, & inter lapidantes pro Saulo exauditur.* His consonant verba illa D. Chrysost. *Oratio soluit uincula Petri, & Pauli dilatauit prædicationis fiduciam: Oratio caminum ignis extinxit, oratio conclusit ora leonum: Oratio seditionem compescuit: Oratio Paradisum aperuit: Oratio cæli Cardines reserauit: Oratio sterilem fæcundauit: Oratio Cornelij cælos penetrauit; Oratio publicanum iustificauit immanissimum.* Deinde hostem dæmonem petitio deuincit, vt præcitato loco D. Chrysost. his verbis adnotauit: *Si dæmones nos conspexerint deprecatione communitos, illico resiliunt, non aliter quam prædones, ac facinorosi, ubi conspiciunt militis gladium in caput suum uibrari. Quod si contingat aliquem esse nudum precationis præsidio, hic deportatur à dæmonibus, & in calamitates,*

S. Aug. ep. 121. c. 8.

Matt. 7

Matt. 6

Luc. 18.

D. Chrys. lib. 1. de orando Deum.

Luc. 18. 13

Ad frat. in Eremo serm. 22

To. 5. ho. de progr. eius, & odc.

D. Chrys. ubi sup.

uariaque mala impellitur. Sexta, vtilitas est, quod petitio facit, vt
Ios. c. 10 Deus obediat homini petenti. Iosue enim petenti, vt Sol staret. *Sol contra Gabbaonem ne mouearis*, continuo Sol stetit, *obediente Deo*
Isa. 30. *voci hominis*, vt ait sacer tex. confirmat idem illud Isaiæ, *ad uocem clamoris tui statim ut audierit respondebit tibi*, & illud Dauidis, *Do-*
Psal. 29. *mine Deus meus clamaui ad te, & sanasti me*, super quæ verba Sanctus Basilius dixit, *Vox hæc, Domine Deus meus plena est affectu fiduciæ, & iustorum uox est, quorum Dominus specialiter dicitur Deus, Ego*, inquit, *sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob*, & subdit, *Clamaui ad te, & exaudisti me, nihil medium, nullumque interuallum fuit inter uocem meam, & gratiam tuam, sed simul atque clamaui, sanitas prodijt*. Hactenus D. Basilius.

Tertium incitamentum ad petendum est summa Dei libera-
Luca 11. litas, quæ tanta est, vt nos ad petendum inuitet, *petite, & accipietis*, & alibi, *quicquid petieritis patrem in nomine meo dabit uobis*, sanè qui inuitat ad petendum euidens signum est, habere voluntatem dandi; expertus fuit hanc liberalitatem bonus latro, qui semel petens à Christo Domino, vt recordaretur illius memento mei Domine cum veneris in Regnum tuum, continuò illi respondit, *Hodie mecum eris in Paradiso*, & in eodem die beatitudinem obtinuit, videns clarè diuinam essentiam: tandem hoc est certissimũ, quod Deus vult plus dare, quam nos accipere, & plus vult ille mise-
Orat. 1 S. reri, quam nos à miseria liberari, atque hinc D. Gregorius Na-
Baptis- zianzenus dixit: *O miram diuinæ beneficentiæ celeritatem, ô facile con-*
ma. *trahendi cum Deo rationem hoc bonum solum uoluntatis proposito tibi proponitur emendum: nam appetitionem nostram Deus ingentis precij loco habet, & cum ab eo beneficium petitur, beneficio id ducit*: Hæc ille. Quare autem cum magna sit Dei liberalitas, magnaque nostra indigentia, & miseria sæpe nihilominus non obtineatur, quod petitur, multiplicem assigno causam. Prima, quia aliquando petimus id,
Hom. 79 quod nobis dari nociuum esset, vnde D. Chrysostomus ait, *Dices*
ad Pop. *peto sæpe, sed minimè obtineo. Non tu homo utilia tibi nosti, frequenter damnosa petis, & periculosa, sed ille tua magis curam gerens salutis, non tuam intuetur petitionem, nam si patres licet carnales non omnino, quæ petunt filijs præbent, non quod petentes aspernentur, sed quia eorum curam gerunt, maiorem multo magis Deus qui plus diligit, & qui melius omnibus nouit, quid expediat dabit. Cum ergo defeceris orans, & non acceperis, cogita quoties pauperem audisti petentem, & non exaudisti, & patienter tulit, & tu quidem hoc ex crudelitate facis, Deus autem ex benignitate*. Hæc S.
Matth. 8 Chrysostomus: idipsum manifesto exemplo confirmo: nam petierunt dæmones se ire in porcos, & concessum est eis: petijt Iob tentandum & accepit, petijt Apostolus dicens, *Ne magnitudo reuelatio-*
2. Cor. 12

num

num extollat me datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Sathanæ, qui me colaphizet. Propter, quod ter Dominum rogaui, ut aufferetur à me, & dixit mihi sufficit, tibi gratia mea, nam uirtus in infirmitate perficitur. Ecce exaudiuit eum, quem volebat damnare, & non exaudiuit eum, quem volebat saluare: nam æger petit multa à medico, & non dat medicus, quia non exaudit ad voluntatem, vt exaudiat ad sanitatem. Secunda ratio, quia per huiusmodi dilationem, qui petendo perseuerat dignior fit, & capacior ad diuinam misericordiam suscipiendam, vnde D. Hieronym. loquens de Daniele, cui cum orasset per tres hebdomadas, lugens non fuit missus Angelus ei vsque in finem illarum, quærit si Daniel, vt reuelatum fuit illi statim exauditus est, cur non statim ad eum missus est Angelus, & respondet: *Data est ei per moram occasio amplius Deum deprecandi, ut ex eo, quod plus desiderat per laborem plus audiri mæreatur.* Hoc idem accidit Cannaneæ, distulit enim ei dare, vt cresceret eius fides, deuotio, patientia, & perseuerantia, & sic dignior ad obtinendum beneficium redderetur. Tertia ratio, quia sæpe non petis tanquam pauper agnoscens tuam magnam indigentiam: hanc tradidit Diuus Augustinus dicens: *Ideo non exaudiris, quia diues es, forte clamaueras, & non exaudiebaris: inops clamat, & Dominus exaudit eum: quomodo inquies clamabo inops? ut & si habeas aliquid non inde præsumas de uiribus tuis, ut intelligas te indigentem, ut intelligas te tamdiu esse pauperem, quam diu non habes illum, qui te diuitem fecit.* Hactenus Diuus Augustinus, ideo igitur differt Dominus concedere postulata, vt interim humilietur orans, & dicat, quia indignus sum ideo non exaudior, quæso Domine ne meam indignitatem attendas, sed miserere mei secundum magnam misericordiam tuam. Quarta ratio est, quia Deus gaudet nos ab ore suo pendere, & frequenter ad eum recurrere, auxilium ab eo postulantes, sicut pater ardenter filiolum amans quamuis pomum, quod manu tenet, & postulat filius, dare illi cupiat: consulto tamen, differt gaudens audire filium coram se postulantem, ac vim facientem, vt extrahat pomum à manu paterna. Quinta ratio, quia licet dare velit Deus, quod petimus, differt tamen, vt illud det in tempore opportuno, est enim, vt ait Daniel: *Adiutor in opportunitatibus.* Postulat infirmus à medico aquam frigidam in febris incremento dabo inquit ille, sed non modo, quia nocebit: dabo tamen in decremento, quia tunc erit emolumento, ita Deus differt dare ad tempus in quo videt magis expedire: hanc rationem affert D. Chrysost. qui loquens de causa dilationis in liberatione Iosephi à carcere, quam importunis precibus postulauerat, ait: *Considera quomodo post restitutionem pincernæ duo anni præterierunt, oportebat enim expectari tempus*

Dan. 10. *Matth. 5* *D. Aug. in ps. 33.* *Psal. 9.* *Hom. 61 in genes.*

opportunum, ut maiori cum gloria è carcere educeretur, quia si pincerna antea recordatus fuisset, fortè authoritate sua eum liberasset, & non tam perspicua alijs eius uirtus fuisset: nunc autem omnipotens Deus, & Sapiens sciens, sicut optimus artifex, quanto tempore in igne aurum debeat teneri, & inde reduci permittit ad tempus pincernam obliuisci, ut tempus somniorum Pharaonis adueniret, & compellente necessitate ipsa, iustus ille in toto regno Pharaonis præponeretur. Ita S. Chrysost.

Vt autem petitio nostra sit efficax oportet, vt sequentes conditiones illam comitentur. Prima est fiducia, qua confidamus non solum posse Deum facere, sed planè facturum, quod petimus.

Mar. 11. *Quicquid orantes petitis* (inquit Dominus) *credite, quod accipietis, & fiet uobis*. Neque difficilè vobis erit ita confidere, si super meritis Christi, super infinita benignitate Dei, ac super certitudine, ac veritate promissionum eius innitamini. Hæc tria, meritum Christi infinitum, quod totum est nostrum, bonitas Dei inexplicabilis, quæ nulla grauitate, ac magnitudine peccatorum vinci potest, & firmitas atque constantia promissionum Dei, quæ tanta est, vt potius cælum, & terra, & omnis natura concidere possit, quam vt vnum de verbis Domini non compleatur, hæc, inquam, tria, quasi tres anchoræ sunt, quæ nauim fiduciæ nostræ ita confirmant, ac stabilem reddunt, vt nullo modo fluctuare possit, neminem terreat magnitudo, vel numerus peccatorum etenim modo tibi peccata non placeant, sed ea verè, & ex animo detesteris, & concipias magnitudinem pretij nostri, & amplitudinem viscerum Dei, & firmitatem atque constantiam promissionum eius: & cum præclara fiducia adeas thronum gratiæ illius sine dubio quicquid petieris impetrabis; omnia enim possibilia sunt credenti, & verè

Isai. 1. penitenti, vnde Isaias dixit: *Si peccata tua fuerint, ut coccinum, quasi nix dealbabũtur, & si fuerint rubra quasi uermiculus, uelut lana alba erunt.*

Secunda conditio est, vt orantem non reprehendat conscientia peccati mortalis, quod per pænitentiam non fuerit iam expiatum,

1. Joan. 3 hanc colligo ex verbis D. Ioannis dicentis: *Si cor nostrum non reprehenderit nos fiduciam habemus ad Deum, & quicquid petierimus accipiemus ab eo, quoniam mandata eius custodiuimus & ea, quæ sunt placita coram*

Psal. 33. *eo facimus;* & Dauid dicebat: *Oculi Domini super iustos, & aures eius in*

Ioan. 15. *preces eorum*. Imò, & Christus Dominus apud Ioannem ait: *Si manseritis in me, & uerba mea in uobis manserint, & quodcumque uolueri-*

D. Aug. li. de opere Mon. *tis petetis, & fiet uobis*. Hinc Diuus Augustinus lib. de opere Monachorum, vbi ait, citius exauditur vna obedientis oratio, quam decem millia contemptoris. Tertia Conditio est, vt petitionem nostram concomitetur ardentissimum desiderium obtinendi à

Psal. 37. Deo, quod ab eo postulamus, vt enim dixit Dauid: *Desiderium pau-*

perum

perum exaudiuit Dominus. Vnde Diuus Augustinus Epist. 125. ad Prob. cap. 9. dixit: *Desiderium tuum est oratio tua, & desiderare semper est orare semper*; & ibidem ait: *Dignior sequetur effectus, quem feruenter præcedit effectus*. Quarta. Conditio est perseuerantia cuius necessitas satis luculenter potest agnosci, vel ex vidua illa, quæ sua importunitate, Iudicis inclementiam superauit, vel ex amico illo, qui tres panes sola perseuerantia orationis obtinuit, vel ex muliere Chananæa, quæ toties repulsa nunquam destitit rogare quousque, quod desiderabat obtinuit; huc etiam tendunt verba Christi Domini, *Oportet semper orare, & nunquam deficere*, & illa D. Pauli, *sine intermissione orate*, vnde D. Chrysostomus in Ioan. sapienter dixit: *Pudeat nos, pudeat dilectissimi, & incredibilem socordiam nostram deploremus octo, & triginta annos paralyticus ad piscinam expectauerat, expectabatq; ut sanaretur, neque eius impletum est desiderium, neque negligentia sua non sanabatur, sed præuentus ab alijs, neque propterea desperauit, nos autem si uel decem dies orationibus inuigilantes non exaudimur, iam tepescimus; hominibus uero, quam diligentissimum exhibemus ministerium in malitia, in difficultatibus seruientes, tandem frequenter omnem spem amittimus: Dominum autem nostrum ubi sine dubio merces sequitur longè laboribus amplior spes enim non confundit, debito studio, & diligentia prosequi non patimur; & quonam hoc supplicio dignum? Sed laboriosa est assidua oratio. Et quid non laboriosum, quod à uirtute proficiscatur*. Proximius autem accedentes ad praxim petitionum, & obsecrationum præsupponere oportet materiam illarum esse copiosissimam, quia complectitur omnes miserias, quæ nos circundant, & omnia mala, quæ nos timemus in hac & in futura vita, nec non omnia bona, quæ speramus possidere, tam in hoc sæculo, quam in futuro, ad hæc enim duo capita reducuntur omnia, quæ à Deo postulare debemus, vt satis apertè indicarunt, tam Christus Dominus, quam Beata Virgo, ille quidem in oratione dominica, quę cum omnium excellentissima sit eo tendit, vt bona petat dari, & mala propulsari, illa vero in priuata quadam deprecatione, quam quotidie facieb at Deo, vt author est D. Bonauentura, quæ hæc septem continebat.

D. Aug. ep. 125. ad Prob. c. 9.

Matt. 15

Luc. 18.

1. ad Thessal.

Ioan. 5.

Rom. 5. 5

lib. 6. meditat. c. 3

Primo petebat auxilium efficax, vt præceptum amoris Dei compleret. Secundo, vt proximos, & quicquid Deus diligit constanter diligeret. Tertio, vt quicquid ipse odio haberet ipsa etiam intestino prosequeretur odio. Quarto, vt mentem suam, & corpus dignum ipsius Dei habitaculum efficeret. Quinto, vt in omnibus templis, quæ sunt per totum orbem terrarum ab vniuersis Sacerdotibus, & fidelibus magna veneratione coleretur Deus. Sexto, vt humilitate, castitate, obedientia, contemptu sæculi, &

reliquis

reliquis alijs virtutibus cumulatissimè eam exornaret. Septima tandem, vt post hanc mortalem vitam oculis mentis clarè videret diuinam essentiam, & oculis carnis sanctissimam Christi Domini humanitatem, & quidem in vniuersum frequentior materia petitionem, præter sanctificationem nominis Dei vnicuique debet esse; vel mala intrinseca, vel extrinseca propulsare, quæ vehementius illum vexant, vel bona obtinere spiritualia, vel temporalia alioquin honesta, quibus maiorem habet indigentiam, vt gratior sit in oculis Dei: vt autem magis prouocemus, & inclinemus Deum, ac diuinam alliciamus voluntatem ad concedendum nobis postulata, est optimum documentum incipere à laudibus diuinis, quibus eius beneuolentiam captamus, vel ab exageratione nostrarum miseriarum, vel sæuitiæ, & feritatis nostrorum hostium, qui nos conturbant, licet autem sæpe fiant Deo petitiones non allegatis titulis, propter quos postulamus talia, vel talia bona nobis donari, vel à talibus malis liberari, est tamen vtilius, & ad impetrandum efficacius varios titulos allegare, sic enim oratio erit obsecratio: quidam ex his titulis tenent se
Dan. 9. ex parte Dei, suntque valde vsitati in Sacra Scriptura.

Psal. 73. Primus titulus propter temetipsum, propter infinitam tuam
Psal. 76. bonitatem, per viscera misericordiæ tuæ, & sic de alijs attributis
Psal. 24. diuinis.

Ps. 144. Secundus, vt magis exalteris, & glorificeris in ostensione tuæ
Psal. 49. patientiæ, & manifestatione tuæ liberalitatis, quia fidelissimus es
Esther. x. in tuis promissionibus, tu autem dixisti, quicquid petieritis in no-
Exo. 23. mine meo dabitur vobis, tu pollicitus es inuocanti te auxiliari. Ec
4. Reg. 1 ce indigeo tuo auxilio, & protectione ad vincendum tale pecca-
Isai. 30. tum, ad obtinendam talem virtutem, auxiliare ergo mihi ne permittas pusillanimem fieri ad patrocinium tuum inuocandum.

Tertius titulus: tu es Deus meus, & nõ recognosco alium Deum, quam te, nec habeo, nec volo alium Deum quam te, si repulsam mihi dederis non habeo alium Deum ad quem refugiam.

Quartus titulus, tu es Creator meus, Rex meus, Protector meus, Medicus meus, Pater meus imple ergo perfectissimè, vt decet deitatem tuam munera hæc omnia, si creator es, perfice, & restaura opus manuum tuarum si Rex locupletissimus diuinis charismatibus me locupleta, si medicus es infirmitatibus omnibus meis efficaciter medere, si protector sub vmbra alarum tuarum protege me, si pater ostende te esse patrem gubernando, cibando, & efficacia media inducendo, vt tantam hæreditatem tuam paternam obtineam, & interim semper tuæ uoluntati paream, ac fideli amore, & timore te prosequar. Ex parte autem Christi sequentes tituli

alle-

allegari possunt Paulus dixit, filium tuum esse primogenitum in multis fratribus certè quanto hi fuerint plures fratres magis glorificabitur Christus, fac me vnum ex illis, vt sic in me magis glorificetur filius tuus.

Secundus titulus est allegare merita Christi: plus infinities est, quod ille meruit, quam quod hucusque in præmium accepit: præmia igitur in me merita Christi concedens mihi, quod per merita illa postulo, comple Domine desiderium meum, quia in hoc pariter comples desiderium Christi, qui nihil auidius desiderauit, quam sanctificationem, & salutem nostram ipse dixit, *Tibi gratias ago, quia semper me audis.* Cum ergo nunc ille petat in me, & per me, sane si me audieris, illum audis ille tibi gratias aget. *Ioan. 5.*

Tertius titulus erit per mysteria vitæ Christi Domini quemadmodum vtitur Ecclesia dicens per mysterium incarnationis, per natiuitatem, per circuncisionem, per labores prædicationis, & similia.

Quartus titulus, per mysteria passionis discurrendo per ignominiosam comprehensionem qua permisit tanquā latronem se comprehendi, per sudorem sanguineum, per agoniam, & tristitiam in horto, per acerbissimam flagellationem, crudelem coronationem, crucis iaculationem, per sæuissimam mortem, per vulnera eius, & copiosum sanguinem, qui per illa effluxit tanquam precium redemptionis nostræ, hæc omnia nobis Christus contulit, & hęredes nos fecit valoris infiniti suæ passionis: his possunt adiungi etiam tituli ex parte Sanctorum petendo aliquid concedi nobis propter eorum merita, eximiam sanctitatem, heroicas actiones amoris, patientiæ, tolerantiæ, vt martyrij, & similium, præcipuè verò sunt allegandi tituli ex parte B. Virginis propter materna eius viscera, propter dignitatem matris, propter sanguinem, consensum, & cooperationem quam exhibuit ad conceptionem Christi Domini, propter eximiam eius sanctitatem, virginitatem, & quia constituta es aduocata peccatorum, & quod ad honorem aduocati pertinet, vt clientulus vincat litem, & obtineat, quod desiderat; vt tamen clarius hæc omnia ad praxim redacta clarè intueamur, vtilissimum duxi in calce huius operis, ac pro fælici eius complemento petitiones, & obsecrationes Diui Augustini in varijs locis suarum operum diuisas hic annectere, & agglomerare. Ille lib. Meditationum cap. primo in hunc modum postulabat. *Domine Deus da cordi meo te desiderare, desiderando quærere, quærendo inuenire, inueniendo amare, amando mala mea redimere, redempta non iterare. Da Domine Deus meus cordi meo pœnitentiam, spiritui contritionem, oculis lachrymarum* *D. Aug. lib. Med. cap. 1.*

rum

rum fontem, manibus eleemosynæ largitatem, Rex meus extingue in me desideria carnis, & accende ignem tui amoris Redemptor meus, expelle à me spiritum superbiæ, & concede propitius thesaurum humilitatis tuæ. Saluator meus amoue à me furorem iræ, & indulge mihi benignus scutum patientiæ. Conditor meus euelle à me animi rancorem, & largire mihi mitis mentis dulcedinem. Da clementissime Pater mihi solidam fidem, spem congruam, charitatem continuam. Rector meus auerte à me uanitatem, mentis inconstantiam, corporis uagationem, oris scurrilitatem, oculorum elationem, uentris ingluuiem, opprobria proximorum, scelera detractionum, curiositatis uanitatem, diuitiarum cupidinem, inanis gloriæ appetitum, hyppocrisis malum, adulationis uenenum, contemptum inopum, oppressionem debilium, auaritiæ ardorem, inuidiæ rubiginem, blasphemiæ mortem. Reseca in me factor meus temeritatem, iniquam pertinaciam, inquietudinem, ociositatem, somnolentiam, pigritiam mentis, hebetudinem, cordis cæcitatem, sensus obstinationem, morum truculentiam, boni inobedientiam, consilij repugnantiam, linguæ effrenationem, pauperum prædam, impotentum uiolentiam, innocentum calumniam, subditorum negligentiam, circa domesticos seueritatem, aduersus familiares impietatem, erga proximos duritiem. Hæc ille. In Manuali autem cap. 3. sic preces effundebat. *Quæso piissime inuocantem te non desideras, quia priusquam te inuocarem me uocasti, & quæsisti, ut ego seruus tuus te quærerem, quærendo inuenirem, & inuentum amarem: Quæsiui, & inueni te Domine, amare desidero. Auge desiderium meum, & da quod peto: quoniam si cuncta, quæ fecisti, mihi dederis, non sufficit seruo tuo, nisi te ipsum dederis. Da ergo te ipsum mihi Deus meus, redde te mihi. En amo te, & si parum est, amem validius. Tuo ergo amore teneor, tuo desiderio flagro, tua dulci memoria delector. Ecce dum tibi mens mea suspirat, & tuam ineffabilem pietatem meditatur, ipsa carnis sarcina minus grauat, cogitationum tumultus cessat, pondus mortalitatis, & miseriarum more solito non hebetat, silent cuncta, tranquilla sunt omnia, cor ardet, animus gaudet, memoria uiget, intellectus lucet, & totus spiritus ex desiderio uisionis tuæ accensus, inuisibilium amore rapi se uidet, assumat spiritus meus pennas, vt aquilæ, volet, & non deficiat, volet, & perueniat vsque ad decorem domus tuæ, & ibi super mensam refectionis ciuium supernorum pascatur de occultis tuis in loco pascuæ iuxta fluenta plenissima.* Deinde in lib. Meditat. capitulo quinto, & sexto, varijs obsecrationibus vtitur in hunc modum: *Quem alium dirigam intercessorem tibi nescio, nisi hunc qui est propitiatio pro peccatis nostris, qui sedet ad dexteram interpellans pro nobis. Ecce aduocatus meus apud te Deum patrem: Ecce Pontifex summus, qui non alieno eget expiari sanguine, qui proprio refulget perfusus cruore.*

D. Aug. in Manu. cap. 3.

D. Aug. lib. Med. c. 5. & 6.

Ioan. 2.

Rom. 8.

uore. Ecce hostia sancta beneplacens, & perfecta in odorem suauitatis oblata, & accepta. Ecce agnus sine macula, qui coram se tondentibus obmutuit, qui alapis cæsus, sputis illitus, opprobrijs affectus, os suum non aperuit. En qui peccatum non fecit, peccata nostra pertulit, & languores nostros suo liuore sanauit. Aspice pater pie pijssimum filium pro me tam impia passum. Respice clementissime rex quis patitur, & reminiscere benignus pro quo patitur. Nonne hic est, mi Domine, innocens ille, quem vt seruum redimeres filium tradidisti? Nunquid non author vitæ hic est, qui ut ouis ad occisionem ductus, tibique usque ad mortem obediens factus atrocissimæ non timuit necis genus subire? Recole totius salutis dispensator, quia hic est ipse, quem & si ex tua uirtute genuisti, meæ tamen infirmitatis participem fieri uoluisti. Vere hæc est tua deitas, quæ meam induit naturam, crucis ascendit patibulum, quæ in assumpta carne triste tulit supplicium. Reduc Domine Deus meus oculos tuæ maiestatis super opus ineffabilis pietatis. Intuere dulcem natum toto corpore extensum, cerne manus innoxias pio manantes sanguine, & remitte placatus scelera, quæ patrarunt manus meæ. Considera inerme latus crudeli perfossum cuspide, & renoua me sacro fonte, quem inde credo fluxisse. Vide immaculata vestigia, quæ non steterunt in uia peccatorum, sed semper ambulauerunt in lege tua, diris clauis confixa, & perfice gressus meos in semitis tuis, & fac me odio habere benignus omnes uias iniquitatis: uiam iniquitatis amoue a me, & fac me propitius uiam ueritatis eligere. Oro te rex Sanctorum per hunc Sanctum Sanctorum, per hunc Redemptorem meum, fac me viam currere mandatorum tuorum, ut ei valeam spiritu uniri, qui mea non horruit carne uestiri. Nunquid non attendis pie pater adolescentis filij charissimi caput, niuea ceruice deflexa præciosissimam ressolutum in mortem? Aspice mitissime conditor dilectæ sobolis humanitatem, & miserere super infirmi plasmatis debilitatem. Candet nudatum pectus, rubet cruentum latus, tensa arent uiscera, decora languent lumina, regia pallent ora, procera rigent brachia, crura pendent marmorea, rigat terebratos pedes beati sanguinis unda, specta gloriose genitor gratissimæ prolis lacerata membra, & memorare benignus, quæ mea est substantia conspicare Dei hominis pœnam, & relaxa conditi hominis miseriam. Vide redemptoris supplicium, & redempti dimmitte delictum. Hactenus Diuus Augustinus, qui eodem libro capitulo octauo, in hæc verba Deum obsecrabat. *Si me pro mea, ut dignum est, despicis iniquitate, respice me saltem misericors pro dilectæ sobolis charitate. Attende in filio quo propitieris seruo, uide carnis sacramentum, & remitte car-*

Esai. 53.
1. Pet. 2.

Hic repre sentat homo patri passionē filij.

Cap. 6.
Esai. 53.
Philip. 2.

Matt. 3.
Esai. 53.

D. Aug. li. medit. c. 8.

nis reatum. Quoties beatæ prolis tibi patent uulnera, delitescant obsecro scelera mea. Quoties rubet praciosus pio de latere sanguis, diluatur obsecro labes meæ pollutionis, & quia caro te lacessiuit ad iram, caro te plectat imploro ad misericordiam: & sicut me caro seduxit ad culpam caro deducat ad vitam, multum namque est, quod mea meretur impietas, longe autem maius, quod Redemptoris mei reposcit iura pietas, magna enim est mea iniustitia fateor, uerum maior Redemptoris iustitia quanto namque est superior Deus homine, tanto mea malitia est inferior eius bonitate, in qualitate, & quantitate, quid enim deliquit homo, quod non redemerit filius Dei factus homo? quæ tanta superbia tumeret, quam non tanta humilitas sterneret? quod nam tantum mortis imperium, quod nati Dei non destrueret crucis supplicium? Nimirum Deus meus si æqua Lance delicta peccantis hominis, & redimentis gratia librentur authoris, non tantum Orientis ab occidente, seu inferior separatur infernus a summo

D. Aug. *mo cœli cardine.* Ad hæc lib. de contritione capitulo quarto,
li. de cõt. sic Christum deprecabatur: *Iesu propter nomen tuum dulce fac*
cap. 4. *mihi secundum nomen tuum, Iesu obliuiscere superbum te prouocantem, respice pie miserum te inuocantem. Iesu nomen tuum dulce, nomen delectabile, nomen confortans peccatorem, & nomen beatæ spei. Quid est enim Iesus nisi Saluator? Ergo propter temetipsum, Iesu esto mihi Iesus, esto mihi Saluator benignus. Noli Domine, noli attendere sic malum meum, vt obliuiscaris bonum tuum. O bone Domine Iesu, & si ego admisi, vnde me damnare potes, tu non amisisti, vnde saluare soles, si castitatem meam mihi ademi nunquid misericordiam tuam peremi? Verum est conscientia mea meretur damnationem, & pænitentia mea non sufficit ad satisfactionem, sed certum est quod misericordia tua superat omnem offensionem, parce ergo mihi Domine, qui es salus vera, & qui non vis mortem pec-*

Ezec. 18 *catoris, miserere Domine peccatrici animæ, solue vincula eius, sana*
D. Aug. *vulnera eius.* Lib. vero Soliloquiorum capitulo duodecimo,
in Sollil. instat in hæc verba petendo. *Nunc redemptor te precor per te*
cap. 12. *adiuua me ne corruam in conspectu aduersariorum meorum, captus*
& 13. *laqueis eorum quos parauerunt pedibus meis, vt incuruent animam meam, sed erue me virtus salutis meæ ne sibi risum exhibeant de me inimici mei, qui oderunt te, exurge Domine Deus meus, fortis meus, & dissipentur inimici tui, & fugiant, qui oderunt te à facie tua sicut fluit cera a facie ignis sic pereant peccatores a facie tua, & ego abscondar in abscondito faciei tuæ, & gaudeam cum filijs tuis satiatus omnibus bonis. Et tu Domine Deus meus pater Orphanorum, & tu mater Pupillorum tuorum, audi eiulatum filiorum tuorum, &*

exten-

extende alas tuas, vt fugiamus sub eis a facie inimici. Turris fortitudinis Israel, qui non dormitas, neque dormis, custodiens Israel, quia non dormit, neque dormitat hostis, qui impugnat Israel. O lux quam non videt alia lux, lumen, quod non videt aliud lumen, lux quæ obtenebrat omnem lucem, & lumen, quod excæcat omne extraneum, lux a quo omnis lux, lumen a quo omne lumen, lumen ad quod omne lumen est tenebra, ad quod omnis lux obscuritas, lux cui omnes tenebræ lumen, cui omnis obscuritas lux, lux suprema, quam cæcitas non obnubilat, quam caligo non hebetat, quam tenebræ non obscurant, quam nunquam separat aliqua vmbra: lux, quæ illuminas omnia tota simul semel, & semper absorbe me in claritatis abyssum, vt videam vndique te in te, & me in te, & cuncta sub te. Sed & eodem lib. capitulo decimotertio, his aureis verbis Deum deprecatur: *Heu miseriam super miseriam cum misera anima mea à te fugit, cum quo semper abundat, & gaudet, & sequitur mundum, cum quo semper eget, & dolet: mundus clamat deficio, tu Domine clamas reficio, & miseria mea praua magis sequitur deficientem, quam reficientem. Planè infirmitas mea hæc est, medice spirituum sana illam, vt confitear tibi salus animæ meæ toto corde meo super omnibus beneficijs tuis, quibus pascis me a iuuentute mea, & usque in senectam, & senium: te deprecor per te ipsum ne derelinquas me: fecisti me cum non essem, redemisti me cum perijssem: iam mortuus fueram: ad mortuum descendisti, mortalitatem suscepisti, ad seruum rex descendisti, vt seruum redimeres te ipsum tradidisti, & ego viuerem tu mortem suscepisti, mortem vicisti, me instaurasti, cum te humiliasti, perieram abieram in peccatis, uenundatus eram, venisti pro me, vt redimeres me, & tantum me dilexisti, vt sanguinem tuum in precium dares pro me; dilexisti me Domine plusquam te quia mori uoluisti pro me, tali pacto, tam caro prætio reduxisti me de exilio, redemisti me de seruitio, retrhaxisti me de supplicio, vocasti me nomine tuo, signasti me sanguine tuo, vt memoriale tuum semper esset apud me, & nunquam recederet à corde meo, qui pro me non recessit à cruce, vnxisti me oleo tuo, quod tu vnctus fuisti, vt a te Christo dicerer Christianus, & in manibus tuis descripsisti me, vt semper sit memoria mea apud te, si tamen memoria tua iugiter non fuerit apud me: sic igitur gratia tua semper, & misericordia præuenerunt me, de multis namque, & magnis periculis sæpe liberasti me liberator meus: quando erraui ad viam redduxisti me, quando ignoraui docuisti me, quando peccaui corripuisti me, quando fui tristis consolatus es me, quando quasi desperaui confortasti me, quando cecidi erexisti me, quando steti tenuisti me, quando iui, deduxisti me: quando ueni suscepisti*

De miseria hominis, & beneficijs Dei. c. 13.

D. Aug. in Sollil. cap. 13.

me; quando dormiui custodisti me, quando clamaui exaudisti me: hæc enim, & multa alia beneficia fecisti mihi Domine Deus meus uita animæ de quibus dulce est mihi semper loqui, semper cogitare, semper tibi gratias agere, ut possim te semper pro omnibus bonis tuis laudare, & amare te toto corde meo, & tota anima mea, & tota mente mea, & tota fortitudine mea. Tandem lib. Meditationum capitulo 11. penè innumera postulat a Domino sibi donari per intercessionem sanctorum, quæ est aliud genus obsecrationis, verba tanti Patris sunt hæc. *Exaudi me Trinitas Sancta, & conserua me ab omni malo, ab omni scandalo, & ab omni mortali peccato, ab omnibus insidijs, & infestationibus dæmonum, & inimicorum uisibilium, & inuisibilium per orationes Patriarcharum, per merita Prophetarum, per suffragia Apostolorum, per constantiam Martyrum, per fidem Confessorum, per castitatem Virginum, & per intercessionem omnium Sanctorum, qui tibi placuerunt ab initio mundi, expelle a me iactantiam mentis, & auge compunctionem cordis, minue superbiam meam, & perfice in me humilitatem ueram, suscita in me fletum mollifica cor meum durum, & lapideum, libera me Domine, & animam meam ab omnibus insidijs inimici, & conserua me in tua uoluntate, doce me Domine uoluntatem tuam facere, quia Deus meus es tu, da mihi Domine sensum perfectum, & intellectum, ut suscipere ualeam profundam benignitatem tuam, illud da mihi petere, quod te audire delectet, & mihi expediat, da mihi lachrymas ex toto affectu, quæ peccatorum meorum possint dissoluere uincula, audi Domine meus, & Deus meus, audi quæ peto, & da ut quod peto exaudias: si despicis pereo: si respicis uiuo: si iustitiam meam requiris, mortuus fæteo, si cum misericordia respexeris, fætentem resuscitas de sepulchro, quod odis in me longe fac à me, & castitatis, ac continentiæ spiritum insere in me, ut quodcumque petiero in ipsa petitione te non offendam. tolle a me, quod nocet, & præbe, quod iuuet, præsta mihi Domine, ut fraternam semper tenere ualeam charitatem, & mala mea non obliuiscar, aliena non requiram. Parce animæ meæ, parce malis meis, parce peccatis meis, parce criminibus meis, uisita me infirmum, cura me ægrum sana me languentem, & suscita me mortuum, da mihi Domine cor quod te timeat, mentem quæ te diligat, sensum qui te intelligat, aures quæ te audiant, oculos qui te uideant, miserere mei Deus, miserere mei, & respice me de sede sancta maiestatis tuæ, & tenebras cordis mei radio splendoris tui illumina.* Et post pauca concludit dicens: *O dulcissime, & misericordiosissime Domine Iesu Christe fili Dei uiui redemptor mundi inter omnes, & per omnia me miserum peccatorem confiteor, sed tu clementissime pater & summe, qui omnium misereris, non me patiaris a tua misericordia fieri alienum, & tu Domine*

D. Aug. lib. Med. c. 11.

rex

rex regum, qui inducias uiuendi prestas, corrigendi mihi deuotionem tribue, excita in me mentem, quæ te requirat, te desideret, & te qui es ubique totus, trinus, & unus semper præ omnibus amet, te timeat, tuamque uoluntatem faciat, præcipue ergo te Domine sancte pater precor, qui es benedictus, & gloriosus per omnia sæcula, ut omnes mei memoriam faciant in suis orationibus, & qui indignis orationibus meis se commendauerunt, & qui mihi aliquod charitatis officium, & pietatis studium impenderunt, & illos, qui consanguinitate, & cognationis affectu sunt mihi propinqui tam illos, qui nunc consistunt in corpore, quam & illos, qui reguntur funere, misericorditer gubernare digneris, ne pereant, omnibus etiam christianis uiuis adiutorium præstare digneris, & defunctis fidelibus absolutionem, & requiem sempiternam per æterna sæcula. Nec non & illud magnopere supplico Domine, qui es Alpha, & Omega, ut cum extrema dies mea finisque uitæ meæ aduenerit, tu ipse mihi sis misericors iudex contra malignum accusatorem diabolum, & sis mihi perpetuus defensor aduersus insidias hostis antiqui, & in societatem Angelorum omniumque Sanctorum in Sancto Paradiso tuo perseuerare facias, qui es benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

FINIS.

D. Franciscus Tauris Corrigebat.



VENETIIS, MDCXVIII.

Apud Iacobum de Franciſcis.

INDEX RERVM

dignissimarum notatu, quæ in hoc Opere vberrime explicantur.

A

I N D E X.

b 2 Au-

B

Cor

D

Diuitiæ

E

INDEX.

F

G

Gau-

H

Homo

Infans

Laudare

Motus

Pæni-

Rachel

R

S

San-

Vita

FINIS.

		Error	Correctio
pag. 1	lin. 15	ſcientiam	ſententiam
2	31	feceris	feceris me,
3	35	ferat	feret
11	28	ſuperbendo	ſuperbiendo
12	40	a ictu	ab ictu
5	11	neceſſe eſſe	neceſſe eſt
8	8	turpis	turpe
8	23	valoris	valoris ſunt
19	34	induant	indicant
19	35	naturam	natura
21	28	locuſtorum	locuſtarum
23	14	auto	auto
27	20	ſomnicem	
24	30	iactu	hiatu
26	2	arcę	arcæ
28	vlt.	Salomon	Salomone
29	28	Primus	Primum
29	29	Secundus	Secundum
		Tertius	Tertium
		Quartus	Quartum
30	19	Effectus	Affectus
	29	reijciendi	reincidendi
32	9	recordare	recordatio
	13	fragilitati	fragilitatis
	vlt.	ex iuco	extincto
pag. 33	lin. 39	nulla	nullæ
37	18	confnneris	confunderis
39	40	vexandum	vexandam
41	20	peros	per os.
41	40	cruciatum	cruciatuum
48	38	decoratos	decoratu
62	20	viros	vires
71	22	Chriſti, quam	Chriſti, quia quàm
74	7	feſtæ	faſto
	8	feſte	faſti
77	19	neuttiquam	neutiquam
78	3	ambulabit	ambulauit
79	18	quantum illi	quantum ille
94	23	induamus	induamur
99	10	ppeſſurus eras	erat
100	25	baiulans	baiulatus
		Creatoris tul	ſui
113	19	DE PLANETIS	DE PLANTIS
134	37	Monſtruum	Monſtrum
175	5	vtebatus	vtebatur
177	40	proſillit	proſilit
183	26	affectibus	effectibus
184	3	affectus	effectus
189	28	murmurer	murmuret
209	73	linem	finem